LEGATORIA
PANISH
222-A

COMMENTARIUM TEXTUS
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER III.

DE REBUS

PARS I.

DE SACRAMENTIS

CUM DECLARATIONIBUS AUTHENTICIS USQUE AD DIEM 6 NOVEMBRIS 1923 (A. A. S. XV, FASC. 11)

EDITIO SECUNDA, AUCTA ET EMENDATA

ACCEDIT APPENDIX

de formulis facultatum S. Congr. de P. F.

AUCTORE

FR. ALBERTO BLAT O. P.

MAG. S. THEOL. AC IURIS CAN. DOCT.

ET CODICIS PROFESSORE IN PONTIFICIO COLLEGIO INTERNATIONALI

" ANGELICO ,,

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

(IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH)

1924

1434

Auctoris iura
secundum vigentes leges reservantur

ANGELICO DOCTORI

D. THOMAE AQUINATI

SPLENDIDISSIMO CATHOLICAE FIDEI

ATHLETAE

AC THEOLOGIAE SACRAE PRINCIPI

SEXTO CANONIZATIONIS EIUS

DECURRENTE SAECULO

VOLUMEN HOC

HONORIS ET VENERATIONIS ERGO

LIBENTISSIME DEDICAT

FR. ALBERTUS BLAT O. P.

BENEVOLO LECTORI

Hoc volumen nunc, favente Deo, prodit secundo, non aliter ac in praecedenti editione simul et ea intentione compositum, ut tyronibus iuris canonici in profectum usu veniat necnon aliis eiusdem iuris studiosis, quibus tempus non vacat per seipsos accuratius Codicem investigare. Attamen per hanc elucubrationem omnibus quoque prodesse intendimus, qui nempe una mecum usurpare possunt Apostoli verba (I ad Corinthios, IV, 1): « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ». Etenim novae Legis sacramenta, quae ex se gratiam conferunt, non absque ratione censentur indigitata a praecinente propheta (Isaiae XII, 4): « Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris ». Sed Ecclesia « in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statuit, vel mutat, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicat » (Conc. Trid. sess. XXI, cap. 2). Huiusmodi ergo statuta rite perspecta habere nostra interest, ne intentio S. Matris Ecclesiae copiosiori fructu fraudetur.

In hoc opere ad ipsius tractationis complementum plurima delibavi ex theologia tum dogmatica tum mo-

rali circa doctrinam sacramentariam, prout haec mirum in modum praesertim exponitur in Summa Doctoris Angelici. Ad hoc ipsum duplici ex motivo fui compulsus. Visum est mihi valde aequum, ut praefatus Doctor, qui singulari honore per Codicis Canonem 1366 fuit auctus, clara doctrina et firma sententia eisdem ss. canonibus lumen afferret; et insuper ut me Tridentino Concilio conformarem, quod dogmata et disciplinam sacramentorum apprime tradens, cum scripto revelationis fonte, ut discimus ex historia ecclesiastica, Divi Thomae Summam theologicam consuluit, velut divinae voluntatis interpretem. Hac igitur de causa illius Doctoris sententias venerati sunt et amplexati posteriores theologi.

Nec mihi in vitium vertatur aliorum Doctorum omissio, tanquam si eosdem parvipenderem, nam exemplum secutus sum Ecclesiae, quae nullo modo quidquam suis etiam maximis Doctoribus detractum putavit, quando Angelicum Doctorem dumtaxat sequendum praescripsit. Imo sic aemulata est suum Divinum Sponsum, qui humiles exaltat; de illo enim Praeceptore Angelico canitur in eiusdem officio:

O munus Dei gratiae,
Vincens quodvis miraculum!
Pestiferae superbiae
Numquam persensit stimulum.

Dignetur ergo Deus, a quo est omne datum optimum, suis sacerdotibus sanctum suum impertiri ti-

morem, in quo est positus supremus humilitatis gradus, ut ex D. Thoma discimus, atque sic per accuratam ss. canonum observantiam, optimi fructus in Dei populum deriventur.

Nova utilitas huic conservata fuit volumini pro his qui missionibus inter infideles devote vacant, eo quod favente Emo. nunc S. R. E. Cardinali Camillo Laurenti, dum esset S. Congr. de Prop. Fide benemeritus Secretarius, propter amorem quo aestuat erga missiones mihi benigne communicavit novas formulas facultatum ab initio anni 1920 vigentium. Nam, data opportunitate, in diversis Operis locis eas inserendas cum brevibus declarationibus interiectis curavi, aliae vero pariter explicatae in Appendice sunt requirendae.

Huic primae editionis Prologo addere tantum puto, me in hac editione curanda, et claritati magis consuluisse, et, paucis additis, posteriores authenticas declarationes innexuisse, ut undequaque perpolita prodiret praesens editio.

Romae, die omnibus Coelitibus sacro anni 1923.

fr. A. Blat, O. P.

APPROBATIONES

Opus A. R. P. Alberti Blat: *Commentarium Textus Codicis Iuris Canonici. Liber III, De Rebus. Pars I. Editio secunda, aucta et emendata* » approbandum censemus dignumque existimamus quod typis mandetur et in publicam utilitatem edatur.

Romae, die 12 Iulii 1922.

P. Reginaldus M. Schultes O. P.
S. Theol. Mag.

Fr. Celedonius Blanco, O. P.
S. Theol. Lect.
et Iuris Can. Doct. ac Prof.

Imprimi permittimus:

Romae, die 21 Iulii 1922.

Fr. Lud. Theissling, O. P., *Mag. Gen.*

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vicesger.

LIBER TERTIUS

DE REBUS

(CANONES GENERALES)

Can. 726. - Res de quibus in hoc libro agitur quaeque totidem media sunt ad Ecclesiae finem consequendum, aliae sunt spirituales, aliae temporales, aliae mixtae.

Can. 727. - § 1. Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr., Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc., vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr., beneficium ecclesiasticum, etc., aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr., consecratio in calicis consecrati venditione, est simonia iuris divini.

§ 2. Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur, est simonia iuris ecclesiastici.

Can. 728. - Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur.

Can. 729. - Firmis poenis in simoniacos iure statutis, contractus ipse simoniacus et, si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare:

1° Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti;

2° Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare.

Can. 730. - Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr., calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem.

1. **Inscriptio Libri et primi canones.** - Postquam in Codicis Libro II fuerunt dispositae normae canonicae de personis physicis ac moralibus et circa earum iura et obligationes pro diverso ipsarum officio et gradu in hierarchia ecclesiastica; et remissis ad posteriores libros normis de potestate Ecclesiae tum iudiciali tum coercitiva, ac iuribus et obligationibus cum alterutrius exercitio connexis; sequens *Liber tertius* inscribitur *De rebus,* in quas nempe potestas Ecclesiae publica extenditur praesertim leges

condendo de illis rebus. Harum definitio ac divisio traditur in can. 726, ex quo statim deprehenditur res quasdam ex natura sua, utpote spirituales ac supernaturali praeditas effectu, subductas esse humano commercio, illisque aptari Salvatoris praeceptum: *gratis accepistis, gratis date.* Humana vero cupiditas, quae Simonem magum excaecavit, ut « cor suum non esset rectum coram Deo » [1], ei asseclas captivavit per simoniae vitium serpens in Ecclesia decursu temporum. Quia vero tale vitium, quod legislatio canonica ab antiquissimo tempore semper persecuta est, de pluribus rebus ecclesiasticis virus proprium nutrit, cum opportuna Libri introductione sequuntur canones: 727 definiens simoniam proprie dictam, quae iure quoque divino vel iure tantum ecclesiastico damnatur. Explicat multiplicem actum simoniacum can. 728, effectus iuridicos recenset can. 729, atque can. 730 determinat casus in quibus simonia, etsi adesse videatur, proprie abest.

2. **Rerum notio ac divisio.** – *Can. 726. Res de quibus in hoc libro agitur,* iuxta eius inscriptionem, *quaeque* significatione iuridica *totidem media sunt*, quamvis non sola, ut constat ex aliis Codicis libris, *ad Ecclesiae finem consequendum,* salutem videlicet animarum etiam aeternam, atque in eius respectum sub Ecclesiae potestate unice posita, *aliae sunt spirituales*, vel formaliter ut magisterium ecclesiasticum, indulgentiae, vel causaliter ut continentes vi sua gratiam et virtutes, videlicet, sacramenta, vel dispositive aut meritorie sicut sacramentalia, divinus cultus, imagines, vel ut effectus potestatis supernaturalis quales sunt dispensationes, iurisdictionis delegationes; ac vocantur « spirituales » non quatenus sint incorporeae, sed quatenus « ordinantur proxime ad salutem aeternam animarum », propter quod eis contradistinguuntur *aliae* non qua corporales, sed quatenus *temporales*, quae per se in usu hominum profano positae sunt, et in quibus utendis Ecclesia cum civili societate convenit, quamvis alterutrius proprias fieri ac esse illas res temporales iure naturali constet, propter iuridicam existentiam utriusque societatis; *aliae mixtae,* quatenus res temporales spiritualibus adnectuntur, vel quia benedictione donantur, sicut ecclesiae, coemeteria, vel quia ex officio ecclesiastico etiam coalescunt, sicut sunt beneficia ecclesiastica.

[1] Act. Ap., VIII, 21.

3. **Descriptio duplicis simoniae.** - Communiter ab antiquo definitur simonia: « studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum » equidem pretio temporali; cuius malitia sic patefit a D. Thoma [1]: « actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autem et venditionis est materia indebita res spiritualis triplici ratione. Primo quidem quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, sicut de sapientia dicitur [2]: " Pretiosior est cunctis opibus; et omnia quae desiderantur, huic non valent comparari „. Ideo etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans dixit [3]: " Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri „. Secundo, quia id non potest esse debita venditionis materia, cuius venditor non est dominus,... Praelatus autem Ecclesiae non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, secundum illud [4]: " Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei „. Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quae ex gratuita Dei voluntate proveniunt. Unde et Dominus dicit [5]: " Gratis accepistis, gratis date „. Et ideo aliquis emendo vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo et rebus divinis; propter quod peccat peccato irreligiositatis ». Imo iustitia laeditur quoad pretium temporale acceptum vel retinendum.

Definitionem illam tradit et explicat *can. 727. § 1. Studiosa voluntas* sumpta pro eius actu, eo « quod iustitia et omnes partes eius, et per consequens omnia vitia opposita sunt in voluntate sicut in subiecto. Et ideo convenienter simonia per voluntatem definitur. Additur autem studiosa, ad designandum electionem, quae principaliter pertinet ad virtutem et ad vitium », complens illud [6]. Adiungit canon: *emendi vel vendendi*, nam « Simon magus, ad hoc emere voluit potestatem spiritualem, ut eam postea venderet. Dicitur enim in Gratiani Decreto [7]: quod " Simon Magus donum Spiritus Sancti emere voluit, ut ex venditione signorum, quae per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur „. Et sic illi qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione; in actu vero illi qui emere volunt: illi autem qui vendunt, in actu

[1] 2. 2., q. C, art. 1. — [2] Proverb., III, 15. — [3] Act., VIII, 20. — [4] I ad Cor., IV, 1. — [5] Matth., X, 8. — [6] D. Th., l. c. ad 2. — [7] Causa I, q. III, c. Salvator.

imitantur Giezi discipulum Elisaei, de quo legitur [1], quod accepit pecuniam a leproso mundato; unde venditores spiritualium possunt dici non solum Simoniaci, sed etiam Giezitae » [2]. — Sequitur in canone *pro pretio temporali*, quod sic dispescitur ab Urbano II papa [3]: « Quisquis res ecclesiasticas non ad quod institutae sunt, sed ad propria lucra munere linguae, vel indebiti obsequii, vel pecuniae largitur, vel adipiscitur, simoniacus est ». Quod sic explicatur a D. Th. [4]: « nomine pecuniae intelligitur cuiuscumque pretium quod pecunia mensurari potest [5]. Manifestum est autem quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quae potest pretio pecuniae aestimari; unde et pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium aestimari posset. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quaerendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quae potest pecuniae pretio aestimari. Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem (quod pertinet ad munus a manu); ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio ». — Haec tria in canone veniunt sub « pretio temporali », et sequitur ibi: *rem intrinsece spiritualem*, non ideo quia corpore non constet, sed quia ut supernaturalis consideratur quocumque modo, *v. gr. sacramenta*, sicut causas gratiae, *ecclesiasticam iurisdictionem*, ut enatam ex divina concessione ad aedificationem corporis Christi, *consecrationem*, qua effectum supernaturalis potestatis, *indulgentias*, veluti participationem thesauri satisfactionum Christi et Sanctorum, *etc.*, *vel rem temporalem*, pretio nempe aestimabilem, *rei spirituali adnexam*; sed « aliquid potest esse adnexum spiritualibus dupliciter: uno modo sicut ex spiritualibus dependens; sicut habere beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus adnexum, quia non competit nisi habenti officium clericale: unde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus ». Quod membrum distinctionis est canoni sic in-

[1] IV Reg., V. — [2] D. Th., l. c. ad 4. — [3] C. Salvator, causa I, q. III. Hinc damnata est per Dec. S. C. S. Officii 24 Sept. 1665 « prop. 22. Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis ;... ». — [4] 2. 2. q. C. cit., art. 5. — [5] 2. 2., q. C. art. 11: « Per pecuniam autem intelligitur omne illud cuius pretium potest pecunia aestimari, ut Philosophus dicit (*Ethic.*, lib., 4, cap. I, circa princ.) ».

sertum: *ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr., beneficium ecclesiasticum, etc.*, ius decimandi seu percipiendi a fidelibus temporalia ratione ministerii sacri, labor intrinsece necessarius sacramentorum administrationi seu officiorum divinorum celebrationi. « Et propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia, eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subiici. — Quaedam autem sunt adnexa spiritualibus, inquantum ad spiritualia ordinantur; sicut ius patronatus, quod ordinatur ad praesentandum clericos ad ecclesiastica beneficia; et vasa sacra, quae ordinantur ad sacramentorum usum: unde huiusmodi non praesupponunt spiritualia, sed magis ea ordinis tempore praecedunt. Et ideo aliquo modo vendi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus adnexa » [1]. Propter quod recte addidit canon: *aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in calicis consecrati venditione.* De tota studiosa voluntate descripta ibidem, et cum D. Thoma commentata, edicit Codex: *est simonia iuris divini;* scilicet: a iure divino damnata, prout probatum manet in declaratione; ac respectu canonis commatis postremi sufficiat addere Paschalis Papae verba [2]: « Quisquis hoc alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, (sive quia « sine altero nullo modo esse possit », sive quia « sit obiectum, etsi partiale contractus ») neutrum invenditum derelinquit. Nullus ergo emat Ecclesiam, vel praebendam vel aliquid ecclesiasticum ».

Praeter hanc distinguunt communissime Doctores aliam simoniam iuris ecclesiastici, quae proprie non praesefert irreverentiam in res sacras, periculo autem irreverentiae multoties non caret, propter quod actus emptionis-venditionis praedictae de his rebus a lege ecclesiastica vetatur. De hac igitur tractat § 2. *Dare vero* a) *res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis*, in eodem igitur ordine, ita ut viderentur commutari qua spirituales, ac in emptione ac venditione venire qua temporales, b) *vel res spirituales pro spiritualibus*, ubi pretium temporale abest omnino, c) *vel etiam temporales pro temporalibus,* quod videtur esse plene rationi congruum ac virtuti, *tamen si id* praecise *ob periculum irreverentiae erga res spirituales*, secus si propter defectum alicuius sollemnitatis, v. gr. beneplaciti aplci. in rerum ec-

[1] D. Th., loc. cit. art. IV, c. — [2] Caus. I q. III c. Si quis obiicerit.

clesiasticarum alienatione, *ab Ecclesia prohibeatur*, atque solummodo in prohibitionis casibus, (non vero si absque actus prohibitione, hinc iuridicus effectus statuatur v. gr. cessatio indulgentiarum in venditione pii obiecti quod illis fuit ditatum), *est simonia iuris ecclesiastici* a quo saltem reprobatur. — Non de ista semper, sed de altera iuris divini accipienda est responsio D. Th.[1]: « dicendum, quod papa potest incurrere vitium simoniae, sicut et quilibet alius homo. Peccatum enim tanto in aliqua persona est gravius, quanto maiorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiae sint eius ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius ut domini et possessoris. Et ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiae alicuius, non careret vitio simoniae, et similiter etiam posset simoniam committere, recipiendo pecuniam ab aliquo laico, non de bonis Ecclesiae ».

4. **Verba emptio-venditio in iure de simonia.** - Communissime docetur a Doctoribus ex iure antiquo, « quod nomine emptionis et venditionis intelligitur in definitione simoniae omnis contractus non gratuitus »[2], scilicet: « duorum vel plurium in idem placitum consensus » cum onere obligationis in utroque contrahente. Idipsum refert *can. 728. Cum de simonia agitur*, scilicet: in Codice, in iure, et communiter apud Auctores, *emptio-venditio, permutatio etc.*, (huiusmodi verba) *late accipiendae sunt* iuridica significatione propria, de qua in can. 18[3], a) *pro qualibet conventione*, idest: actus consentiendi cum alio ad idem faciendum, ut supra, et hoc primo, ad cuius intelligentiam deservit prop. ab Innoc. XI damnata paulo post referenda. Atque satis est illam fieri conventionem seu pactum, b) *licet ad effectum non deducta* sit ipsa, dando vel recipiendo simoniace res aliquas. Imo necesse non est ut simoniaci paciscantur verbotenus vel scripto, sed sufficit c) *etiam tacita* factis, signisve « conventione », cuius declaratio in canone sic exprimitur: *in qua scilicet animus simoniacus*, qui ceteroquin debet adesse commutandi res praviter ob simoniam explicatam in praec. canone, a) *expresse non manifestetur*, b) *sed ex circumstantiis colligatur*, quia canones actus internos non moderantur, nisi quatenus cum externis connexionem habent; seu ut Innoc. III

[1] Loc. cit., art. 1 ad 7[m]. — [2] D. Th., l. c., ad 5. — [3] Can. 18. Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam...

ait [1]: « Nobis datum est de manifestis tantum iudicare », quamvis « quoad Deum sola voluntas facit simoniacum; sed quoad poenam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione poenitere », ut recte ait D. Thomas [2]. — Hanc tacitam conventionem vel saltem internam voluntatem praedictam includit sensus prop[is]. ab Innoc. XI damnatae [3]: « 45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra ». Eadem asseruntur in proxime cit. capite, sic prosequente Innoc. III: « si tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quae offert, spiritualia valeat adipisci; et clerici eum qui in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam ille, quam isti apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles iudicantur ». Unde si colligatur intentio illa ex circumstantiis est simonia quam canon considerat, secus ad theologiam moralem est amandanda.

5. **Simoniae distinctiones ex parte actus.** – Illa vero simonia, quae sola voluntate committeretur, recte vocatur et est pure *interna*, a qua distinguitur *externa*, quae diversimode patefit, quam solam leges ecclesiasticae respiciunt. Haec solet vocari a DD. *mentalis* quando « animus simoniacus colligitur ex circumstantiis », quin conventio exprimatur; nam si hoc accideret *conventionalis* nomen sortitur, antequam ad effectum deducatur; quando autem ab alterutra solum parte simoniae pactum exercetur, simonia tunc appellatur *mixta*, ut videtur, ex conventione atque ex facto; quae demum *realis* dicitur et est, quando perfecta fuerit per exequutionem illius ex utraque parte simoniacum ponente actum.

6. **Effectus commissae simoniae.** – De abrenuntiatione illa etiam ex iure vigente facienda fundamentum primum ita exponit D. Th. [4]: « nullus potest licite retinere id quod contra voluntatem Domini acquisivit: puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem et ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cuius Eccle-

[1] Cap. 34, tit. III, lib. V, X. — [2] Loc. cit., a. VI, ad 6[m]. — [3] Dec. S. Officii, 2 Mart. 1679. — [4] Loc. cit., art. VI, c.

siarum praelati sunt dispensatores et ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundum illud [1]: "Gratis accepistis, gratis date „. — Ed ideo qui muneris interventu spiritualia quaecumque assequitur, ea licite retinere non potest ». Quod invaliditatem contractus simoniae iuris divini evincit, quamvis non desint Auctores contrarium sentientes. « Insuper autem simoniaci tam vendentes quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores, aliis poenis puniuntur » a quibus incipit de utraque simonia loquens *can. 729. Firmis poenis in simoniacos iure* in Codice memoratis (can. 6,3°), vel post eum *statutis*, scilicet: suspensione Sedi Aplcae. reservata « in clericos per simoniam vel ad ordines promotos vel alia Sacramenta ministrantes » ex can. 2371, et excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservata ac privatione cuiusdam iuris « in delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis, aut dignitatibus ecclesiasticis » ex can. 2392, a) *contractus ipse simoniacus* ad normam duorum can. praec., in hypothesi vero *et si simonia committatur* in quocumque ex actibus qui ad provisionem concurrunt etiam per renunciationem, ut constat ex can. 185, generalis enim est clausula, *circa beneficia, officia, dignitates,* quae oportet « stricto sensu » accipi ad normam can. 145 et 1409, 1412, b) *subsequens* contractui simoniaco *provisio* in eius quidem exequutione *omni vi caret*, quod, cum auctoribus D. Thomam sequentibus, bene intelligitur, exprimi tantum de simonia iuris divini ac iure ecclesiastico decerni de simonia huiusmodi iuris. — Nullitas contractus provisionisque perstat, *licet simonia a tertia persona* cum providente *commissa fuerit* absque interventu, imo *etiam inscio proviso,* nec miranda praescriptio iam prius vigens, quia [2] « hoc quod aliquis privetur eo quod accepit, non solum est poena peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis iniustae, puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest ». Ita est in simonia. « Et ideo si aliquis scienter et propria sponte simoniace accipiat ordinem vel ecclesiasticum beneficium, non solum privatur eo quod accepit, ut scilicet careat executione ordinis (ex can. 2371), et beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur » (quia ex can. 2392, 3° « si clerici sint, praeterea suspendantur »). « Si vero, eo nesciente nec volente,

[1] Matth., X, 8. — [2] D. Th. 2. 2. q. C a. 6 ad 3m.

per alios alicuius promotio simoniace procuratur (non) caret quidem ordinis executione, et tenetur resignare beneficium » (sed cum distinctione a vere simoniaco quoad fructus restituendos); « nisi forte inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit: tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum ». Haec iuxta veterem legislationem dicta transferuntur in ultimum comma: *dummodo* a) *hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut* b) *eo contradicente*, (statutum omnino aequum), quae alterutra conditio desideratur in casu responsionis D. Thomae hic omisso limitante hanc exceptionem canonis.

Exceptio praec^{s}. praescripti memoranda est unica quoad supremam in Ecclesia dignitatem. Pius X in const. « Vacante Sede Apostolica » 25 Dec. 1904 qua « Romani Pontificis electio unice regitur » (can. 160), n. 79 ait: « Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et nos reprobamus atque damnamus, huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus; *sublata tamen irritatione electionis simoniacae*, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis ».

Conformiter praedictis prosequitur canon: *Quare: 1° Ante quamlibet iudicis sententiam*, quia ex conscientia urgente obligantur simoniaci, a) *res,* tum spiritualis, tum spirituali adnexa, tum temporalis (etsi pretium), *simoniace data et accepta,* utpote aliena, I° *si restitutionis sit capax*, alioquin iustitia non obligat. II° *nec obstet reverentia rei spirituali debita,* v. gr. reliquia s. crucis empta ex iudaeo, quae causa obligationem restitutionis aufert vel suspendit, *restitui debet* proindeque ipsi a quo recepta est, nisi canon aliquis diversum statuat, quia sic restitutio etiam intelligitur; quod semper locum habet de temporali munere a manu; b) *et beneficium, officium, dignitas dimitti,* seu renuntiari, de quo loquuntur can. 184 ac seq.^{s} de renunciatione officiorum, et 1484 ac seq.^{s} de dimissione beneficiorum.

2° Simoniace provisus, et cum canon loquatur consequenter ad praecedentia ob verbum « Quare », intelligendus « dummodo talis provisio non fiat in fraudem eiusdem provisi, aut eo contra-

dicente ». Hoc supposito, ille *non facit fructus suos,* quia beneficii provisio utpote nulla non secumfert iuridicos effectus, sicut ille est « libere utendi fruendi fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii » ad normam can. 1473; sed considerata differentia inter ipsum simoniacum beneficium obtinentem, atque provisum ex simonia a tertia persona commissa, quando etiam « provisio vi caret » iuxta primam canonis partem, huius favori respiciens canon subiungit: *quod si eos* (supple fructus) praedictos *bona fide perceperit* ex delicti simoniae immunitate, *prudentiae iudicis* sententiam ferentis de nullitate provisionis *vel Ordinarii* idipsum declarantis vel dimissionem acceptantis, *permittitur* vi huius canonis *fructus perceptos,* non vero eos qui nondum fuerint percepti, quamvis tempore ad eosdem percipiendos iam transacto, *ex toto vel ex parte eidem condonare.* Quae condonatio fructuum ob illud crimen simoniae iniuste ac culpabiliter perceptorum potest ex causa, quando crimen sit occultum, obtineri a S. Poenitentiaria.

7. **Casus apparentis non verae simoniae.** D. Thomas [1] scripsit: « quod, sicut sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam; ita etiam quaedam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt, et ad eam disponunt: quae tamen per hominum ministerium exhibentur, (v. gr. applicatio sacrosancti sacrificii, exsequiae defunctorum, etc.), quos oportet a populo sustentari, cui spiritualia administrant, secundum illud (I ad Cor. IX, 7): " Quis militat suis stipendiis unquam?... Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? ,,. Et ideo vendere quod spirituale est in huiusmodi actibus aut emere, simoniacum est. Sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiae aut consuetudinem approbatam, licitum est; ita tamen quod desit intentio emptionis vel venditionis, et quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem, quae sunt exhibenda; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutae et consuetae oblationes, et quicumque alii proventus exigi a valentibus et nolentibus solvere, auctoritate Superioris interveniente ».

Atque idipsum etiam Codex confirmat in can. 2349. Iuste igitur

[1] 2, 2. q. C, art. 3 corp.

decernit *can. 730. Non habetur simonia* in can. 727 definita, a) *cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione,* atque fortassis ab illis qui spiritualem rem percipiunt, *ex iusto titulo* v. gr. sustentationis ministrorum, necessitatis ecclesiae, vel alio *a sacris canonibus* huius Codicis *vel a legitima consuetudine,* idest una sententia: per normam agendi iuridicam *recognito;* b) *item cum datur res temporalis* etiam tamquam pretium, dicitur enim: *pro re temporali,* non iam quacumque, quia hoc plene licet, ad normam tamen can. 727, § 2, sed *quae tanquam subiectum* ipsa *habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr., calix consecratus* consecrationem, sepulchrum propriam benedictionem, theca pretiosa continens reliquiam, *dummodo pretium* rei temporalis *non augeatur propter adnexam rem spiritualem:* conditio necessario addita ut hic canon bene cohaereat cum can. 727, § 1 ubi, propter praxim huic conditioni contrariam, actus praedictus est de simonia iuris divini damnatus.

8. **Libri divisio.** – Res de quibus tractat ille sunt « totidem media ad Ecclesiae finem consequendum » (Can. 726). Hic finis colligi potest ex verbis S. Pauli [1]: « Deus secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis », quo « in Ecclesiam Dei constituimur » (can. 87)..., « ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae ». Quae vita aeterna ex Domini sententia « est, ut cognoscant (homines) solum verum Deum et quem (Pater) misit Iesum Christum » [2]. Ex quibus Apostoli verbis et aliis S. Scripturae locis patet, finem Ecclesiae proximum hoc in mundo esse animarum iustificationem per Dei gratiam, vel *sanctificationem* « sine qua nemo videbit Deum » [3], quae visio seu vita aeterna nunc sperata constituit finem Ecclesiae remotum seu in futuro consequendum. — Finis ergo hic supernaturalis media quidem eiusdem ordinis requirit, quae utpote solum a Deo tradita, erunt propterea deducenda ex verbis Iesu Christi ad Apostolos: « Euntes docete omnes gentes », atque his designatur *divinum Ecclesiae magisterium,* « baptizantes eos », in quo uno priore (Sacramento) indicata censentur caetera *Sacramenta,...* « et docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis », ubi necessitas cooperationis cum gratiae auxiliis exprimitur, ut sanctificationem homines consequantur. — Iuxta S. Thomam [4]: « Sanctitas

[1] Ad Titum, III, 5, 7. — [2] Ioan., XVII, 3. — [3] Ad Hebr., XII, 14. — [4] 2. 2. q. LXXXI, a. 8 c.

dicitur per quam mens hominis seipsum et suos actus applicat Deo... Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremae rei (scilicet Deo) possit coniungi ». Ad quam abstractionem illamque mentis Deo applicationem valde prodest *divinus cultus,* ac praecipue quia « Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare » [1]. Hucusque de mediis Ecclesiae propriis. — Memorari opportunum censeo verba Leonis XIII in encycl. « Satis cognitum » [2]: « Ergo Ecclesia societas est ortu divina: fine, rebusque fini proxime admoventibus supernaturalis: quod vero coalescit hominibus, humana communitas est ». Ex qua postrema proprietate ortum habet necessitas *locorum ac temporum* idoneorum ad cultui divino vacandum. Imo etiam arguitur quam necessario sicut caeterae societates Ecclesia quoque *propriis bonis temporalibus* indigeat, hoc sub respectu in finem spiritualem ordinatis; quae multoties peculiariter *spiritualibus vere adnexa* erunt, prout supra vidimus de beneficiis et de aliis rebus benedictis. — His ergo consideratis iam eruenda est Libri divisio ac partium ordo; nam inter media sunt praestantiores *res spirituales.* Harum praecipuae absdubio sunt quae virtutem habent Dei gratiam conferendi non ponentibus obicem, et hinc ponitur: « Pars prima de Sacramentis », deinde quae ad hominis cooperationem in sua sanctificatione praecipue congruunt; sed propter humanae communitatis conditionem illis praemittitur: « Pars secunda de locis et temporibus sacris », quam sequitur: « Pars tertia de cultu divino ». Praedictam sanctificationem dirigit Ecclesia, et advigilat efficaciter more humano, ne fides « sine qua impossibile est placere Deo » detrimentum patiatur, dum sequitur « Pars quarta de divino Ecclesiae magisterio ». — De rebus quae spiritualibus adnexae sunt, et inter media fini ecclesiastico idonea secundum locum occupant, est « Pars quinta: De beneficiis », quae hucusque potiorem alia de causa locum non obtinuerunt, ac ceteroquin cum etiam aliae res praeter beneficia, « personae morales in Ecclesia sint non collegiales » (can. 99), completur inscriptio huius partis: « De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus ». Completurque Liber de rebus congruenter can.[1] 726 « Parte sexta de rebus Ecclesiae temporalibus ». Et sic patet rationabilitas distributionis.

[1] Ioan., IV, 21. — [2] 29 Iun. 1896.

PARS PRIMA.

De Sacramentis.

Can. 731. – § 1. Cum omnia Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino Nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est.

§ 2. Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint.

Can. 732. - § 1. Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quae characterem imprimunt, iterari nequeunt.

§ 2. Si vero prudens dubium exsistat num revera vel num valide collata fuerint, sub conditione iterum conferantur.

Can. 733. – § 1. In Sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur.

§ 2. Unusquisque autem ritum suum sequatur, salvo praescripto can. 851, § 2, 866.

Can. 734. - § 1. Sacra olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V *in Coena Domini* proxime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat.

§ 2. Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia.

Can. 735. - Parochus olea sacra a suo Ordinario petere debet et in ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia.

Can. 736. - Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat, praeter oblationes de quibus in can. 1507, § 1.

9. **Inscriptio partis et ordo canonum.** - *Pars prima* inscripta est *De sacramentis,* quae vi nominis sunt « sacrae rei signa ». Porro ut ait D. Th.[1] « signa proprie dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum quod est signum alicuius rei sacrae ad homines pertinentis, ut scilicet proprie dicatur sacramentum secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacrae, inquantum est sanctificans homines ».

Cum de his quamplures definitiones ac doctrinae inveniantur in Conc.[1] Tridentini Actis, et in Sacra Theologia explicentur, illos in Codice inveniemus canones de omnibus, quae ad praxim ordinantur; inter quos in can. 731 eorum dignitas huiusce sequelae

[1] 3. q. q. LX, art. 2 c.

stabiliuntur, distinctio eorum quoad iterationem in can. 732 memoratur, commendationem legum liturgicarum statuit can. 733, alii canones 734 et 735 memores rubricae Decretalium « de custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum » (Tit. 44) et aliarum in Decretalium Lib.° III ius antiquum de sacris oleis referunt, et ultimus can. 736 de gratuita administratione Sacramentorum est sollicitus.

10. De modo administrationis ac susceptionis, et consequens vetitum. - *Can. 731.* § 1. *Cum omnia Sacramenta* vere et proprie dicta *Novae Legis* prout a sacramentis veteris legis differunt, de qua differentia inquit [1] Conc. Trid.: « Si quis dixerit, ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi, anathema sit ». Haec septem solummodo esse dicuntur ac enumerantur, fuisseque *a Christo Domino nostro instituta,* definitur in can. 1 (cit. loc. Conc. Trid.). Additur in Codicis can.: cum *sint praecipua sanctificationis* per gratiam, quam continent et significant (can. 6) et ex opere operato conferunt (can. 8) semper et omnibus quantum est ex parte Dei (can. 7), *et salutis* ab infirmitatibus peccatorum, ac praesertim remota « salutis » aeternae *media, summa,* quatenus infirmitas humana patitur, *in iis opportune,* « omnia enim tempus habent » [2] et, ut iniungebat Apostolus, in Ecclesia omnia « honeste et secundum ordinem fiant » [3], *riteque,* normas legitime constitutas servando, *administrandis*, prout illae normae respiciunt ministrum et actus circumstantias, *ac suscipiendis*, quatenus aliae normae moderantur dispositiones accedentis ad sacramenta, *diligentia,* quae mentis attentionem ac voluntatis promptitudinem includit, *et reverentia,* eo quod sacramenta sunt ad salutem necessaria (can. 4), et propter eorum institutorem Dominum Iesum. — Hic, « inquantum Deus, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae, quae quidem consistit in quatuor; primo quidem in hoc quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud [4]: " Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ,,, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur, ideo secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus

[1] Can. 2. De sacramentis in genere. Sess. VII. — [2] Eccli. III, 1. — [3] I ad Cor. XIV, 40. — [4] Ad rom., III, 25.

habet in sacramentis pertinet quod in eius nomine sacramenta sanctificentur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre » [1]. — Ex dictis ergo iuste sic explicit can. 731 « summa diligentia et reverentia » *adhibenda est*. Quae clausula ex similitudine cum praecepto de dilectione Dei: « Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua... etc. » sic erit accipienda, ut in praxi conetur minister humano modo ad perfectiorem sacramentorum administrationem, fidelis ad meliores dispositiones: quamvis ad vitandum peccatum mortale in huius canonis transgressione, sufficiens erit gradum infimum attingere, nempe: non transgrediendo in materia gravi seu quod substantialia ceteras leges disciplinares liturgicas et morales tum de dispositionibus ac requisitis ministrantium sacramenta eaque recipientium, tum quoad debitas ipsius actus circumstantias.

Proinde ait § 2. *Vetitum est* propter mystici corporis Christi naturam, cui aptatur eius dictum: « Qui non est mecum, contra me est » [2], *Sacramenta Ecclesiae,* sic dicta eo quod huius ministrorum dispensationi concredita sunt, quibus illa prohibitio directa est, nempe: *ministrare haereticis* quibuscumque *aut schismaticis* quibuslibet, scilicet: sive proprie dictis ad normam can. 1325, § 2 [3], sive baptizatis quidem, sed qui sint in haeretica secta vel schismatica ecclesia educati ab infantia et ut adolescentes; propter hos enim additur in canone: *etiam bona fide* i. e. non contra conscientiam *errantibus eaque* sacramenta *petentibus*. Et illa denegatio consequens ad vetitum fit quidem absque iniuria eorum bona fide errantium, quia etsi sacramentorum ianuam ingressi sunt illi, nempe baptismate abluti, patiuntur « obstantem obicem, ecclesiasticae communionis vinculum impediens » ad normam can. 87, propter quod subiungitur: *nisi prius, erroribus reiectis* per debitam abiurationem, *Ec-*

[1] D. Th., 3. P., q. LXIV, a. 3, c. — [2] Luc. XI, 23.

[3] Can. 1325, § 2. Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus... est.

clesiae reconciliati i. e. ad externam cum fidelibus communionem admissi *fuerint;* ac ita pertinere incipiant non solum ad animam, sed etiam ad corpus Ecclesiae.

11. De sacramentis non iterandis. – Divus Thomas docet [1]: « sacramenta novae legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati et ad cultum divinum. Est autem omnibus sacramentis commune, quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad cultum divinum, sicut patet de poenitentia, per quam homo liberatur a peccato; non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo per modum ipsius actionis, alio modo per modum agentis, tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad divinum cultum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiae sacrificium; et per hoc idem sacramentum non imprimitur homini character, quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis, cum potius sit " finis et consummatio omnium sacramentorum ,, , ut Dionysius dicit [2]; continet tamen in se ipso Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotii plenitudo. Sed ad agens in sacramentis pertinet sacramentum ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta; unde baptisma dicitur esse ianua omnium sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio, (nam sicut baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio) [3]. Et ideo per haec tria sacramenta character imprimitur »; atque hinc apparet quam recte ait: *can. 732.* § 1. *Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quae characterem imprimunt* in anima, hoc est: signum quoddam spirituale et indelebile, *iterari nequeunt*, sicut definitum est in Conc. Trid. [4].

[1] 3. P., q. LXIII, art. 6 corp. — [2] *Eccl. hier.*, cap. 3, in princ. — [3] 3., P. q. LXXII, a. 5, ad 2[m]. — [4] Can. 9 de Sacramentis in genere. Sess. VII.

Quia tamen [1] « non intelligitur iteratum quod nescitur esse factum », atque, ut ait S. Greg. M.: « non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum », praescribit § 2. *Si vero prudens*, nempe post diligentem investigationem adhibitam, *dubium existit*, sive dubium sit positivum bene fundatum non ex rationibus futilibus, sive sit negativum ob deficientiam rationum quaesitarum, tum motiva dubitandi proveniant ex circumstantiis facti, et propter hoc vocatur dubium facti, tum procedant illa motiva, cognitis certo facti conditionibus, ex causa dissensionis inter Doctores circa talis sacramenti validitatem, quod appellatur dubium iuris. Si ergo mentis status sit talis, quod illa non adhaereat affirmationi potius quam negationi circa alterutram sequentem quaestionem; a) *num revera*, seu de facto, b) *vel num* sacramenta illa certo ministrata *valide collata fuerint*, ita ut quis moralem certitudinem non consequatur, tunc *sub conditione*, saltem concepta interne, sed iuri conformius verbis expressa: « si non es baptizatus, confirmatus, ordinatus », ne iniuria fiat praecedenti forsitan validae collationi, *iterum* (ad externam speciem quod attinet) *conferatur*, ac ita certa evadat alterutra collatio. Id enim requiritur ex sacramentorum eorum necessitate tum baptismi pro subiecto, tum ordinis quoad alios, vel ne fidelis detrimentum patiatur perfectionis ex confirmatione derivatae. « Et ideo etiam morituris hoc (confirmationis) sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud [2]: " Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi „, ut ait D. Th. » [3].

12. **Observandi ritus ac caeremoniae.** – Conc. Trid. (sess. VII, De sacramentis in genere) edidit can. XIII: « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit ». Huic concordat disciplinaris in Codice *can. 733. § 1. In sacramentis conficiendis* v. gr. sanctissima eucharistia, *administrandis* ex parte conferentis ea, *ac suscipiendis* respectu ipsorum fidelium ad illa accedentium, *accurate serventur* (scilicet, studium adhibeatur in quorumlibet adimplemento) *ritus*, hoc est formulae ac preces

[1] Cap. un. De clerico per saltum promoto (V, 29) X. — [2] Ad Ephes., IV, 13. — [3] P. 3. q. LXXII. a. 8 ad 4[m].

et caeremoniae, seu actiones illos comitantes, *quae in libris ritualibus*, quia a materia in eis contenta sic appellantur generice, quamvis diversa nomina sortiantur, v. gr. rituale romanum, pontificale romanum, etc. *ab Ecclesia probatis* pro diversitate rituum sive aliquo documento sive saltem tacite ob diuturnum usum, *praecipiuntur*, sive pro pluribus sacramentis sive pro singulis eorum. Itaque sustineri potest distinctio rubricarum praeceptivarum ex verborum contextu aut Auctorum sententia, et rubricarum directivarum iuxta probatos Auctores: ita quod de rubricis directivis non est intelligendum canonis praescriptum.

Attenta igitur illa rituum diversitate, subiungitur confirmans interpretationem § 2. *Unusquisque autem* tam minister quam suscipiens, quod ad unumquemque attinet, in praxi *ritum suum* ad quod pertineat ad normam can. 98, *sequatur* et ad hoc obligatur, *salvo praescripto can. 851, § 2* de ministranda eucharistia in azymo aut fermentato, *866* de suscipienda eadem in alterutro et a ministro diversi ritus, quae praescripta ibidem erunt declaranda. Hic opportune memorandum est pro hac praesertim Codicis prima parte Lib.[1] III, praescriptum can. 2. « Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi eorum aliqua in Codice expresse corrigatur ».

13. **De sacris oleis adhibendis.** - Quae in duobus seq. canonibus praecipiuntur desumpta sunt ex Rit. Rom. Tit.[8] II et V, cap. I. *Can. 734. Sacra olea* sic dicta propter benedictionem et quia de olivis sunt expressa. Tria enumerantur, videlicet: oleum catechumenorum, oleum infirmorum et sacrum chrisma iuxta nomenclaturam librorum liturgicorum, et quod ultimum habet admixtum in parva quantitate balsamum benedictum pariter ac infusum in functione ecclesiastica de qua infra, *quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt*, scilicet: oleum infirmorum administrandae extremae unctioni, oleum catechumenorum in presbyterali ordinatione ac in baptismate sollemni, dum sacri chrismatis fit usus in sollemni baptismate ac in Episcopi consecratione. De his asserit iubens canon: *debent esse* a) *ab Episcopo* consecrato quamvis titulari *benedicta*, illorum enim benedictio est actus ordinis episcopalis, exceptus etiam in privilegio Cardinalium sub n. 20 can. 239; b) *feria V in Coena Domini* (ex lege liturgica Pont. Rom.. De ol-

ficio in fer. V in C. D., a Pontifice cum duodecim presbyteris) [1] *proxime superiore,* seu quae ultimo evenit, ita quod « parocho et aliis qui eis indigent curandum sit, ut ea suo tempore quamprimum habeant, et tunc vetera in Ecclesia comburant » [2], *neque adhibeantur vetera,* scilicet: non utenda sunt ultra annum liturgicum, *nisi necessitas urgeat,* nempe: utendi sacris oleis, dum recenter benedicta non potuerunt haberi.

Cum vero propter diversas circumstantias, v. gr. effusionem olei, magnam praeter expectationem infirmorum multitudinem etc. deficere olea queunt, ait § 2. *Mox deficienti oleo benedicto,* (quod idem est ac oleum sacrum, sub quo etiam sacrum chrisma venit), quando nempe id prudenter praevideatur proximum, eo quod etiam « alia benedicta haberi nequeant » [3], *aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur,* non tantum semel, sed urgente eadem causa *etiam iterato,* in utroque casu *minore tamen copia* respectu illius, qui momento adiectionis extet.

14. De custodia sacrorum oleorum. – *Can. 735. Parochus,* eo quod iste solus ordinarie indigeat prae aliis sacerdotibus, I° *olea sacra* tria praefata *a suo Ordinario*, nempe: loci, etsi Episcopus non sit, *petere debet,* quia illius est de sacris oleis territorio sibi subiecto providere; *et* a) *in ecclesia*, prout asserebatur in c. 1 tit. cit. [4] Decretal. de sacro chrismate simul ac de Eucharistia, ex quo cap. sacristia excluderetur, sed in Codice ob analogiam can. 1269, § 3 et horum quae sequuntur in praesenti canone, sub Ecclesiae nomine sacrarium comprehendi potest, dummodo b) *in tuta* c) *ac decenti* pro rerum natura et benedictione, d) *custodia sub clavi* « ne ab aliquo, nisi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit », ut ait Rituale Rom. [5], *diligenter asservare;* hucusque iussio. Subnectitur prohibitio: II° *nec ea domi retineat*, a) *nisi propter necessitatem* v. gr.

[1] Hanc duplicem liturgicam legem relaxat pro casibus facultas concessa Vicariis et Praefectis Aplcis. charactere episcopali insignitis (Form. utraque mai. n. 2). « Conficiendi *olea sacra a)* cum sacerdotibus, (supple: infra duodecim, saltem duobus) quos potuerit habere; (tum in fer. V in Coena Domini, tum in usu facultatis sic expressae): *b)* et, (sub conditione) si necessitas urgeat, (nec determinatur haec, sed certe propter quam in die liturgico nequivit conficere illa, ex causa v. gr. infirmitatis, defectus oleorum) etiam extra diem Coenae Domini » conficere olea sacra ritu equidem Pontificalis Romani.

[2] Rit. Rom., Tit. II, c. I, 31. — [3] L. c. n. 33. — [4] III, 44. — [5] L. c. n. 37.

utnoctu vocandus ex praevisione ad manum habeat « ea » in promptu, b) *aliamve ob rationabilem causam*, sed pro ista aut quando illa necessitas certo non innotescat *accedente Ordinarii licentia*, quae tacita sufficeret, seu ex factis eius deducta circa illam causam.

15. **De gratuita sacramentorum administratione.** – *Can. 736. Pro administratione sacramentorum minister*, sive Episcopus sive parochus sit vel alius sacerdos aut in casu diaconus, *nihil quavis de causa* propter quam « exigat » aliquid, *vel occasione*, hoc est: quando videretur non haberi simoniam ad normam can. 730, *sive directe*, respiciens verbotenus emolumentum, *sive indirecte*, velut aliud intendens, aut per alios modos, a) *exigat*, videlicet: aut ab his qui forsan inviti sunt, aut per subtractionem sacramentorum, b) *aut petat* simpliciter ab eis, qui liberales ac divites sint, *praeter oblationes de quibus in can. 1507, § 1* [1]; omnino congruenter doctrinae D. Thomae ad can. 730 et praecise quoad sacramentorum administrationem [2].

16. **Divisio partis primae ac ordo titulorum.** – Definivit Conc. Trid. [3]: « Si quis dixerit, sacramenta novae legis... esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium... anathema sit ». De convenientia quod sacramenta ordinentur secundum modum praedictum, loquitur D. Th. [4] iam testificans « quod communiter ordinantur ab omnibus sacramenta, sicut prius dictum est ». Respondet dicendum « quod ratio ordinis apparet ex his... Nam sicut unum est prius quam multitudo, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter praecedunt ea quae ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo et matrimonium, quae ordinantur ad multitudinis perfectionem; matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa quae per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitae quam illa quae or-

[1] Can. 1507, § 1... praefinire taxas... occasione ministrationis Sacramentorum... in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit.

[2] 2. 2. q. C, a. 2 c. — [3] Sess. VII de sacramentis in genere, can. 1. — [4] 3. P. q. LXV, art. 2.

dinantur per accidens, scilicet ad removendum accidens, nocivum superveniens, cuiusmodi sunt poenitentia et extrema unctio; posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quae consummat sanationem, poenitentia, quae inchoat. Inter alia vero tria manifestum est quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prius, et deinde confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; postmodum Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem finis ». Et sic ordinantur septem tituli Libri tertii priores, singuli pro singulis sacramentis. Et quia « in aliquam sacramentorum imitationem », atque in eorum administratione « Ecclesia uti solet » (can. 1144) Sacramentalibus, de his tractat Titulus VIII.

TITULUS I.

De baptismo.

Can. 737. - § 1. Baptismus, Sacramentorum ianua ac fundamentum, omnibus in re vel saltem in voto necessarius ad salutem, valide non confertur, nisi per ablutionem aquae verae et naturalis cum praescripta verborum forma.

§ 2. Cum ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur, appellatur *sollemnis*; secus, *non sollemnis* seu *privatus*.

17. **Inscriptio tituli I** est *De baptismo,* quod vi nominis etymogica sumitur pro ablutione et proprie designat huiusmodi sacramentum, quod a theologis appellatur « fluminis » distinctum a baptismo tum « flaminis » tum « sanguinis », quae nomen baptismatis sortiuntur qua similitudinem habentia cum sacramento quoad effectum salutis spiritualis ac aeternae, nam verbo « flaminis » actus verae ac supernaturalis caritatis designatur, quae operit multitudinem peccatorum, et nomine « sanguinis » decoratur martyrium verum de quo Iesus Christus ait: « maiorem hac dilectionem nemo habet. ut animam suam ponat quis pro amicis suis »[1]. Ille autem baptismus simpliciter dictus imprimit characterem et baptizatum constituit subditum membrumque Ecclesiae visibile. Hic potissimum moderandus est ss. canonibus, ut certum sit quinam iurisdictioni Ecclesiae subiiciantur in eaque sint personae, et praescripta opportuniora dentur ad cooptationem hominum societati religionis catholicae.

[1] Io., XV, 13.

18. **Baptismi definitio et accidentalis divisio.** — Baptismus est « ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum ». In ea definitione voces « ablutio » et « corporis » accipiuntur simpliciter ac formaliter, i. e. pro ablutione communiter dicta, quae fit aqua naturali, et quidem pro abluendi actione, facta praecisione de munditiei effectu sequuto vel non; et corpus accipitur pro illo quod, cum sit ceteris perfectius propter formam, simpliciter sic appellatur, nempe: humanum corpus, ac insuper vivum, tale enim formaliter dicitur corpus. Potest etiam per causas describi baptismus: « sacramentum novae legis, quo per exteriorem corporis ablutionem aqua factam sub praescripta verborum forma homo spiritualiter regeneratur atque in Ecclesia constituitur ».

Porro in Dec. pro Armenis Eugenius IV docet: « omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum ». Hinc respiciens Codex intrinseca baptismi elementa, pro nunc omittens loqui de ministro ac recipiente baptisma, confecit *can.* 737. § 1. *Baptismus*, uti in tituli inscriptione, *Sacramentorum ianua*, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia sacramenta, *et fundamentum*, quia cetera, illo omisso, non prosunt, dicente Domino ad Nicodemum [1]: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ». Proinde *omnibus in re vel saltem in voto* illum recipiendi si possibilitas adesset observandi legem illam divinam, « sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam baptismum suscipiat, et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: Quem regeneraturus eram, amisi, verumtamen ille gratiam, quam poposcit non amisit » [2]. Alterutro ergo ex dictis modo *necessarius ad salutem* ex Salvatoris sententia baptismus *valide non confertur* scilicet: « cum (teste Rit. Rom.) [3] ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de iure divino absolute neces-

[1] Io. III, 5. — [2] D. Th. 3a P. q. LXVIII, a. 2 c. — [3] Tit. II, c. I, n. 2.

saria, ut materia, forma, minister, alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus ac coeremoniae, quas ex Apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet », *nisi* a) *per ablutionem*, nam Iesus Christus de baptismo tradidit Apostolis post resurrectionem suam hoc praeceptum [1] « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes (seu abluentes) eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », b) *aquae verae et naturalis*, quia in Conc. Trid. (sess. VII de baptismo) invenitur sequens can. II. « Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini N. Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto; ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit » — « Aquae verae » scilicet: quae naturam seu speciem aquae habeat, et praeterea « naturalis », qualem nempe eam nobis offert natura, sive in fontibus, sive in mari, sive ex pluvia etc. Talis aqua vera et naturalis facile dignoscitur, unde vulgo etiam sic appellatur; quapropter talem non debemus accipere nivem et glaciem, quia etsi utraque compositionem chimicam aquae retineat, propter statum eius aqua non vocatur, illius enim usibus caret, nisi liquefiat. — Rit. Rom. [2] citatum Conc[i]. Trid[i]. canonem innuens ait: « Ac primum intelligat Parochus cum huius Sacramenti materia sit aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem adhiberi posse ». Quandonam vero mixtio vel alteratio aquae propter alia elementa, inducat vel minus mutationem substantialem huius materiae, ac diversa huiusmodi mutationis exempla possunt addisci [3] apud D. Thomam; ubi concludit Angelicus: « Sic ergo dicendum est quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquae, potest fieri baptismus, si vero solvatur species aquae, non potest fieri baptismus ».

Demum ait Innoc. III [4]: « Respondemus, quod cum in baptismo duo semper, videlicet verbum et elementum necessario requirantur, iuxta quod de verbo Veritas ait: (atque citat textum ad Apostolos): eademque dicat de elemento (citando textum ad Nicodemum), dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque praedictorum, sed eorum alterum est omissum ». Cui congruit canon, dum sic explicit: *cum praescripta verborum forma* quoad

[1] Mat., XXVIII, 19. — [2] Tit. II, c. 1, n. 3. — [3] Art. 4, q. LXVI, Partis S. theologicae. — [4] Cap. 5 Decretal. (III, 42).

eius substantialia. Alex. III ait [1]: « Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen: et non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen: non est puer baptizatus ». In cuius confirmationem adest prop. 27 damnata ab Alex. VIII [2]. « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus in nomine Patris etc., praetermissis illis (verbis): Ego te baptizo ». Quamvis in illo capite forma baptismi terminetur per verbum « Amen », illud non solum substantiam illius non integrat, sed nec etiam requiritur pro liceitate formae: nam iuxta Rit. Rom. non dicitur in baptismo solemni, et ibidem [3] habetur: « Quoniam Baptismi forma his verbis expressa: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnino necessaria est, ideo eam nullo modo licet mutare », et S. Rit. Congr. [4] interrogata: « Num vox amen in fine formae Baptismi sit adhibenda vel omittenda? respondit ex oraculo Pii IX: Ad 2 strictim in casu servetur Rituale Romanum ». — Quia vero huiusmodi verba formae cum veritate proferri debent, ut patet, subiungitur in Rit. Rom. [5] « sed eadem verba uno et eodem tempore (intellige moraliter loquendo) quo fit ablutio, pronuntianda sunt ». — Sed quamvis non liceat omittere verbum « Ego » numquid pertinet ad essentiam validi baptismi? Certissime non pertinet in lingua latina. Ita omnes cum D. Thoma in art. 5 q. LXVI 3ae partis, ubi plura valde utilia de hac forma inveniuntur, testaturque Graecos adhibere formam validam: « Baptizetur servus Christi (talis) in nomine » etc. redditque rationem. De his formulis habentur sequentia in Dec.° Eugenii IV ad Armenos: « quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum ». — Forma proferenda est modo ac lingua praescripta pro diversis liturgiis, si agitur de Baptismo sollemni. In Rit. Rom. vero [6] legitur sic: « Latinus presbyter latina forma semper utatur », sed dicta intelliguntur non substantiam attingere, nam in n. 12 scribitur: « sed quoties infans, aut adultus versatur in vitae periculo, potest... baptizari in qualibet lingua ».

§ 2. *Cum ministratur* supple « baptismus » *servatis omnibus*

[1] Cap. 1 tit. huius Decretal. (III, 42). — [2] 7 Dec. 1690. — [3] C. I, sub n. 8. — [4] Cochinchin. 3014, 9 Iun. 1853. — [5] Loc. cit. — [6] C. I, n. 9.

ritibus quoad formulas et preces *et caeremoniis* quoad actiones, *quae in ritualibus libris* (ut supra in can. 733 fuit declaratum) *praecipiuntur*, *appellatur* talis baptismus *sollemnis* propter superaddita ex iure ecclesiastico his quae iure divino ad baptismum validum exiguntur, quam appellationem retineret quamvis unus ritus alteraque caeremonia omitteretur; *secus*, nempe: supradictis non servatis, vel fere omnibus omissis, dicitur baptismus *non sollemnis seu privatus* veluti carens sigillo publicae actionis ecclesiasticae.

19. **Divisio tituli in capita.** – In cap. 4 cit. tit. Decret. (III, 42) idem Pontifex Innoc. III ait: « Respondemus, quod cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: (Baptizantes eos...) memoratus Iudaeus (nempe: qui seipsum baptizavit) est denuo ab alio baptizandus; ut ostendatur quod alius est qui baptizatur, et alius, qui baptizat... In baptismo quippe illa spiritualis regeneratio celebratur de qua Veritas ait (ad Nicodemum verba: Nisi quis renatus fuerit...). Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro et femina nascitur, alius est qui carnaliter gignit, et alius qui carnaliter gignitur: sic et in sacramentali generatione, qua soboles ex aqua et Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse qui spiritualiter generet et alius qui spiritualiter generetur. Sane cum corpus exterius, sive cum cor interius baptizatur, oportet ut utrobique paternitas et filiatio valeat inveniri, quibus baptizans et baptizatus ad invicem referantur ». Hinc de illo utpote digniore est *Cap. I. De ministro baptismi* et postea *Caput II. De subiecto baptismi*. Sequitur *Caput III. De ritibus et caeremoniis baptismi*, qui propterea sollemnis appellatur; quia vero speciale institutum est commune huic sacramento atque alteri confirmationis, de illo cum praedictis connexo est *Caput IV. De patrinis*. Extrinsecae circumstantiae sed per sacram legislationem necessariae determinantur in *Capite V. De tempore et loco baptismi conferendi;* et quoniam refert plurimum huic et aliis sacramentis memoriam perpetuam eorum administrationis haberi, saltem ne iterentur, ultimum est *Caput IV. De collati baptismi adnotatione et probatione.*

CAPUT I.

De ministro baptismi.

CAN. 738. - § 1. Minister ordinarius baptismi sollemnis est sacerdos; sed eius collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.

§ 2. Etiam peregrinus a parocho proprio in sua paroecia sollemniter baptizetur, si id facile et sine mora fieri potest; secus peregrinum quilibet parochus in suo territorio potest sollemniter baptizare.

CAN. 739. - In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis.

CAN. 740. - Ubi paroeciae aut quasi paroeciae nondum sunt constitutae, statutorum peculiarium et receptarum consuetudinum ratio habenda est, ut constet cuinam sacerdoti, praeter Ordinarium, in universo territorio vel in eius parte ius insit baptizandi.

CAN. 741. - Extraordinarius baptismi sollemnis minister est diaconus: qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur.

CAN. 742. - § 1. Baptismus non sollemnis, de quo in can. 759, § 1, potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione; quatenus vero fieri potest, adhibeantur duo testes, vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit.

§ 2. Si tamen adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi.

§ 3. Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet.

CAN. 743. - Curet parochus ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant.

CAN. 744. - Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato sollemnius conferatur.

20. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** – Expositionis initium est *Caput I. De ministro baptismi*, scilicet de illo qui deputatus est a lege tum divina tum ecclesiastica, ut validum baptismum conferat licitumque ad ministrum quod attinet pro illius diversitate. Unde baptismi sollemnis ministrum determinant can. 738-741, tres priores pro territorii distinctione, quibus alius accedit propter ordinis distinctionem in illo ministro. De conferente baptismum privatim cavet plene can. 742, cui subnectitur 743 de obligatione parochi inde consequente, atque can. 744 singulariter loquitur de ministro baptismi adultorum.

21. **Minister baptismi sollemnis in paroeciis.** – *Can. 738.* § 1. *Minister ordinarius* scilicet: qui ratione ordinis suscepti facultatem habet regulariter pro collatione, non iam validi, ut infra patebit, sed liciti *baptismi sollemnis* (quod uti ecclesiastica functio est iure canonico illi ordini attributa) *est sacerdos,* prout constat

ex Conc. Flor. in Dec.° pro Armenis: « Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare »; quibus verbis innuitur, quod in canone expressius enunciatur: *sed eius collatio*, uti legitimo equidem inter sacerdotes ministro, in recta Ecclesiae ordinatione *reservatur* a) *parocho* domicilii aut in huius defectu quasi-domicilii patris matrisve ad normam can. 93 § 4, 94 § 1, aut loci actualis commorationis parentum vagorum ob §^{m} 2^{m} can^{s}. 94, b) *vel alii sacerdoti* cuicumque sed « ritus parentum » (can. 756 § 1), sub hac alterutra insuper conditione: de eiusdem declarati *parochi vel Ordinarii loci*, cui subiiciatur praefatus parochus, *licentia* etsi tacita ex factis, imo *quae in casu necessitatis*, v. gr. certo si ultra tres dies expectandus esset parochus, nam statuit can. 770: « infantes quamprimum baptizentur », *legitime praesumitur*, seu a lege datur, quia contra illam praesumptionem non licet parocho velle.

Hanc datam interpretationem confirmat § 2. *Etiam peregrinus* proprie sed infans respectu peregrinationis parentum, *a parocho proprio* declarato in praec. §° *in sua paroecia*, ad quam proinde baptizandus transferendus esset baptismi suscipiendi causa, *sollemniter baptizetur*, nam de sollemni baptismo tantum agitur in hoc canone, dummodo duae non faciles conditiones verificentur: a) *si id facile* ob proximitatem loci ac infantis valetudinem b) *et sine mora*, prout can. 770 cit. praescribit observandum, *fieri potest*; quarum si alterutra deficiat idest: *secus peregrinum* initio §^{1} huius declaratum *quilibet parochus* cui tunc « reservatur » *in suo territorio potest sollemniter baptizare*; ac consequenter praec.^{i} §° « alii sacerdoti licentiam » talis parochus eiusque paroeciae Ordinarius dare possent. Ita cum aequitate admittitur principium: « Locus regit actum ».

22. **Administratio baptismi sollemnis in alieno territorio.** — Ultima confirmatur assertio in *can. 739. In alieno territorio nemini*, etiam Ordinariis ac parochis vel S. R. E. Cardinalibus, *licet, sine debita licentia* secundum explicationem canonis praec.^{is}, *baptismum sollemnem conferre*, congruenter interpretationi datae de parocho cui reservatur, *ne sui quidem loci incolis*, scilicet: subditis ratione domicilii parentum baptizandi. Nec iste canon est exceptio vel limitatio can. 201, § 3, quia hic non agitur de iurisdictionis voluntariae exercitio, sed potius de potestate ministerii sacri quamvis connexa iurisdictioni, sed qua territorio circumscriptae.

23. **Minister baptismi sollemnis ubi paroeciae non sunt.** - In duobus canonibus praec. supponitur paroecias adesse in territorio sub quarum « nomine in iure veniunt » quasi-paroeciae (can. 451, § 2, 1°), sed vi can. 216, §§ 1, 2, 4 de secundis praesertim potest contrarium evenire. Horum memor Codex statim addidit *can. 740. Ubi paroeciae aut quasi-paroeciae nondum sunt constitutae* quacumque ex causa, fortassis illicite, a) *statutorum peculiarium* v. gr. ab Ordinario conditorum, vel forsitan a Sede Aplca. pro casibus § 4, can. 216, b) *et receptarum consuetudinum,* etiam quae nondum per diuturnum tempus fuerint observatae, *ratio habenda est,* scilicet: ea sunt consulenda *ut constet cuinam sacerdoti* loco parochi, *praeter Ordinarium*, (de quo ex hypothesi nullum exurgit dubium), ceteroquin competentem ex can. 738 § 1, iuxta regulam 67 in 6° « Potest quis per alium quod potest facere per seipsum » et 79 etiam in 6° « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur », a) *in universo territorio* dioecesis vel quasi dioecesis b) *vel in eius parte ius insit* prae aliis sacerdotibus *baptizandi* hos vel illos infantes.

24. **Ministratio baptismi sollemnis per diaconum.** - *Can. 741. Extraordinarius*, veluti per exceptionem ad regulam, *baptismi sollemnis* equidem propter sollemnitatem *minister* ex ordine sacro designatus ad illius liceitatem *est diaconus;* videlicet: Episcopi verba in ordinatione diaconi sunt: « Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis: diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare et praedicare ». D. Thomas probat: « Et sic ad diaconum non pertinet, principaliter et quasi ex proprio officio, tradere sacramentum baptismi, sed maioribus ministrando » [1], proindeque subsidiarie ac modo extraordinario; quod admittit ac exponit praesens canon subiungens: *qui tamen sua potestate ne utatur* a) *sine loci Ordinarii vel parochi licentia* in praecedentibus declaratorum, sed expressa in casibus, est enim *iusta de causa concedenda,* v. gr. ob parochi nimium laborem vel absentiam. — Sed quandoque necessaria non est, quod Gelasius I ad Episcopos per Lucaniam [2] iam his verbis statuerat: « Diaconos propriam constituimus observare mensuram » et infra: « Absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis ordi-

[1] 3. P., q. LXVII, art. 1. — [2] Cap. 13, dist. XCIII.

nibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat. Quod et Laicis Christianis facere plerumque conceditur ». Sed hoc interpretandum: his pro baptismo privato, illis pro baptismo sollemni, quod in canone sic exprimitur: *quae* licentia necessaria, *ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur*, tamquam per legem obtenta. Et en ratio D. Thomae [1]: « quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur diaconis, necessitate urgente, in absentia maiorum baptizare, sicut patet ex auctoritate Gelasii supra inducta. Et hoc modo B. Laurentius diaconus exsistens baptizavit ».

25. **Minister baptismi privati.** – In Dec.° ad Armenos Eugenii IV legimus: « In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia ». Atque Conc. Trid. definivit (sess. VII. Canones de Baptismo) in can. 4: « Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, A. S. ». Horumque rationem accipimus ex D. Th. doctrina [2]: « ad misericordiam eius qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet ut in his quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad poenam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur ». Nec credatur Angelicum ad extremam necessitatem conclusionem suam coarctare, subiungit enim ad 1^m^: « quod baptizare pertinet ad ordinem sacerdotalem secundum quamdam convenientiam et sollemnitatem, non autem hoc est de necessitate sacramenti; unde etiamsi extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen sacramentum baptismi confert; nec est rebaptizandus ille qui sic est baptizatus ».

[1] Ib. ad 3^m^. — [2] Art. 3, q. LXVII, Partis 3.

Hanc doctrinam positam in universali Ecclesiae magisterio enuntiat *can. 742.* § 1. *Baptismus non sollemnis* i. e.: quod « ministratur non servatis ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur » (can. 737, § 2), *de quo in can. 759,* § *1* quoad eius liceitatem cavetur, *potest a quovis ministrari* valide, quod subintelligitur in sequentibus iure divino necessariis: *servata debita materia et forma*, quas supra declaravimus, *et intentione* pariter « debita », de qua dicit Conc. Trid.[1] can. 11. « Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, A. S. ». Huius intentionis obiectum est: sacramentum quod fuit institutum a Christo Domino conferre: ergo haec intentio adesse debet saltem implicita in alio actu voluntatis v. gr. « si quis patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia catholica intendit per huiusmodi quae exterius aguntur, praebere sacramentum; unde, non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum ». Sic D. Th.[2]. Sicut etiam sufficeret in pagano intentio externum baptismum dandi cum debita forma, sicut vidit fieri apud christianos, putans bonum effectum habere, quamvis nesciat eum. — Praedictusque actus voluntatis, quamvis prius habitus, dummodo virtualiter perseveret « sufficit ad perfectionem sacramenti, puta cum sacerdos accedens ad baptizandum, (eo ipso) intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat; sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud[3]: Cor meum dereliquit me »[4].

Pars positiva canonis est: *quatenus vero fieri potest*, unde notabile incommodum excusat, *adhibeantur duo testes*, nam in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, *vel saltem unus*, qui quandoque sufficit ad normam can. 779 ibi explicandam, et hi testes

[1] Sess. VII. De sacramentis in genere. — [2] 3 p., q. LXIV a. 9 ad 1[m]. — [3] Psalm. XXXIX, 13. — [4] 3 p., q. LXIV, a. 8, ad 3[m].

non exiguntur ad formam iuridicam actus, sed *quibus baptismi collatio probari possit* quoad factum et elementa validitatis eius.

Quia vero in domo Dei omnia ordinatissima esse oportet, subiunguntur duo §§[i] nempe: § 2. *Si tamen adsit sacerdos*, quia ex officio sui ordinis competit ei baptizare sollemniter, *diacono praeferatur*, cui tantum ministerialiter competit illud, et propter extraordinarium ministerium *diaconus subdiacono;* cum inter clericos autem in hac re nulla sit ratio praecedentiae, sed omnes hi « divinis ministeriis mancipati sunt » (can. 108, § 1), dicitur praeferendus *clericus laico et vir* capax ordinum *feminae,* cum duabus exceptionibus: *nisi* a) *pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare* v. gr. prout addit Rit. Rom.[1]: « infantem non omnino editum », et in hoc vel simili casu praeferenda esset quidem ipsi Sacerdoti ob causae rationem, *vel* b) *nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi*, quod nequidem inter laicos catholicos deberet accidere. — Opportunum videtur rescriptum S. C. S. Officii[2] ad quaesitum: « Se assente il parroco, possano i monaci scismatici battezzare i figli dei cattolici. — R. Non permittat (Episcopus) schismaticis administrare Sacramentum baptismatis nisi in casu necessitatis, et deficiente alia quacumque persona catholica ». Idem sub distinctione extendendum est tum ad excommunicatos vi can. 2261, tum ad interdictos personaliter ex can. 2275 n. 2°, et absolute ad acatholicos ministros quod attinet ad normam can. 2319, § 1, 3°, atque ad haereticos et non baptizatos ex analogia ad can. 765.

§ 3. *Patri aut matri suam prolem* sic intelligendam, sive quam peccando, sive quam licite genuerunt, *baptizare non licet* quacumque in necessitate, *praeterquam* a) *in mortis periculo*, b) *quando alius praesto non est, qui baptizet*, sive etiam quia ille alius non vult, vel quia nequit iure baptismum tale privatum dare, v. gr. excommunicatus vitandus necnon alius excommunicatus, postquam intercessit sententia condemnatoria seu declaratoria (canone 2261, § 3)[3].

[1] Tit. V, c. 1, n. 33. — [2] 20 Aug. 1671; Coll. S. C. de Prop. Fide, n. 532.

[3] Can. 2261, § 3. Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere... si alii desint ministri cetera sacramenta...

26. **Parochi debitum.** - Ne in re maximi momenti, ac inopinato eveniente forsan casu non raro per ignorantiam peccetur, monitionem debiti continet *can. 743. Curet parochus* opportune ac prudenter *ut fideles*, additurque: *praesertim*, quia his qui sequuntur contingere probabiliter potest obligatio, *obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum* ad normam can. 759, § 1 *pro casu necessitatis probe* i. e. absque ullo errore *ediscant*, prout hi tenentur magis vel minus ex probabili connexione accidentali cum eorum officio.

27. **Minister baptismi adultorum.** - Ex Rit. Rom. [1] est transumptus *can. 744. Adultorum baptismus*, sub conditione locorum *ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur*, ergo tunc debet hoc fieri obsequii causâ erga eius dignitatem, *ut, si voluerit* pro libitu, *ab eo vel ab eius delegato* pro casu *sollemnius* propter peculiarem ministrum *conferatur*.

CAPUT II.

De subiecto baptismi.

CAN. 745. - § 1. Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus.

§ 2. Cum agitur de baptismo:

1° Parvulorum seu infantium nomine veniunt, ad normam can. 88, § 3, qui nondum rationis usum adepti sunt, eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti;

2° Adulti autem censentur, qui rationis usu fruuntur; idque satis est ut suo quisque animi motu baptismum petat et ad illum admittatur.

CAN. 746. - § 1. Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit.

§ 2. Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus.

§ 3. Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus.

§ 4. Si mater praegnans mortua fuerit, fetus ab iis ad quos spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute; si dubie, sub conditione.

§ 5. Fetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet.

CAN. 747. - Curandum ut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie, sub conditione.

CAN. 748. - Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione; in dubio autem unusne an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione.

CAN. 749. - Infantes expositi et inventi nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub conditione baptizentur.

CAN. 750. - § 1. Infans infidelium, etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat.

§ 2. Extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur:

[1] Tit. II, c. 3, n. 3.

1° Si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiat;

2° Si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant.

Can. 751. - Circa baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum, aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sint, generatim serventur normae in superiore canone constitutae.

Can. 752. - § 1. Adultus, nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur; insuper admonendus ut de peccatis suis doleat.

§ 2. In mortis autem periculo, si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est, ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat se eisdem assentire serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum.

§ 3. Quod si baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub conditione baptismus rursus conferatur.

Can. 753. - § 1. Tam sacerdotem qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos.

§ 2. Nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat.

Can. 754. - § 1. Amentes et furiosi ne baptizentur, nisi tales a nativitate vel ante adeptum rationis usum fuerint; et tunc baptizandi sunt ut infantes.

§ 2. Si autem dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint.

§ 3. Baptizentur quoque, imminente periculo mortis, si, antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint.

§ 4. Qui lethargo aut phrenesi laborat, vigilans tantum et volens baptizetur; at si periculum mortis impendeat, servetur praescriptum § 3.



28. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** - Deinde oportet perscrutari *Caput II. De subiecto baptismi* sive sollemnis, sive privati, absolute aut sub conditione conferendi, perpensis conditionibus subiecti capacis suscipiendi baptismum, vel ut licite ipsi conferatur

secundum circumstantias, vel proprias vel parentum, in quibus versatur. Haec omnia ordinate considerantur, quia can. 745 subiectum capax baptismi cuiuscumque ostendit, ac infantium et adultorum verbis significationem assignat. De illis agunt can. 746-751, videlicet: prout nondum plene natis 746, de fetibus abortivis can. 747, si sint monstra vel ostenta, quid faciendum edocet can. 748, quando et quomodo baptizandi expositi et inventi definitur in can. 749, ac de infantibus infidelium et acatholicorum adduntur respectivi can. 750, 751. De adultorum dispositionibus tractat et horum motivo servanda explicat can. 752, quos adultos ac ministrum baptismi respicit etiam can. 753, ac demum de illis, qui usus rationis defectum propter infirmitatem patiuntur, sollicitus est ultimus can. 754.

Can. 745. § 1. *Subiectum capax baptismi* illud vocatur, quod potest recipiendo baptismum, particeps fieri effectuum eius, qui sunt praeter characterem « remissio culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt ». (Eugenius IV. Dec. ad Armenos). — Cum vero Conc. Trid. definiverit [1]: « Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, A. S. », « subiectum » illud *est omnis* etiam parvulus, sicut arguit Innoc. III in c. 3. De baptismo in Decret. [2], ubi inter plures quaestiones solvit primo illam de baptismo parvulorum adversus haereticos asserentes parvulis inutiliter Baptisma conferri. « Ad id respondemus quod Baptisma circumcisioni successit... Cum ergo circumcisio tam adultis quam parvulis ex praecepto Domini conferretur: ne baptismus qui successit loco ipsius, et generalior tamen existit, cum tam viri quam feminae baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis quam parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: " Anima cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo „ ita nunc indistincte vox intonat Evangelica: " Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei „: ab hac generalitate nec sexum nec aetatem excludens ». Et prosequens argumentum concludit: « Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo

[1] Sess. VII. De baptismo, can. 2. — [2] III, 42.

moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem ». Sed sicut probatum est quod « omnis », ita etiam *et solus homo,* nempe: speciei humanae individuum, quando adhuc sit *viator*, seu vivens, nam Salvator de his, ad quos docendos missionem dedit Apostolis, dixit: « baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », atque de quocumque mortuo scriptum est: « in quocumque loco lignum ceciderit, ibi erit » [1]. Attamen quia baptismus « iterari nequit », ut explicavimus in can. 732, § 1, limitatio subiecti capacis est, quod *nondum baptizatus* sit.

29. **Significatio iuridica parvulorum seu infantium et adultorum.** – Cum in sequentibus canonibus fiat horum vocabulorum usus omnes homines distinguentium, equidem ad facilius servandas diversas normas, subiungit illorum significationes § 2. *Cum agitur de baptismo;* non de aliis rebus, sed de hoc in quocumque Codicis loco:

1° *Parvulorum seu infantium nomine* alias adhibito *veniunt* ut regula generalis, *ad normam can. 88, § 3* de aetate positam, eo quod censentur « non sui compotes », attamen potius sequendo veritatem, ut innuit clausula: *qui nondum rationis usum adepti sunt,* quandocumque de hoc constet fortassis ultra septennium; propterea sequitur *eisdemque accensentur amentes* scilicet: in amentia seu habituali rationis defectu nunc temporis existentes sed *ab infantia,* et isti *in quavis aetate constituti.* — Caute notandum, quod haec clausula, etsi aliter videatur, non aequipollet alteri can. 88: « Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti », haec enim est amplior sub qua comprehenduntur quoque qui in amentiam inciderunt etiam post septennium, et alii.

2° *Adulti autem censentur* in iure de baptismo, quamvis proprie ad normam can. cit. parvuli seu infantes puerique vocentur, illi *qui rationis usu fruuntur,* etsi nondum expleto in aliquo casu septennio, *idque satis est ut suo quisque animi motu baptismum petat,* quia « iam quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturalis, incipit suae potestatis esse; et ideo propria voluntate... potest baptismum suscipere... Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum », ut ait D. Th. [2], *et,* si talis velit

[1] Eccle. XI, 3. — [2] 3 P., q. LXVIII, a. 10 c.

suscipere baptismum, subiungit canon: *ad illum admittatur*. Adducta distinctio bene notanda est propter diversum ordinem baptismi pro alterutris adhibendum iuxta Rit. Rom. [1].

30. **Quando et quomodo nondum plene nati sunt baptizandi.** – Huic quaestioni iam satisfecit D. Thomas [2], cuius doctrinae congruit Rit. Rom. [3] ex quo desumptus est can. sequens. Sic respondet D. Th. « quod Augustinus dicit: (Epist. ad Dardanum " Nemo renascitur, nisi primo nascatur „. Sed baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari, priusquam ex utero nascatur ». Et in corpore articuli affert hanc rationem: « de necessitate baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quaedam ablutio ut supra dictum est. Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua; nisi forte dicatur quod ablutio baptismatis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest, tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus pueri animati iam est formatum, et per consequens a corpore matris distinctum, et ideo baptismus quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris exsistentem... Et ita relinquitur quod nullo modo infantes in maternis uteris exsistentes baptizari possunt ». Hinc statuit *can. 746.* § 1. *Nemo in utero matris clausus baptizetur*, ut dicitur quoque in Rit. Rom. Sed quia hodierni medici asserunt, ope instrumenti posse aquam usque ad infantis corpus introduci, videtur ratio D. Thomae corruere, et quia efficacius est donum Christi ad salutem, quam peccatum Adae ad damnationem, ut Apostolus dicit, videtur ratio D. Augustini urgeri non posse in casibus omnino extraordinariis, cum sacramentum baptismi sit summae necessitatis. Ob has fortassis rationes, prohibitioni praefatae in canone additur limitatio: *donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit*. Si ergo talis spes prudenter evanescat, prohibitio cessat. — De tali autem baptismo clausi pueri loquitur S. C. C. quando [4] decrevit: « Fetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo sub conditione rebaptizetur ».

In responsione autem ad 4[m] (cit. art.) D. Thomas optimam

[1] Tit. II, cc. 2 et 4. — [2] Loc. cit., art. 11. — [3] Tit. II, c. I, nn. 16 seq. — [4] 12 Iul. 1794. Collect. de Prop. Fide, n. 647.

rationem affert sequentium canonis praescriptionum ex Rit. Rom. (loc. cit.): « expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit ». Idipsum enuntiat § 2. *Si infans* a) *caput emiserit, et* b) *periculum mortis immineat, baptizetur in capite,* non in alia parte quae etiam appareat; illoque baptismo dato, sequitur: *nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus.*

Alia pars disiunctivae consideratur in § 3. *Si aliud membrum emiserit* v. gr. brachium, manum, a) *in illo,* quodcumque sit non refert, *si periculum immineat, baptizetur sub conditione;* si potes baptizari, vel simili ex hoc quod sequitur: *at tunc, si natus vixerit,* e contra ac in praecedenti paragrapho, *est rursus sub conditione baptizandus.* Concordat huic praescriptioni D. Thomas, quando in textu ultimo citato prosequitur: « Et videtur idem faciendum (i. e. baptizandum), quaecumque alia pars egrediatur periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo... ». De qua in fine canonis loquar.

Pro nonnullis casibus oblivisci non debet responsio D. Thom. (ad 3^m^ loc. cit.): « non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ut dicitur (Rom. III, 8): et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur ». Et huic doctrinae concors est § 4. *Si mater praegnans mortua fuerit,* sive inopinato casu, sive ex infirmitate, etc. *fetus ab iis ad quos spectat* etiam iuxta leges civiles, quae in hoc sunt observandae, deferuntque fortassis munus ad chirurgos seu peritos, ab his ergo *extractus,* a) *si certo vivat, baptizetur absolute,* b) *si dubie,* ex quacumque probabili ratione, baptizetur *sub conditione;* a quo abstinendum in morali mortis certitudine (can. 745, § 1).

Demum decisionem S. C. C. relatam sub § 1^a^ meliori forma et generaliori transcribit § 5. *Fetus, in utero baptizatus,* sive illicite contra § 1^m^ sive licite secundum eumdem supra declaratum,

post ortum vivus saltem dubie, *denuo sub conditione baptizari debet* ex logica consequentia §§ praecedentium.

De forma conditionata in baptismo denuo conferendo Alex. III [1] docet: « De quibus dubium est an baptizati fuerint (intelligendum, de facto aut valide) baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, etc. ». Sed caput istud interpretandum est iuxta maiorem explicationem Rit. Rom. [2]: « Cum baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter: et ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum ». Id est: saltem non valide. Quae « vim suam retinent » ad normam can. 2.

31. **De baptizandis fetibus abortivis.** - Conc. Trid. [3] ait: « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti... anathema sit ». Unde optime statuit *can. 747. Curandum* cuilibet fideli pro circumstantiis *ut omnes fetus abortivi,* qui nempe prodierunt ante nonum mensem conceptionis, vel etiam septimum, et quacumque de causa eveniat abortus, nullaque inter illos distinctione, sequitur enim: *quovis tempore editi,* a) *si certo vivant*, quod est ex motu, colore, etc. deprehendendum, *baptizentur absolute*, b) *si dubie* vita donati sint, *sub conditione* tribuatur eis baptismus. Consultatio ergo medicorum et theologorum supponitur facta cum generali conclusione, quae pro casibus particularibus facienda dicebatur in resc. S. C. S. Officii [4].

32. **De baptizandis monstris et ostentis.** - *Can. 748. Monstra*, scilicet partus mulieris multum diversus ab exteriori humana forma, vel sicut ait Rit. Rom. (loc. cit., n. 19) « quod humanam speciem non praeseferat » *et ostenta*, videlicet: eiusdem partus cum membris ampliatis, vel diminutis aut multiplicatis, sed exterioris

[1] C. 2, tit. XLII, lib. III. Decretalium. — [2] C. I, n. 9. — [3] Sess. V, can. 4.

[4] 5 Apr. 1713, Collect. de Prop. F., n. 554. « In casibus propositis (nempe de baptismo fetus abortivi) si suppetat rationabile fundamentum dubitandi an fetus ille sit animatus anima rationali, tunc potest et debet baptizari sub conditione; si vero non suppetat rationabile fundamentum nullatenus potest baptizari. Ad videndum autem an sit rationabile fundamentum talis dubii, consulendi sunt medici et theologi in facti contingentia sive in casibus particularibus ».

humanae speciei, *semper baptizentur, saltem sub conditione* secundum dubium, v. gr. si tu es homo, si vivis; ac propter adverbium « semper » corrigitur Rit. Rom. (loc. cit.) praescribens « n. 16. In monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est, de quo si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat ». Quod semel pro casibus omnibus occasione codificationis factum fuisse censendum est, attento artis obstetriciae progressu. — Imo inter regulas quas de his ac ostentis successive tradit Rit. Rom. est: « 19. Monstrum, quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet », et hoc abrogatum manet vi huius canonis; viget vero (can. 2) « de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo, etc. ». — Quod in canone subditur: *in dubio autem unus ne an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione,* sic breviter continet praescripta quae in Rit. Rom. traduntur: « 20. Illud vero, de quo dubium est, una ne, aut plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur (nisi mors immineat): discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: Ego te baptizo, etc. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separati baptizentur, poterit Minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quam tamen formam in iis solum et in aliis similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias numquam licet adhibere... 21. Quando vero non est certum in monstro (seu ostentis) esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet distincta; tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo, etc. ».

33. **De baptizandis expositis.** - Iisdem omnino verbis ac in Rit. Rom. (l. c. n. 17) decernit *can. 749. Infantes expositi* forsitan in aliquo hospitali vel etiam alibi per quascumque personas, fortassis ob matris paupertatem vel ad vitandam infamiam, *et inventi* quacumque ratione derelicti aut deperditi, *nisi, re diligenter investigata,* quod prudenter adimplendum et quantum necessitas

permittat, *de eorum baptismo constet* ac certe valido, si ergo moralis certitudo non obtineatur, *sub conditione baptizentur*. Huic praescripto antiquo innititur resp. S. C. C. [1] apud Bened. XIV [2] et adhuc pro praxi utilis : « Quomodo se gerere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione Baptismatis infantibus, qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant, et etiamsi ex colore, et ceteris corporis qualitatibus deprehendatur, esse constitutos in aetate sex, aut decem mensium, vel etiam unius anni cum dimidio ? » – 15 Ian. 1724 responsum fuit : « esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis iuxta instructionem. Instructio est, quod excipiatur a Baptismo sub conditione casus schedulae, quae habeat certitudinem ». Videlicet secundum C. S. Officii [3] : « Si testimonium (de Baptismo collato) sit ab homine incerto, in re adeo gravi, ignoto testimonio deferri non potest, quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto baptismate a collo suspensam ferat, ut pro expositis utitur in locis quibusdam ».

34. **Quando infantes infidelium sint baptizandi.** – Quaesitum hoc circa liceitatem proponitur generaliori modo ac solvitur a D. Th. [4]. Ac respondet dicendum : « quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse ; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere... – Si vero nondum habent usum liberi arbitrii (nempe infantes ad normam can. 745, § 2, 1°), secundum ius naturale sunt sub cura parentum ideoque »... (ordinantur in Deum per rationem parentum, et secundum horum dispositionem sunt circa ipsos divina agenda, quem ordinem iuris naturae nemo debet irrumpere) [5] ob praetextum iuris divini quod baptismum singulis imponit, et in casu parentes urget. « Et ideo concludit : contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur »... Aliam dat rationem : « Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo (hoc est : ob has rationes iustificatur) non habet hoc

[1] 18 Dec. 1723. – [2] Inst. VIII, n. VIII. – [3] 5 Ian. 1724. Collect. de Prop. Fid., n. 645. – [4] 3ª P., q. LXVIII, a. 10. – [5] 1b, ad 3^m et 1^m.

Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur ». Scimusque consuetudinem Ecclesiae vim etiam iuris ecclesiastici habere. – Huiusmodi vero pueri quamvis iniuste, valide baptizarentur, idque faciendum est ex caritate, imminente mortis periculo, in quo illa iniustitia non concipitur. Huic doctrinae plene concordat ius scriptum in *can. 750.* § 1. *Infans infidelium* filius, « qui nondum rationis usum adeptus est » (can. 745, § 2, 1°), *etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine* qualibet de causa v. gr. morbo incurabili, a) *ut prudenter*, solido nempe rationabili fundamento *praevideatur* b) *moriturus antequam usum rationis attingat.* Cessat enim secunda ratio periculi contra religionem, nec iniustitia sed caritas exercetur pro ultimo vitae momento. Iam praeiverant duae Congr^{ns}. S. Officii decisiones [1] : « Cum filius hebraeorum consignatus fuisset nutrici christianae in deficientia nutricum hebraeorum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus, et S. C. declaravit praedictum puerum fuisse licite baptizatum ». Atque [2] ad quaesitum : « An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus? – Emmi. audito voto DD. Consultorum, dixerunt non licere, nisi in articulo mortis ».

Sed quandoque rationes supradictae aliter cessant, quos casus comprehendit sequens § 2. *Extra mortis periculum*, a) *dummodo catholicae eius educationi cautum sit*, conditio fundata in secura promissione illius, qui praestare id possit, vel in circumstantiis provide constitutis ac perduraturis iuxta prudentiam, *licite baptizatur,* quando cum illa conditione adversus periculum perversionis, concurrat una ex sequentibus auferens actus iniustitiam: – 1°. *Si parentes* proximiores *vel tutores*, quibus patria potestas iure delata sit, *aut saltem unus eorum*, cui utpote suo iure recte utenti est deferendum, *consentiat* circa infantis sui baptismum ; – 2°. *Si parentes*, ad quos natura pertinet potestas in pueros, *idest: pater, mater, avus, avia* ex parte alterutrius illorum, *vel tutores,* quibus illa potestas legitime derivatur, a) *desint*, b) *aut ius in eum amiserint,* prout in his duobus casibus ratio patet, c) *vel illud exercere nullo pacto queant*, eo quod iniuria nulla eis tunc fiat.

35. **Eadem quaestio de infantibus acatholicorum.** – Rationes urgent et periculi ratio nonnunquam fortior, quando pa-

[1] 1 Nov. 1678, III. — [2] 18 Feb. 1705, II.

rentes baptismum susceperunt quidem, sed acatholici sunt ac fortassis catholicae religioni adversarii. Propterea, quamvis Ecclesia eos vel iure cogere posset ad consentiendum propriae baptizandi filios obligationi, vel supplere iuridice, attamen periculum semper subesset, nec expectanda foret obedientia acatholicorum parentum. Hinc opportune idipsum praescriptum ad hos infantes extenditur in alio *can. 751. Circa baptismum infantium* qui sint filii a) *duorum haereticorum* fortassis valide baptizatorum, sed qui sunt adscripti alicui sectae et numquam religioni catholicae adhaeserunt, b) *aut schismaticorum*, Ecclesiae schismaticae in antecessum adscripti, c) *aut duorum catholicorum qui* a) *in apostasiam* b) *vel haeresim*, c) *vel schisma*, prout in can. 1325, § 2 [1] definiuntur, *prolapsi sint*, utrique in eamdem aut in diversam ex illis, (nam si unus ex parentibus catholicus esset cum patria potestate, saltem ex sui natura non esset casus in canone comprehensus), *generatim serventur normae in superiore canone constitutae.* Supponit ergo canon aiens « generatim » posse dari circumstantias, in quibus licite contrario modo agendum sit. Hucusque de infantibus.

36. **Dispositiones adulti baptizandi**. – Quatuor requisita pro adultis recensentur in Rit. Rom. sed non sunt aequalis necessitatis. (Ib. C. III, n. 1). « Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam, in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, eiusque voluntas et propositum saepius explorari » ut nempe deprehendatur recta intentio, frausque omnis absit, quae forsitan cum fidei detrimento subreperet. Explicitque Rituale Romanum verbis *canonis 752. Adultus*, a) *nisi sciens et volens*, b) *probeque instructus, ne baptizetur :* et hoc ultimum ut cum fide accedat, recipiatque Baptismi effectum seu rem sacramenti, nam « accedentem ad Deum oportet credere » [2] et Marci ult. « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur », non iuvante solo baptismo. Alia vero conditio « sciens et vo-

[1] Can. 1325. § 2. Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus ; si a fide christiana totaliter recedit, apostata ; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est.

[2] Ad Hebr. XI, 6.

lens » ad baptismi validitatem requiritur, iuxta omnes Auctores et ordinarium Ecclesiae magisterium. Cui consonat D. Th. [1] dicens: « quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus; si tamen hoc non constaret, esset dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo ». Et ratio quam affert in corp. art. est: « quod per baptismum aliquis moritur veteri vitae peccati, et incipit quamdam vitae novitatem secundum illud [2]: " Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus „. Et ideo sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitae, requiritur, secundum Augustinum, in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitae poeniteat (quapropter additur in canone: prout in Rit. Rom. dicitur (l. c. n. 10) c) *insuper admonendus ut de peccatis suis doleat*), ita requiritur voluntas qua intendat vitae novitatem, cuius principium est ipsa susceptio sacramenti; et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum ». Et de his tribus professio externa fit a baptizando iuxta Ordinem baptismi adultorum in Rit. Rom. [3].

Quamvis intentio ac dolor de peccatis solo actu voluntatis absque temporis mora perfici queant, non sic de instructione dici potest, propter quod (l. cit. in n. 2) dicitur: « At vero si quis dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel necessitatis, baptizetur »; prae oculis tamen habita in praxim deducenda responsione C. S. Officii [4]. « Quaeritur, utrum antequam adulto conferatur Baptisma... non sufficeret si moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convalescet, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit. Resp. Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis ». Explicatio vero summaria sufficit. Et hanc decisionem explicativam canonis praesentis videtur Codex innuere, dum sic exprimitur § 2. *In mortis autem periculo*, instruendus etiam probe ut in § praec., sed *si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui*, summarie tamen instruen-

[1] 3 P. q. LXVIII, a. 7 ad 2[m]. — [2] Rom., VI. 4. — [3] L. c., cap. 4, nn. 35, 39, 43. — [4] 22 Ian. 1703, Ep. Quebec. Collect. S. C. de Prop. Fide n. 549.

dus erit non incapax, *satis est, ad baptismum conferendum* ei licite, *ut aliquo modo* a) *ostendat se eisdem assentire* h. e. credere, b) *serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum*, quod dolorem de peccatis praesupponit.

Circa intentionem ad susceptionem baptismi necessariam, ut supra dictum est, praxis dirigitur a § 3. *Quod si baptismum ne petere quidem queat*, forsitan sensibus destitutus vel amissa loquela, ac supplendum est : positus « in mortis periculo », *sed vel antea* sanus vel iam infirmus *vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo*, qui rationabile fundamentum petitionis baptismi praebeat, *intentionem illum suscipiendi*, tunc quidem *baptizandus est sub conditione ;* si es volens et, nisi constet : si es dispositus. Additur tamen monitio obligatoria : *si* a) *deinde convaluerit*, a) *et dubium de valore baptismi collati permaneat*, praevia inquisitione de voluntate habita, *sub conditione :* si non es baptizatus, *baptismus rursus conferatur*, praevia diligentiore possibili instructione, qua fortassis indigeat.

37. **De servandis in baptismo adultorum.** – Demum ex eod. Rit. (ib. 8). « Pro huius veneratione Sacramenti » est *can. 753.* § 1. *Tam sacerdotem* (etiam Ordinarium loci) *qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos* (*qui*, cum infirmi ac moribundi quandoque existant, additur, *sani sint*) *decet esse ieiunos :* mutato verbo Rit. Rom. « convenit », ut puto ad innuendam obligationem etsi levem.

E contra est grave sequens praescriptum, ut patet ex initio § 2. *Nisi graves urgentesque causae obsint* v. gr. nimia difficultas servandi ieiunium eucharisticum quoad praescriptum secundum : *adultus baptizatus*, a) *statim Missae sacrificio assistat*, etsi dies non sit festus de praecepto, b) *et sacram communionem percipiat* convenienter intra missam, quod videtur implicite iuberi. Ita ex (n. 56 l. c.) Rit. Rom. ubi praemittitur non abrogata (can. 2) clausula : « Si adsit Episcopus, qui id legitime praestare possit, ab eo Neophyti Sacramento confirmationis initiantur ».

Addendam utiliter censeo Instructionem S. Officii [1] quam Emmi DD. decreverunt dandam esse proposito dubio R. P. D. Episcopo Philadelphiae circa professionem fidei ac absolutionem haereticorum

[1] 20 Iul. 1859. Collect. S. C. de P. F. n. 1178.

dum convertuntur, in qua de baptismo eis dando vel non et quo modo, cavetur.

« In conversione haereticorum inquirendum est. 1. de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peracta, adhuc probabile dubium de validitate baptismi supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus:

1. Si baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abiuratio vel absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum regenerationis.

2. Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit:

a) abiuratio seu professio fidei; *b*) baptismus conditionatus; *c*) confessio sacramentalis cum absolutione conditionata ». De his duobus numeris utile scitu est Dec. S. C. S. Officii 2 Dec. 1874 Grass-Valley, Collect. S. Cong. de Prop. F. n. 957.

« 3. Quando denique validum iudicatum fuerit baptisma, sola recipitur abiuratio seu fidei professio quam absolutio a censuris sequitur. . . . . .

(Notandum vero abiurationem seu professionem fidei aliam esse ab ea quae habetur in Bulla Pii IV. Nam a suprema S. Officii Congreg. praescripta fuit illa, quae adnectitur, pro conversione haereticorum). Si tamen nonnunquam eiusmodi neo-conversus valde desideret ut ritus in eius baptismo olim omissi, hac occasione suppleantur, sacerdos huic pio eius voto morem gerere utique liberum habet. Debet tamen in tali casu adhibere ordinem baptismi adultorum, et mutare mutanda ob baptismum iam valide susceptum ».

Sequitur ritus et formula professionis fidei...

Denique aliqua poenitentia salutaris imponatur converso.

De omnibus aliis adultis « vim suam retinent » (can. 2) quae sequuntur:

Ex Rit. Rom. (ib. 14). « Sacerdos diligenter curet, (pertinet ergo ad Parochi officium), ut certior fiat de statu et conditione eorum, qui baptizari petunt, praesertim exterorum: de quibus facta diligenti inquisitione, num alias, ac rite sint baptizati, caveat, ne quis iam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quaestum, vel ob

aliam causam, fraude dolove iterum baptizari velit ». Ad hoc praecipue dirigenda est inquisitio.

« 15. Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediat, sub conditione baptizentur ». Et notetur distinctio inter parvulos baptizandos semper sub conditione, extante dubio probabili, et adultos sub hoc dubio, qui hic dicuntur sub conditione baptizandi, si nihil impediat. Ratio ; quia isti, non parvuli, possunt absolute aeternam consequi salutem cum flaminis baptismo.

38. De laborantibus mentis defectu habitualiter quoad rationis usum. - Omnino congruit Rit[1]. Rom°. [1] *can. 754.* § 1. *Amentes* idest : sine mente, seu rationis usu carentes habitualiter ob infirmitatem (*et* qui, si non sint pacifici, sed iracundia agitentur, dicuntur proprie *furiosi*) *ne baptizentur, nisi tales* scilicet : huiusmodi infirmitate fuerint affecti *a nativitate, vel ante adeptum rationis usum,* videlicet : intra primum septennium in illam prolapsi *fuerint ; et tunc* (in casibus nempe exceptionis) *baptizandi sunt ut infantes,* consequenter dicto (can. 745, § 2, 1°) « infantibus accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti ».

§ 2. *Si autem dilucida habeant intervalla,* scilicet : rationis usu fruantur ad tempus, sicut his infelicibus quandoque contingit ; pro his ergo praescriptum est : a) *dum mentis compotes sunt,* non alio tempore, *baptizentur*, ut fructuose servatis servandis baptismum recipiant, b) *si velint,* prout est tunc necesse ad validitatem iuxta explicatam normam can. 752.

Sed nonnunquam in statu amentiae valent baptizari. Quandonam vero determinat § 3, *Baptizentur quoque* (particula « quoque » innuit hoc praescriptum esse observandum tanquam praecedentis §[1] complementum circa illos, de quibus positum est vetitum sub §° 1° « ne baptizentur », atque sunt « amentes et furiosi » post adeptum rationis usum, sive « lucida habeant intervalla » ut in §° 2°, sive non) (²), a) *imminente periculo mortis, si,* b) *antequam insanirent* primo vel in praehabito lucido intervallo, (supponuntur autem nunc mentis usu privati) c) *suscipiendi baptismi desiderium ostenderint* quocumque modo, ut validitati baptismi provisum sit.

[1] Loc. cit. nn. 11, 12, 13. — (²) Non obstante quod dixi in editione 1ª, sic corrigendum.

Extra praedictos casus non baptizentur, quia ob defectum intentionis nullum esset baptisma ex dictis ad can. 752.

Restat considerare illos qui non habitualiter, sed ex accidentali infirmitate actu destituuntur rationis usu, de quibus est § 4. *Qui lethargo*, quo in sensibus internis sopiuntur, *aut phrenesi*, qualibet alia mentis alienatione, *laborat* actu transeunti, *vigilans tantum* post illos excessus *et volens baptizetur; at si periculum mortis impendeat*, tunc veluti habitualiter usque ad mortem amentes tractandi sunt et *servetur praescriptum* § 3.

CAPUT III.

De ritibus et caeremoniis baptismi.

CAN. 755. - § 1. Baptismus sollemniter conferatur, salvo praescripto canonis 759.

§ 2. Loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum.

CAN. 756. - § 1. Proles ritu parentum baptizari debet.

§ 2. Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.

§ 3. Si unus tantum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est.

CAN. 757. - § 1. In baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta.

§ 2. Si aqua benedicta in baptisterio adeo sit imminuta, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia.

§ 3. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem, bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat ac proprio ritu in suis liturgicis libris praescripto benedicat.

CAN. 758. - Licet baptismus conferri valide possit aut per infusionem, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, retineatur, secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros.

CAN. 759. - § 1. In mortis periculo baptismum privatim conferre licet; et, si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur.

§ 2. Extra mortis periculum baptismum privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizentur.

§ 3. Caeremoniae autem quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur, nisi in casu de quo in § 2.

CAN. 760. - Cum baptismus sub conditione iteratur, caeremoniae, si quidem in priore baptismo omissae fuerunt, suppleantur, salvo praescripto can. 759, § 3; sin autem in priore baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt.

CAN. 761. - Curent parochi ut ei qui baptizatur, christianum imponatur nomen; quod si id consequi non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicuius Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant.

39. **Inscriptio capitis.** - Deinde transire oportet ad *Caput III. De ritibus et caeremoniis baptismi*, scilicet: non solum de formu-

lis et actionibus, quas in baptismi administratione ius ecclesiasticum servandas constituit, sed etiam de aqua in eiusdem collatione adhibenda. De his autem memorari praestat, quae ait D. Th. [1] « Ecclesia regitur Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur », et infra in corpore art. horum rituum et caeremoniarum generales rationes sic reddit:

« Quae quidem adhibentur in sacramento propter tria: primo quidem ad exercitandam devotionem fidelium et reverentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus aestimaretur quasi quaedam communis ablutio. Secundo ad fidelium instructionem. Simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas et aliqua huiusmodi; et per hunc modum per ea quae in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel sollicitantur ad quaerendum de his quae per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo quia praeter principalem sacramenti effectum, oportet quaedam alia scire circa baptismum, conveniens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis repraesentarentur. Tertio quia per orationes et benedictiones et alia huiusmodi cohibetur vis daemonis ab impedimento sacramentalis effectus » suscipiendi et conservandi.

40. **Ordo canonum**. – Non vero de omnibus ritibus ac caeremoniis Codex loquitur, sed relictis in vigore ceteris, generaliter loquitur de sollemnitate can. 755, et de sequendo ritu inter varios catholicos pro unoquoque baptismo edicit can. 756, de aqua baptismali eaque utendi modo sunt canones 757, 758, de omissione caeremoniarum deque his supplendis alii duo canones 759, 760 sequuntur, atque postremus 761 est de nomine imponendo ei qui baptizatur.

41. **De baptismi sollemnitate.** – Tamquam generalis norma servandus *can.* 755. § 1. *Baptismus sollemniter* (can. 737, § 2) *conferatur*, cuius regulae exceptio est: *salvo praescripto can.* 759 infra explanando.

In Rituali Romano Tit. II sunt duo capita sic inscripta: « Caput II. Ordo baptismi parvulorum », « Caput IV. Ordo baptismi adultorum ». Haec respicit statutum § 2. *Loci Ordinarius potest*, quod si non exprimeretur, « a generalibus Ecclesiae legibus illi

[1] III P. q. LXVI, art. 10; Sed contra.

dispensare nequeunt » (can. 81), nec ex levi, sed *gravi et* simul ex motivo per rationem non passione approbando, idest: *rationabili de causa indulgere* pro uno vel pluribus casibus vel ad tempus particulariter, *ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium* in cap. II citato *adhibeantur in baptismo adultorum* loco earum quae describuntur in cap. IV citato.

42. **Ritus pro unoquoque baptismo.** – Cum in can. 98 de personis statuatur « § 1. Inter varios catholicos ritus (ibi declaratos) ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit » cum exceptionibus ibi explicatis, norma generalis pro adscribenda ritui determinato persona ex baptismo ponitur in *can. 756*, § 1. *Proles ritu parentum* scilicet: patris et matris *baptizari debet.*

Cum non obstet matrimonio ritus diversitas, possibili casui ex § 4 can.[e] cit.[1] aptat normam praecedentem § 2. *Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem,* sive vir sive mulier *proles* utriuslibet sexus *ritu patris baptizetur,* salvis exceptionibus: *nisi aliud iure speciali* quoad locum vel quoad ritum legitime condito ac fortassis consuetudinario *cautum sit.* Et in §[1] 2[ae] casu « de iis agitur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt ». Inter diversos vero ritus orientales parentum Codex tacet praeferentiam, « quia unam respicit Latinam Ecclesiam », (can. 1).

Quia vero multi sunt acatholici illorum rituum, necessarium fuit quod addit § 3. *Si unus tantum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est.* Ac iuste prorsus.

Possunt casus fingi possibiles canone non comprehensi, nec mirum, quia leges sunt pro his « quae et frequenter, et facile, non quae perraro eveniunt » [1]. Nec puto loquentem de prole canonem intelligendum de adultorum baptismo, quorum libertati electionis esset favendum, si nihil rationabile obstaret.

43. **De aqua sollemnis baptismi.** – *Can.* 757 § 1. *In baptismo sollemni,* ut definitur in can. 737 § 2, *adhibenda est aqua ad hoc* specialiter *benedicta,* et quapropter in documentis solet vocari aqua baptismalis, et de qua dicitur in Rit. Rom. (l. c. cap. I, n. 4) « sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis vel Sabbato Pentecostes », quod fit cum immixtione chrismatis et olei

[1] D. Lib. I, tit. III l. 5.

sacri catechumenorum, diversimode ac lustralis seu aqua simpliciter benedicta in fidelium usum. — Pro locis vero missionum praecipue, huc referendum est Dec. S. C. S. Officii [1] « Quando non habetur aqua baptismalis, adhibenda est (quando fieri potest) aqua benedicta iuxta formulam in novis editionibus et in Appendice Ritualis Romani, secus adhibenda est aqua naturalis ». Adhibenda est nempe illa Benedictio fontis Baptismi, quae adest post Ritus de Sacramento Baptismi; et illa brevior quae habetur in Appendice Rit. Rom. tantum ex speciali Sedis Apost. indulto [2] adhiberi potest [3].

Opportune quoque afferendum Dec. C. S. Officii [4] « An in locis ubi non adest ecclesia parochialis neque fons baptismalis (et a fortiori hic tantum), conferri possit Baptisma cum omnibus sollemnitatibus et caeremoniis Ecclesiae consuetis? R. Posse imo teneri uti illis caeremoniis quibus possunt uti ». Etiam quando ex praecedenti Dec. usus fiat aquae naturalis.

De ipsa benedictione *fontis baptismalis in Sabbato Sancto* praesertim, sequentia Decreta sunt servanda: I. Ex S. Rit. Congr. [5] « 1. An talis benedictio... fieri debeat cum Chrismate et Oleo praecedentis anni; vel potius omittenda sit infusio Chrismatis et Olei usque dum haec accipiantur recenter consecrata. ... Ad 1. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. 2. An in Baptismo sollemni infantium utendum sit... aqua consecrata praecedenti anno, quae ad hunc finem conservetur... Ad 2. Negative; sed fieri debet nova Fontis benedictio cum Oleis anni praecedentis, ceu provisum in 1ª parte superioris dubii... 3. Utrum supposito quod Aqua baptismalis benedicta iam fuerit cum veteribus Oleis, eo quod Olea recenter consecrata non haberentur; infundi debeat in Piscinam donec nova recipiantur Olea, et cum his alia benedicatur Aqua iuxta Caeremonias Ritualis Romani? an vero illa prima aqua conservari et uti debeat usque ad benedictionem in Vigilia

[1] Ex Coll. S. C. de Prop. Fide, n. 517, 22 Iun. 1883.

[2] Tale indultum obtinent Vicarii ac Praefecti Apostolici per facultates S. Congr. de P. F. (excepta Form. prima), nempe: n. « 1. Concedendi suis missionariis facultatem *benedicendi aquam baptismalem* ea breviori formula, qua Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit ». Sic est designata in Appendice Rit. Rom., et est prima quae in ea occurrit.

[3] Vid. etiam Instr. S. C. de P. F. 11 Sept. 1779, n. 504, Collect. — [4] 28 Feb. 1663, ex Collect. S. C. de P. Fide n. 598. — [5] 23 Sept. 1837, n. 2773.

Pentecostes, prout in Missali?... Ad 3 negative ad primam partem; Affirmative ad secundam ».

Huic responsioni limitatio statuitur in alio Decreto S. C. R. [1] « Dub. III. An cum nova Olea sacra recipiuntur, nova aqua baptismalis consecrari debeat, vel potius aqua iam antea *cum veteribus oleis extra Sabbatum Sanctum consecrata,* adhuc inservire possit?... Ad III. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

Ex Dec.° praecedenti. « 4. Utrum in Baptismo solemni ungendi sint infantes Oleo et Chrismate praecedentis anni, dum recenter consecrata non habentur? an vero omittenda sit haec caeremonia et postea supplenda, quum novum Oleum et novum Chrisma recipiantur?... Ad 4. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

Videretur opponi responsionᵉ. praecedentibus ad 1.ᵐ et 2.ᵐ quod responsum fuit ab eâdem S. C. Rit. [2] « Ad 3. Qui vero (Parochi) ante Fontis benedictionem Olea sacra recipere non poterunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt ».

Sed concordantia eorum traditur nobis [3] a S. C. Rit., nempe: « Pro diversitate circumstantiarum in praxi utrumque Decretum (n. 2436, Lucana, et n. 2773, Oriolen.) servari posse; nam in Lucana supponitur quod in aliquo fortuito casu Olea sancta ad breve tempus retardentur; et in Oriolen. loquitur de omnimoda impossibilitate habendi Olea sancta a propria Cathedrali vel a vicinioribus Dioecesibus ».

§ *2. Si aqua benedicta*, scilicet: baptismalis ex verbo quod sequitur: *in baptisterio*, et de hoc iubet Rit. Rom. [4] « Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, et aliae sordes intra non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago S. Ioannis Christum baptizantis ». Igitur si « aqua in eo » *adeo sit imminuta* qualibet ex causa, *ut minus videatur sufficere* ex prudenti iudicio, *alia non benedicta admisceatur*, quo semel facto, propter idem iudicium *etiam iterato*, non pluries, sub cuiuslibet admixtionis conditione: *minore tamen copia* respectu ha-

[1] 19 Apr. 1890, n. 3724. — [2] 12 Apr. 1755, n. 2436. — [3] Collect. S. C. de P. F. 12 Aug. 1854. — [4] Tit. I. C. I n. 30.

bito ad remanentem aquam, seu applicatur illud axioma: maior pars trahit ad se minorem.

§ 3. *Si vero* ex contingenti casu involuntario aut culpabili a) *corrupta fuerit* aqua, b) *aut effluxerit*, c) *aut quovis modo defecerit* totaliter, *parochus* (cuius est eam benedicere vi huius can.[a]) *in fontem* (sic etiam vocatur baptisterium) a) *bene mundatum ac nitidum* scilicet: cum perfecta munditie b) *recentem aquam* idest: puram ex decurrentibus in praesenti haustam *infundat* c) *ac proprio ritu* pro his casibus *in suis liturgicis libris*, nempe: pro ritus diversitate peculiaribus, *praescripto benedicat*.

Pro quisbusdam regionibus utilis absdubio est sequens Rit. Rom. admonitio (sub. n. 7) « Sed si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et eâ tepefactâ ad baptizandum uti, ne noceat infantulo ». Isti duo tantum casus permissae admixtionis praefatae dantur.

44. **De modo abluendi ad baptizandum.** - *Can. 758. Licet baptismus valide conferri possit* ubicumque et pro quolibet baptizandi ritu *aut* a) *per infusionem* aquae super baptizandum, b) *aut per immersionem* baptizandi in aquam, c) *aut per aspersionem*, a) *primus tamen vel* b) *secundus modus, aut* d) *mixtus ex utroque* (relicto altero per aspersionem) *qui magis sit in usu, retineatur*, extendendus quoque contra c) tertium, si opus fuerit, ac etiam in baptismo non sollemni. Sequens clausula *secundum probatos diversarum Ecclesiarum* particularium *rituales libros* est interpretanda pro sollemni baptismo ac de maiori ablutionis determinatione. V. gr. in Rit. Rom. dicitur: « ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur (uti alias explicavi), et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians ». Quod ultimum pertinet ad baptismi validitatem, secus namque forma careret veritate. Sed quoad trinam ablutionem vel immersionem et quoad modum crucis exhibet Rituale caeremonias sollemnis Baptismi.

45. **De baptismo privato licito.** - Praecedentes canones exposuerunt normam generalem can. 755, § 1: de illius exceptione agit *can 759*. § 1. *In mortis periculo* regula est: *baptismum privatim* « seu non sollemnem » (can. 737, § 2) *conferre licet;* adhi-

bita distinctione: *et* a) *si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit nec diaconus*, quod plene licet, si absint, vel non deceat ex can. 742, § 2, *ea tantum,* ergo derelicta quoque aqua benedicta commode habenda et nulla mixtione peracta, *ponantur*, scilicet: nihil aliud praescriptum est praeter ea *quae sunt ad baptismi validitatem necessaria* iuxta explicationem can.s 737, § 1 quoad materiam et formam, can.s 742 circa intentionem ac praec. can.s 758 quoad ablutionem, nam, ut ait D. Th. [1]: « De necessitate quidem sacramenti est forma, quae designat principalem causam sacramenti; et minister, qui est causa instrumentalis; et usus materiae scilicet: ablutio in aqua, quae designat principalem sacramenti effectum. — Cetera vero omnia, quae in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quamdam sollemnitatem Sacramenti ». Hoc in loco practicae utilitatis esse potest sequens dec. Sacr. Congr. Inq. [2]: « Archiepiscopus Ultraiectensis ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humiliter exponit, quae sequuntur: — Plures medici in nosocomiis aut alibi in casu necessitatis infantes, praecipue in utero matris, baptizari solent aqua cum hydrargyro bichlorato corrosivo (chloride de mercure) permixta. Componitur fere haec aqua solutione unius partis chlorati hydrargyrici in mille partibus aquae; eaque solutione aquae potio venefica est. Ratio autem, cur hac mixtura utantur, est, ne matris uterus morbo afficiatur. — Quae cum ita sint pro maiori rei gravissimae securitate Sanctitatem Vestram enixe rogo, ut haec dubia solvere dignetur: — 1° Estne baptisma cum huiusmodi aqua administratum certo, an dubie validum? — 2° Estne licitum, ad omne morbi periculum vitandum, huiusmodi aqua sacramentum baptismatis administrare? — 3° Licetne etiam tunc hac aqua uti, quando sine ullo morbi periculo, aqua pura adhiberi potest? » — Responsum autem est: « Ad 1m Providebitur in 2°. — Ad 2m Licere, ubi verum adest morbi periculum. — Ad 3m Negative ». — Prosequitur canon: b) *si a sacerdote vel diacono* conferatur baptismus de quo in canonis principio, *serventur quoque* ex hoc praescripto α) *si tempus adsit,* coeremoniae β) *quae baptismum* idest: ablutionem necessariam ad validitatem *sequuntur* in libris liturgicis propriis. Conformiter ad Dec.m S. C. Rit. in Versalien. [3]: « I. An,

[1] III P. q. LXVI, a. 10, corp. — [2] 21 Aug. 1901. — [3] 23 Ian. 1941, CO. VI. 75.

in administratione Baptismi, quando imminet periculum mortis, post infusionem aquae, urgeat sub gravi Ritualis Rom. praescriptum quoad unctionem Chrismatis, traditionem linteoli et cerei? II. Quum in Versaliensi dioecesi et, uti fertur, nonnullis circumstantibus locis, obsoleverit usus addendi hos ritus in casu enunciato, nonne curandum est, ut isti ritus stricte adimpleantur, et Sacerdos in casu Sanctum Chrisma, linteolum cereumque secum deferre atque adhibere debeat?... Ad I et II standum Rituali Romano ».

§ 2. *Extra mortis periculum* norma generalis can. 755, § 1 servanda est, imo ad normam can. 81 [1] *baptismum privatum* (can. 737, § 2) *loci Ordinarius* (can. 198, § 2) *permittere nequit*, sed potius urgere debet ut sollemniter conferatur ad normam can. 336, § 1, com unica exceptione: *nisi agatur* a) *de haereticis*, ut plurimum alicuius sectae in qua baptismus conferatur, *qui* b) *in adulta aetate* c) *sub conditione baptizentur* ad normam Instructionis relatae ad can. 753, atque ob hanc tantum causam. Enimvero notanda est diversitas huius permissionis cum facultate solum mutandi ordinem baptismi sollemnis capp. II et IV Rit. Rom. (non iam omittendi caeremonias prout hic) concessa in § 2, can. 755 et non restringenda ad haereticos, quamvis propter gravem et rationabilem causam exercenda.

Respectu ad § 1 sed cum ampliatione ad quoscumque etiam contra illum $\S^{m}$ illicitos casus, adest praescriptum in § 3. *Caeremoniae autem quae in baptismi collatione* quamvis solemni, sed notabiles quantitate aut qualitate *praetermissae quavis ratione* forsan necessitatis *fuerint* v. gr. licite omnes pro parte § 1, praecedentes baptismum pro eiusdem $\S^{i}$ secunda parte, a) *quamprimum* et quoad locum b) *in ecclesia suppleantur*, cum exceptione ad praeveniendum dubium si cuicumque oriretur: *nisi in casu de quo in § 2*. De hoc § 3^{i} praescripto sic legitur in Rit. Rom. [2]: « Ordo supplendi omissa super baptizatum:... idemque ordo ac ritus servetur qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus est. Excepto quod interrogatio: an velit baptizari, formaque baptismi et ablutio praetermittuntur,

[1] Can. 81. A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa...

[2] Loc. cit. cap. V.

et quaedam Orationes et Exorcismi suo quique loco immutati, ut infra dicuntur ».

46. **An baptisma sub conditione sit sollemniter conferendum.** - *Can. 760. Cum baptismus sub conditione iteratur,* equidem propter rationabile dubium ut dictum est supra, quoad huius sollemnitatem (ob baptismum qui praecessisse supponitur) distinguendum est hoc modo: *caeremoniae,* a) *si quidem in priore baptismo omissae fuerunt, suppleantur, salvo praescripto can. 759, § 3,* scilicet: « quamprimum in Ecclesia... nisi in casu... § 2 »: b) *sin autem in priore baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt* pro libitu.

47. **De nomine christiano imponendo.** - Rit. Rom. haec habet [1]: « Et quoniam iis qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in eius militiam adscribendis, nomen imponitur, curet (parochus) ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur ». Ob rationes hic insertas, ista praescriptio non est merum consilium, sed tamen prudenter adimplenda, quod ita expressit *can. 761. Curent parochi* ex praescripto *ut ei qui baptizatur* sive a se, sive ab alio, *christianum imponatur nomen,* ut supra ex Rit. Rom. est declaratum; *quod si id consequi non poterunt,* implicite igitur canon exigit curare quantum possibilitas moralis cum prudentia christiana permittit, a) *nomini a parentibus,* quorum ius determinandi nomen recognoscitur, *imposito addant nomen alicuius Sancti* eodem in baptismo, b) *et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant,* atque id iussum est ad fidem baptismi pro futuro indubie faciendam.

CAPUT IV.

De patrinis.

Can. 762. - § 1. Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo sollemniter baptizetur, nisi suum habeat, quatenus fieri possit, patrinum.

§ 2. Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem.

[1] Tit. II, c. I, n. 54.

CAN. 763. - § 1. Cum baptismus iteratur sub conditione, idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit; extra hunc casum in baptismo conditionato patrinus non est necessarius.

§ 2. Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit.

CAN. 764. - Patrinus unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur.

CAN. 765. - Ut quis sit patrinus, oportet:

1.° Sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2.° Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

3.° Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi;

4.° Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus;

5.° Baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis.

CAN. 766. - Ut autem quis licite patrinus admittatur, oportet.

1.° Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur;

2.° Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;

3.° Fidei rudimenta noverit;

4.° In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis;

5.° In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia.

CAN. 767. - In dubio utrum quis valide vel licite admitti possit, necne, ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium.

CAN. 768. - Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.

CAN. 769. - Patrinorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere atque in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia spoponderunt.

18. Inscriptio cap. IV. - Ut complementum capitis praecedentis haberi potest *Caput IV. De patrinis*, scilicet: de his qui supplent naturalem impotentiam baptizandi ad profitendam fidem, ad abrenuntiationes requisitas et ad petendum baptismum, atque sponsores fiunt apud Deum et coram Ecclesia de adimplemento ex parte baptizati obligationum susceptarum.

19. Ordo canonum. - Circa hoc paedagogiae spiritualis munus, necessitatem ipsius ex iure ecclesiastico pro baptismi liceitate determinant can. 762, 763, de numero patrinorum statuit can. 764, quem subsequuntur duo alii, videlicet: 765, 766 de qualitatibus seu requisitis, ut quis iure fiat patrinus, et ut licite hoc munus in baptismo exerceat, ac dubia solvenda sunt secundum normam canonis 767; de spirituali cognatione decernit can. 768, quae unus est ex effectibus muneris suscepti, aliusque exponitur in can. 769.

50. **Necessitas iuridica patrinum adhibendi.** - *Can 762.* § 1. *Ex vetustissimo Ecclesiae more,* qui iuris ecclesiastici vim habet, *nemo sollemniter baptizetur* (adeo severe ac generaliter statuitur) *nisi suum habeat,* praevie igitur designandum, *quatenus fieri possit,* sola ergo impossibilitas etsi moralis excusat, *patrinum* in inscriptione declaratum. Ratio huius moris redditur a D. Th. [1]: « spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur I Petri, II: " Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite „. — In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam; ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt circa communem curam populi occupati; parvuli enim et novitii indigent speciali curâ praeter communem, et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem et tutelam. Et hoc est quod Dionysius dicit [2]: Divinis nostris ducibus, idest, apostolis, ad mentem venit, et visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis paedagogo, et reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre, et salvationis sanctae susceptore ».

Etsi patrinus ad baptismi sollemnitates adhibeatur, propter munus eius in quocumque baptizato necessarium ait § 2. *Etiam in baptismo privato patrinus,* tantummodo *si facile haberi queat,* tunc ex praecepto *adhibeatur;* sub conditione autem *si non interfuerit* sive ex causa sive absque illa, sequitur praeceptum: *adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis,* qui proinde verus patrinus esset, quamvis altero careat effectu iuridico can. 768. Porro addit canon: *sed hoc in casu* et en prima exceptio can. 768, (quod sequitur non est applicandum aliis casibus, v. gr. adhibito baptismi privati patrino ex prima §[i] parte) *nullam contrahit cognationem spiritualem.*

Quaeri poterit, num, si « patrinus in baptismo privato interfuerit », sit adhibendus quoque « in supplendis baptismi caeremo-

[1] 3[a] P. q. LXVII, a. 7. — [2] Ult. cap. Eccles. Hier. versus fin.

niis ». — Resp. affirmative ad normam can. 759, § 3, quia rituale romanum esse adhibendum patrinum requirit, sed a fortiori « nullam (ex hoc) contrahit spiritualem cognationem ».

51. **De patrino baptismi sub conditione.** - Canon praecedens consideravit baptismum absolutum, aut caeremoniarum supplementum. Sequitur *can. 763.* § 1. *Cum baptismus iteratur,* proinde *sub conditione* de prioris invaliditate, *idem patrinus* prioris baptismi dubii, a) *quatenus fieri possit* eo quod incommodum grave non obstet, *adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit; extra hunc casum* eiusdem patrini baptismi, *in baptismo conditionato patrinus non est necessarius:* quamvis forsitan sine patrino maneat baptizatus.

De effectu iuridico can. 768 cavet § 2. *Iterato baptismo sub conditione* eadem ac in §° praecedenti, *neque patrinus qui priori baptismo adfuit,* forsitan solemni ex praescripto gravi § 1, can. 762, vel privato quando facile potuit haberi patrinus ex iussu § 2 eiusdem canonis, *neque qui posteriori* assistit quamvis non necessarius, neuter *cognationem spiritualem contrahit,* et en secunda ac tertia exceptio can. 768, salvo casu raro eveniente ad normam §[i] praec.[a] huius canonis, nempe: *nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit,* nulla enim hoc in ultimo casu adest ratio ut can. 768 vim suam non exerat.

52. **De numero patrinorum.** - In Conc. Trid.[1] praemittitur: « sancta Synodus statuit »: sicut praesens *can. 764. Patrinus unus tantum,* « sive vir, sive mulier iuxta ss. canonum instituta », quod in canone sic refertur: *licet diversi sexus a baptizando,* et colligando ad verba « diversi sexus », relinquit clausulam Tridentinam: *vel ad summum unus et una adhibeantur.* Quia ut bene ait D. Th.[2] « dicendum quod confusio esset disciplinae, nisi esset unus principalis instructor, et ideo in baptismo unus debet esse principalis susceptor; alii tamen possunt admitti quasi coadiutores » tunc temporis.

53. **Qualitates ut quis valide sit patrinus.** - Rit. Rom.[3] praescribit: « Parochus, antequam ad baptizandum accedat, ab iis ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant »,

[1] Sess. XXIV de ref. matr. cap. II. — [2] 3[a] P. q. LXVII, a. 8 ad 3[m]. — [3] Tit. II, cap. I, n. 22.

verba haec desumpta ex Conc. Trid. (l. cit.), « ne plures quam liceat, aut indignos aut ineptos admittat ». Unde rationes prohibitionis petuntur, vel ex eo quod nequeunt convenienter patrini obligationes adimplere, vel indignos huius officii se reddiderunt, vel a iure positivo repelluntur ob alia motiva. Quinam ob unamquamque rationem prohibeantur, et an etiam cum nullitate muneris, non dicitur expresse in Rit. Rom. — Propterea Codicis determinatio fuit opportuna, qui discernit qualitates in duos canones pro diversa earum necessitate. Statuit *can. 765. Ut quis sit patrinus* vere, habens munus cum canonum effectibus, *oportet* seu necesse est: 1° *Sit* a) *baptizatus* « ut est declaratum in Conc. Moguntino [1], licet non baptizatus possit baptizare; quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipientis, sicut dictum est ». Ita D. Thomas [2]. Sit insuper b) *rationis usum assecutus*, quia hoc munus obligationes secumferens voluntarie suscipi debet a viro vel muliere, ac ideo c) *et intentionem habeat id munus gerendi* saltem implicitam in eiusdem deliberato ac formali exercitio, non solum materiali infantem sustentandi. Defectus harum qualitatum inhabilitatem seu ineptitudinem ad officium causant. — Propter dignitatem vero 2° *Ad nullam* a) *pertineat haereticam aut schismaticam sectam* per adscriptionem aut adhaesionem ad eam etsi baptizatus, b) *nec sententia condemnatoria vel declaratoria*, et haec verba sunt applicanda singulis sequentibus membris ex comparatione ad can. 766 sub n. 2°, *sit excommunicatus*, *aut infamis infamia iuris* de qua poena sunt canones 2293-2295, *aut exclusus ab actibus legitimis*, qui recensentur in can. 2256, 2°, quae poenae quandoque ipso facto ante sententiam alterutram incurruntur, c) *nec sit clericus depositus vel degradatus* de quibus poenis loquuntur can 2303-2305.

Rit. Rom. referens cap. II Conc. Trid. atque addens vult quod (n. 23) « simul non admittantur (ad munus patrini) duo viri, aut duae mulieres, neque baptizandi pater aut mater ». Idipsum refertur n. 3°. *Nec sit pater vel mater*, imo pro adultorum baptismo *vel coniux baptizandi* etsi praevie catholicus; idque congruenter can. [1] 1079 — Iam statuerat Conc. Trid. [3]: « Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant, constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstanti-

[1] Cap. 101, Dist. IV de Consecrat. — [2] 3ª P. q. LXVII, a. 8 ad 5m. — [3] Sess. XXIV de Ref. matrimonii, cap. II.

bus ». Retinetur hoc, quando dicitur: 4° *Ab ipso baptizando* si est adultus, *eiusve parentibus vel tutoribus*, qui de ipsius baptizandi actibus disponunt iure patriae potestatis, *aut, his deficientibus* quoad patrini designationem peragendam forsitan ex negligentia vel renisu eorum, *a ministro* baptismi *sit designatus*, quia ipsi onus incumbit ut omnes praescriptiones sollemnis baptismi serventur. — Iuxta praescriptum (in capp. II et IV) Rit[s] Rom.[1] quoad ordinem baptizandi, additur hic 5° *Baptizandum* I. *in actu baptismi*, II. *per se vel per procuratorem*, qui admittitur etsi sexus diversi a patrino, atque non hic sed ille cuius nomine agit est patrinus, III. *physice* non tantum moraliter ob voluntatem a) *teneat* parvulum, b) *vel tangat* quando baptizandus est adultus vel quando parvulus baptizandus ab alio commodius sustentatur, c) *vel statim* post baptismi actum a) *levet* baptizatum per immersionem, *seu* b) *suscipiat* a) *de sacro fonte* post lavacri salutaris infusionem, b) *aut de manibus baptizantis* immergentis. Hi sunt diversi modi quibus patrini exterius voluntatem patefaciunt suscipiendi neophytum sub propria cura.

34 **De qualitatibus patrini quoad actum licitum.** - Rit. Rom.[1] ait: « Hos autem Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse, maxime convenit » Ergo videtur adimplendum fuisse, si commode fieri poterat. Sed nunc expresse quamvis implicite abrogatur quoad susceptam Confirmationem ex omissione in qualitatum recensione, et mutatur prima pars quoad aetatem in *can. 766. Ut autem quis licite patrinus admittatur*, secus peccatum gravaret ministrum admittentem vel parochum, etsi verus ille fieret patrinus, *oportet* iure autem ecclesiastico: 1° *Decimum quartum suae aetatis annum attigerit*, idest: illo incepto, quamvis puella sit patrinus, etiam decurrente adhuc die anniversario nativitatis; nec tam severe requiritur aetas, dum adiungitur: *nisi aliud iusta de causa ministro* baptismi videatur, etiam qui forsan parochus non sit. — 2° *Non sit propter notorium delictum*, quod explicatur in can. 2197, « 2° notorium notorietate iuris, 3° notorium notorietate facti », et notorietas exigitur, quia de non admittendo ad patrini officium agitur, prudenterque id curandum ex hac causa et aliis. Nec sufficit alterutra notorietas delicti, sed quod propter illud sit a) *excommunicatus* b) *vel exclusus*

[1] Tit. II, c. I, n. 24.

ab actibus legitimis c) *vel infamis infamia iuris,* scilicet: incursus ipso facto in aliquam ex his poenis, *quin tamen sententia intercesserit* condemnatoria vel declaratoria poenarum, quia hoc posito nec esset verus patrinus ad normam can. praec. n. 2°. — Tacet canon praesens de clerico deposito vel degradato, quia hae poenae sunt semper ferendae sententiae; sed prohibitio ita extenditur: a) *nec sit interdictus* personaliter censura vel poena, b) *aut alias publice,* quod adverbium sic positum afficit quoque verbum praecedens « interdictus » cum hoc supponat crimen taliter punitum, quod ut plurimum erit publicum; sensus ergo est quilibet « publice » *criminosus;* et ex can. 2197: « Delictum est publicum si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit, et debeat facile divulgatum iri »; quae publicitas extat quoque in sequenti: c) *vel infamis infamia facti,* ex huius natura, quae est « amissio bonae existimationis apud bonos et prudentes viros propter aliquod peccatum vel vitium ». — 3° *Fidei rudimenta noverit.* Et additur ratio in Rit. Rom (loc. cit. n. 25): « Haec enim Patrini spirituales filios suos quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur », ut patebit ex can. 769. — « 26. Praeterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cuiusvis Ordinis regulares a saeculo segregati ». Quod Rit.ª Rom.ⁱ praescriptum concorditer Codici sic est correctum: 4° *In nulla religione* scilicet: « societate, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt » (canone 488, 1°) *sit* actu *novitius vel professus,* et « novitiatus incipit susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto » (can. 553) atque « exacto novitiatu » forsitan prorogato, « novitius... ad professionem admittatur, secus dimittatur »... (canon 571, § 2); attamen rite dimissus, a votis liberatus vel saecularizatus cessat esse in religione illa professus. — Prohibitionis praedictae limitatio adest: *nisi* a) *necessitas* physica vel moralis v. gr. ad vitandum magnam parentum displicentiam *urgeat* b) *et expressa habeatur venia Superioris saltem localis,* etiam religionis laicalis vel mulierum. — Novum est quod sequitur ex pari motivo subiectionis ad normam can. 127: 5° *In sacris ordinibus non sit con-*

stitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii ratione incardinationis *licentia.*

55. **Dubia circa patrinorum qualitates.** - *Can. 767. In dubio,* sive iuris sive praesertim facti ob circumstantias, *utrum quis valide vel licite* ad normam respective can. 765, 766 *admitti possit, necne, ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium* equidem ex canonis praescripto. — Si tempus non suppetat « in dubio iuris non urget » prohibitio, ac « in dubio facti » potest praesumi aequa ex ratione dispensatio Ordinarii ad normam can. 15.

56. **De cognatione spirituali ex baptismo.** - Incipit a generaliori baptismi effectu *can. 768. Ex baptismo* scilicet: valide collato *spiritualem cognationem* seu propinquitatem personarum spirituali ex causa sacramentorum *contrahunt tantum,* et sic exprimitur canon, eo quod Conc. Trid. illam restringens statuerat [1]: « inter quos patrinos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur ». Sed in praesentiarum coarctatur amplius, quia revocata compaternitate spirituali, relinquitur paternitas spiritualis relativaque filiatio, quae sunt ad similitudinem naturalis paternitatis ac filiationis, et quam priorem habent *cum baptizato baptizans et patrinus,* dummodo hi sint baptizati, quoad hunc ex can. 765 1°, et quoad illum, eo quod etsi catechumenus sit, paternitatis spiritualis cognatio in eo existere non potest; cognatio enim utpote quid relativum, introduci nequit, nisi uterque terminus subsit legi cognationem illam inducenti. Atqui non baptizatus legi Ecclesiae non subest. Ergo haec spiritualis cognatio inter illum infidelem et ab eo baptizatum lege Ecclesiae induci nequit. Et insuper plane absurdum est patrem spiritualem esse illum qui spiritu nondum natus est. — Imo licet minister deinde convertatur ad fidem et baptismum suscipiat, cognatio spiritualis non reviviscit, quia iuxta reg. 18 iuris in 6° « non confirmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit », vel melius quia fundamentum cognationis spiritualis fuit transiens, nec virtute ad hunc effectum permanet. E converso semel contracta est de se perpetua, non secus ac naturalis cognatio, et inde est quod interrogata Commissio Pont. ad Cod.^{s} can.^{s} auth. interpretandos [2]:

[1] Cap. II, sess. XXIV, de Reform. matrim. — [2] 2-3 Iun. 1918, IV-8; CO. X-346.

« Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768, a praefata Pentecostes die ipso facto cesset quoad omnes effectus,... Resp.: Negative ad (hanc) primam partem... ».

Dictum est hanc cognationem iure Ecclesiae positivo esse inductam. Equidem spiritualis cognatio, quae fundamentum supernaturale habet, scilicet: sacramentum a Christo institutum, nequit esse constituta ex naturali iure, quod ultra limites naturalium extendendum non est. — Item, quamvis eodem iure divino quo sacramenta moderantur, videretur cognatio spiritualis constituta, utpote quod haec sequatur aliquo modo ex regeneratione spirituali, quae fieri nequit sine ministro sacramenti; attamen si recte consideretur, non sequitur necessario, quia principalis Auctor huius regenerationis est ipse Deus, cuius naturae consortes sumus per gratiam in Baptismo receptam, iuxta illud Apostoli [1]: « Deus est qui iustificat »; et D. Th. ait [2] « homo baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius, sed Christus est qui interius baptizat ». Cognatio ergo spiritualis oritur solum ex iure canonico. Ac proinde id potuit merito exceptiones statuere memorandas ex can. 762, § 2, 763, § 2 circa patrinos cum baptizato.

57. **De obligatione instruendi baptizatum.** - Alius ex baptismo effectus patrini proprius traditur in *can. 769. Patrinorum est, ex suscepto munere*, eo « quod [3] unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit. Dictum est autem, quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere ». Quae doctrina est bona interpretatio canonis statuentis: *spiritualem filium* ex baptismo, quibus verbis correlativa sunt spiritualis paternitas in patrino, non ad tempus sed a) *perpetuo sibi commendatum habere,* b) *atque in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant,* c) *curare diligenter ut ille*

[1] Rom., VIII, 33. — [2] 3ª P., q. LXVII, a. 5, ad 1m. — [3] D. Th. loc. cit. a 8 corp.

baptizatus *talem in tota vita* quoad actiones omnes et usque ad mortem *se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia*, ut diximus illos fecisse in sollemnitate baptismi vel implicite in susceptionis actu, *spoponderunt* patrini.

CAPUT V.

De tempore et loco baptismi conferendi.

Can 770. - Infantes quamprimum baptizentur; et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant.

Can. 771. - Baptismus privatus, urgente necessitate, quovis tempore et loco administrandus est.

Can. 772. - Etiam sollemnis baptismus qualibet die administrari potest; decet tamen adultorum baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis.

Can. 773. - Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico.

Can. 774. - § 1. Quaelibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine, baptismalem habeat fontem, salvo legitimo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito.

§ 2. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines.

Can. 775. - Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis gaudeat, baptizandus, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus sollemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careant.

Can. 776. - § 1. In domibus autem privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis:

1.° Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint;

2.° Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit.

§ 2. In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta.

58. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** - Deinde considerandum est *caput V. De tempore* sive quantum ad sollicitudinem sive quoad diem *et loco* sacro vel saltem decenti *baptismi conferendi* sollemniter vel privatim. De illa ergo sollicitudine cavet can. 770, positaque exceptione baptismi privati ab huius capitis normis, hae sequuntur pro baptismo sollemni: quoad dies in canone 772, quoad locum vero in ceteris, illasque ordinarie praescribunt can. 773, 774, extraordinarie can. 775, pro quorumdam vero filiis vel de loci Ordinarii concessione latus est can. 776.

59. **Sollicitudo in parvulorum baptismo.** - Pro his « ad quos cura neonatorum pertinet » (videlicet: inter hos primo sunt

parentes) latus est *can. 770. Infantes quamprimum baptizentur* contra baptismi procrastinationem (quae si longior esset vel ob magnam negligentiam eveniret, gravis esset) praesertim his temporibus indifferentismi, non obstante cuiuscumque periculi absentia. Huius praescripti ratio affertur cum eodem in Rit. Rom. (l. c. Cap. I, n. 15): « ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis »; quapropter de hoc ecclesiastico praecepto subiungitur: *et parochi ac concionatores* pro ipsorum officio *frequenter fideles de hac gravi eorum*, quos memoravimus supra, *obligatione commoneant* opportune, ac pro necessitate ad expurgandam ignorantiam vel socordiam, sicut vi huius canonis tunc illi obligantur.

60. **Exemptio baptismi privati a legibus huius capitis.** — *Cap. 771. Baptismus privatus,* quando licitus est, nempe: *urgente necessitate,* cui providendum est per sacramenti exhibitionem, non attenta sacramenti reverentia quae necessitati cedit, a) *quovis tempore* etiam noctu b) *et loco* etiam in cubiculo *administrandus est* iuxta urgens praeceptum divinum.

61. **Dies in quibus conferatur Baptismus sollemnis.** — De hoc sunt canones sequentes. Atque primus *can. 772. Etiam sollemnis baptismus* definitus in can. 737, § 2, *qualibet die,* non dicitur ut supra « quovis huius tempore », *administrari potest* licite. Rit. Rom. [1] ait: « Quamvis Baptismus quovis tempore etiam interdicti (ad normam can. 2271 n. 2°), et cessationis a divinis praesertim si urgeat necessitas (ergo etiam extra necessitatis casum) conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu sacri sunt dies, in quibus sollemni coeremonia (coniuncta nempe cum aquae baptismalis benedictione) hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempe Sabbatum sanctum Paschae et Pentecostes », sed nulla fit obligationis mentio. — Solum quoad adultos verba quadantenus praeceptiva sequuntur: « Quem ritum, quatenus fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitae periculum immineat (et planum est), vel aegre ferant suum baptismum in longum tempus diferri (ib. cap. III, n. 6), retineri decet, aut certe non omnino praetermitti (idest: non relinquitur arbitrio ac pro libitu) praecipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis ». Huic consonant, idemque magis particulariter iterant (num.[1] 4, 5, 6, in

[1] Loc. cit. C. I, n. 27.

cap. III), ubi etiam post ieiunium de quo in can. 753, § 1, habetur sequens praescriptum non correctum in Codice (can. 2). « 9. Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem... adultorum baptisma celebretur ». — Ex Rit. igitur Romano est desumpta huius canonis 772 secunda pars: *decet tamen adultorum baptismum,* obligatio ergo existit, *secundum antiquissimum Ecclesiae ritum* in ritualibus libris adhuc insertum, *conferri, si fieri commode queat*, quae clausula illam obligationem non esse gravem supponit, *in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue,* scilicet: etsi cum aliquo incommodo *in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis,* ut non omnino ritus ille praetermittatur. Cuius ratio haec affertur a D. Th. [1]... « baptizantur fideles baptismo Christi, qui quidem habet efficaciam ex passione Christi, secundum illud (Rom. VI, 3): " Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus „; et ex Spiritu Sancto, secundum illud (Ioan. III, 5): " Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc. „. Et ideo solemnis baptismus agitur in Ecclesia et in vigilia Paschae, quando fit commemoratio dominicae sepulturae et resurrectionis eiusdem (propter quod et Dominus post resurrectionem praeceptum de baptismo discipulis dedit), ut habetur Matth. ult., et in vigilia Pentecostes, quando incipit celebrari solemnitas Spiritus Sancti; unde et apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse ».

62. **Locus proprius baptismi sollemnis.** - *Can. 773. Proprius* adimplendis omnibus caeremoniis *baptismi sollemnis* proindeque ipsius *administrandi locus est baptisterium* descriptum in can. 757 ad § 2, situm *in Ecclesia vel oratorio publico* ad normam seq.ª canonis, vel « certe in Baptisterio prope Ecclesiam (Rit. Rom. n. 28) iuxta diversitatem regionum », quod correctum non est in seq. canone.

63. **Ius praecedens de loco** fere totum est Clementina unica sub titulo de baptismo (III, 15), quam referens nunc translatam in Codicem aliqualiter explicat Rit. Rom. [2]. Clemens V in Conc. Viennensi ait: « Praesenti prohibemus edicto, ne quis de cetero in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati... audeat baptizare ».

[1] P. III, q. LXVI, a. 10, ad 1m. — [2] Loc. cit. cap. I, nn. 28, 29.

Et cum Clementina non distinguat, etiam comprehendit adultos baptizandos, uti expresse in Rit. Rom. dicitur (C. III, n. 7): « Cathecumenus instructus baptizetur in Ecclesia seu Baptisterio ».

64. **Ecclesiae gaudentes iure fontis baptismalis**. – Quaenam sint illae Ecclesiae vel oratoria, « loca baptismi sollemnis propria » edicit pro disciplina in futurum *can. 774. § 1. Quaelibet paroecialis ecclesia,* scilicet: illa « peculiaris » de qua in can. 216, §§ 1, 3, *revocato,* ita ut in posterum non vigeat, *ac reprobato,* quo verbo edicitur, ut quemadmodum consuetudo similis, « tanquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur (sequens, sicut et alia consuetudo ss. canonibus expresse reprobata) in posterum reviviscere » (can. 5), *quovis contrario* a) *statuto* quantumvis particulari ac legitime condito, b) *vel privilegio,* igitur est hic casus exceptionis in can. 4 [1], c) *vel consuetudine* universali vel particulari expresse hic reprobata ad normam can. 5, *baptismalem habeat fontem* de novo ex praecepto constituendam, si non existat, *salvo legitimo* ad normam iuris praecedentis obtento *iure cumulativo,* videlicet: ut fideles sicut apud propriam parochiam possent quoque apud has baptizari, *aliis ecclesiis,* v. gr. Ecclesiae S. Petri quoad incolas Urbis, *iam quaesito,* idest: ante Codicis vigorem iam possesso, quod can. 4 [1] congruit.

De hoc « iure cumulativo » et de alio habente maiorem vim, utpote exlusivo, dedit authentican huius paragraphi interpretationem Pont. Commissio ad Codicis can. auth. interpretandos respondens ad huiusmodi dubium. [2] « Utrum ecclesia quae ante Codicis iuris canonici promulgationem fruebatur legitimo iure exlusivo fontis prae aliis paroecialibus ecclesiis, illud conservet cumulativum cum iisdem ecclesiis, quae ex praescripto can. 774, § 1, ius fontis obtinent.

Resp. Canonem 774, § 1, ita intelligendum esse, ut ecclesia quae ius fontis habet cumulativum cum aliis totius civitatis ecclesiis paroecialibus, illud obtineat etiam prae ecclesiis paroecialibus, noviter in civitate erectis cum fonte baptismali. At ius fontis cumulativum in posterum obtineri nequit ex consuetudine, quae corruptela dicenda est.

[1] Can. 4. Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

[2] 12 Nov. 1922. CO. XIV, 662, IV.

Ecclesia vero quae ante Codicis promulgationen habebat ius fontis exlusivum prae aliis ecclesiis paroecialibus, post Codicis promulgationem erectoque in iisdem ecclesiis fonte ad praescriptum citati canonis, nonnisi ius cumulativum obtinet, salvo praescripto can. 778.

§ 2. *Loci Ordinarius potest* a) *pro fidelium commoditate* v. gr. ob distantiam ecclesiae paroecialis b) *permittere* ad instantiam *vel iubere* ex proprio motu etiam contra parochi voluntatem c) *ut fons baptismalis ponatur etiam*, scilicet: cum iure cumulativo ut in §° praec., d) *in alia ecclesia* non paroeciali *vel publico oratorio* cum conditione hac: e) *intra paroeciae* definitae in can. 216, § 3 *fines*.

65. **De baptismo sollemni licite conferendo alia in ecclesia**. - In citata Clementina duae exceptiones sunt constitutae, quibus certe evenientibus, baptizans a lege loci antedicta eximitur sine ullo interventu Ordinarii necessario. Secunda exceptio est: « aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc (idest: ob Baptismum) accessus haberi ». Id retinetur ac determinatur in *can. 775. Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis gaudeat*, etsi non pro baptizanda illa persona, (quae tamen secunda ecclesia in casu possibilitatis praeferenda esset), *baptizandus,* a) *propter locorum distantiam aliave adiuncta,* nempe etsi Ecclesiae praedictae non distent, b) *sine gravi incommodo aut periculo,* ubi notandum est distinctionem nullam afferri quoad periculum, ac inde putamus grave sufficere sicut incommodum ita et periculum, nihilque referre num se habeat ex parte ipsius baptizandi, infantis vel adulti, aut parentum, an ex aliorum malitia proveniat, dummodo spes non adsit ipsum cessatum iri cum dilatione baptismi non diuturna, ita ut sine illo c) *accedere* quoad baptizandum fortassis adultum *aut transferri* parvulum nequeat. — His concurrentibus circumstantiis adest iuris concessio: *baptismus* a) *sollemnis* b) *a parocho conferri* c) *potest* quoad liceitatem ex parte loci d) *ac debet* ex officio per alium quoque exercendo e) *in proxima ecclesia aut oratorio publico,* non semipublico aut privato etsi benedicto, dum illa vel illud inveniatur f) *intra paroeciae fines*, non obstante quod sequitur: *licet haec baptismali fonte careant*, adhibita tamen « aqua ad hoc benedicta » (can. 757, § 1), quae est una ex conditionibus quae servandae erant ex iure praecedenti in casibus a Clementina exceptis iuxta Rit. Rom. dicentem (l. cit. n. 29): « dummodo id fiat in eorum

Capellis seu Oratoriis (quando ageretur de altera exceptione can. seq.s, vel si illa extarent in exceptione Clementinae hucusque explicata) et in aqua baptismali de more benedicta ».

66. **Licita baptismi sollemnis administratio in domibus privatis.** – Altera exceptio citatae Clementinae per Rit. Rom. (l. cit. n. 29) determinata, huius erat tenoris: « nisi regum vel principum (ex Rit.: magnorum) quibus valeat in hoc casu deferri liberi (idest: filii ex Rit. n. cit.) extiterint ». Ubi animadvertendum non exprimi quod isti reges et principes regno temporali potirentur, sed potius dignitati prospici cui « valeret deferri », unde videbatur in Ordinarii positum amplitudinem concessionis determinare, dum tamen prout ait Rit. Rom.: « id fiat ipsis ita deposcentibus ». — Nunc autem standum est adamussim *can. 776.* § 1. *In domibus autem privatis* videlicet: ad commorandum, etiam in palatiis eorum, qui publicae personae in societate civili vocantur, prout illae domus opponuntur locis sacris ad usum publicum v. gr. oratorium publicum, *baptismus sollemnis*, nam de baptismo privato decretum est aliter in can. 771, *administrari non debet*, quae est generalis regula prohibens, *nisi hisce in adiunctis,* scilicet: prima exceptio cit. Clem.ae ratione baptizandorum, secunda vero ex causa et licentia, iuxta praec.s iuris declarationes: — 1° *Si baptizandi* etiamsi adulti *sint filii* additurque *aut nepotes* scilicet: illorum filii, non quorumcumque principum, sed *eorum qui* a) *supremum actu tenent populorum principatum* ut imperatores, reges, principes cum dominio temporali in foederatione, praesides reipublicae, b) *vel ius habent* actu ex sanguine aut lege *succedendi in thronum* stantem, ac sub conditione *quoties isti* sub litteris a) b) *id rite poposcerint.* Videlicet: proprio Ordinario vel parocho desiderium exprimant utendi hoc iure.

Praeter exceptiones Clementinae iam explicatas, vigebat Dec. S. Congr. de disciplina Sacramentorum [1]. « II. An Ordinarii permittere possint, ut parvulis, praeterquam quod instante periculo mortis vel urgente infirmitate (de qua in can. 771, 775), domi baptismatis Sacramentum administretur... Et Emi. PP. reposuerunt: ...Ad II Affirmative ex iuxta et rationabili causa ». Et hoc translatum est in n. 2°. *Si loci Ordinarius* (can. 198, § 2), a) *pro suo*

[1] 23 Dec. 1912. CO. IV, 725.

prudenti attentis circumstantiis *arbitrio et conscientia*, b) *iusta* seu proportionata *ac rationabili de causa* c) *in casu aliquo extraordinario* scilicet: raro, non passim *id concedendum censuerit*. Ex tali ergo concessione utpote ad actum expressa, licet baptisma sollemne in domo quacumque privata conferre.

Tunc vero servandum erat Dec. S. C. Rit. in Bellunen. « de baptismo domi collato » [1] sequentis tenoris: « An baptismus de licentia Episcopi seu Ordinarii domi collatus, extra mortis periculum et urgentem necessitatem (de quibus in can. 771, 775 ut supra), cum omnibus coeremoniis Rit. Rom. sit administrandus; — sacra Rit. Congregatio... respondendum censuit: Affirmative ». Hoc Decretum et Rit.ᵉ Rom.ⁱ n. 28 citᵐ complexus est § 2. *In memoratis casibus* sub numᵉ 1° et 2° § 1ⁱ *baptismus conferendus est* equidem sollemnis ut ibidem, scilicet a) « servatis omnibus ritibus et coeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur » ad normam can. 737, § 2, b) *in sacello domus* praeferendo, quando ille etsi non benedictus adsit, *aut saltem in alio decenti loco* c) *et aqua baptismali de more benedicta*, non inutiliter addita, quia etiamsi ad ritus et caeremonias pertineat ex capˢ III can. 757, tamen velut afferenda (non ibidem benedicenda) exprimitur verbo « de more » benedicta.

CAPUT VI.

De collati baptismi adnotatione et probatione.

Can. 777. - § 1. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptismali libro sedulo et sine ulla mora referre.

§ 2. Ubi vero de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum, si publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit notus; in ceteris casibus inscribatur natus tanquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum.

Can. 778. - Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quamprimum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat.

Can. 779. - Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit.

67. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** - Restat considerandum *caput VI de collati baptismi* sollemnis ac privati *adno-*

[1] 17 Ian. 1914. CO. VI, 32.

tatione ad perpetuum rei maximi momenti testimonium, per « documentum publicum » exaranda (can. 1813, § 1, 4°) « quod fidem facit » vi can. 1816; *et probatione* tum in illius testimonii defectu, tum ad praedictam adnotationem iure peragendam baptismi praesertim privati. De illa decernit can. 777, cuius adnotationis securitas providetur in quibusdam casibus per can. 778, ac ultimus can. 779 est unicus de probatione.

68. **Adnotationis norma de collato baptismo.** – Praeter monitionem patrinis faciendam de cognatione spirituali, Rit. Rom. sequentia statuit [1]: « Curet parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; sed eum diligenter custodiant, et opportune ad Christianam disciplinam instituant.

33. Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios hebraeis, aliisve infidelibus, vel haereticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant ». Denique iubet Rit. Rom. (loc. cit. n. 34): « Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut Susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato baptismo ad praescriptam formam in baptismali libro Parochus accurate describat ». — Cum maiori explicatione ac opportuniori clausula eamdem continet normam *can.* 777. § 1. *Parochi debent* ratione officii uti testes qualificati a) *nomina baptizatorum* forsan plura ad normam can. 761, *mentione facta* b) *de ministro*, qui testis est unicus praecipuusque de singulis ad baptismi validitatem necessariis adhibitis, c) *parentibus* ad baptizati legitimitatem certo statuendam, vel ad normam §[1] seq[a]., d) *ac patrinis*, num, quot numero et qui adhibiti fuerunt, ut de horum cognatione spirituali ac obligatione constet, e) *de loco ac die collati baptismi* cuiuslibet, utpote de circumstantiis quae documentorum authenticitatem commendant, *in baptismali libro*, de quo (etiam circa eius formam) per extensum loquitur can. 470 alias [2] commentatus, a) *sedulo* quoad attentionem et curam in his omnibus vere conscribendis, b) *et sine ulla mora* voluntarie nectenda inter baptismi collati notitiam certam et scripturam *referre*. Quae duo adverbia sub *a*) et *b*) aequipollent verbo « accurate » et magis generaliter clausulae « Antequam infans... etc. » Ritualis Romani.

[1] Tit. II, cap. II, nn. 32, 33. — [2] Comment. Textus Cod. Iur. Can. « De personis, » pag. 437, et in 2[a] ed. pag. 505.

§ 2. *Ubi vero de illegitimis filiis agatur,* scilicet: qui non comprehendantur sub can. 1114, 1115, a) *matris* certo cognitae *nomen* cognitu facilius *est inserendum,* I° *si publice* etsi non praecise quoad hunc infantem, *eius maternitas constet,* scilicet: « si iam divulgata est aut talibus contigit in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » ex simili delicto in can. 2197, 1°, definito *vel* II° *ipsa* non alia persona *sponte sua,* ergo libere, *scripto* proprio ex quo parocho constet, *vel coram duobus testibus,* qui fidem faciant parocho quod *id petat ;* b) *item nomen patris, dummodo* I° *ipse* non alia persona *sponte sua* sine vi ac metu *a parocho* directe *vel scripto* v. gr. per epistolam ad eum missam *vel coram duobus testibus* personaliter *id requirat,* scilicet: inseri nomen eius ut pater baptizati, vel II° *ex publico* idest: non privato *authentico documento* ecclesiastico vel civili, de quibus in can. 1813, §§ 1, 2 [1], *sit notus,* in singulis enim praedictis casibus quaerelari nequeunt de infamia; *in ceteris casibus inscribatur natus* ex iuris praescripto *tamquam filius patris ignoti,* si matris nomen ut supra inseratur, *vel* secus *ignotorum parentum,* sic vel aequipollenter.

Animadvertatur sequens responsum Commiss. Pont. ad ss. can. auth. interpretandos: VIII [2] « An verbum illegitimi canonis 777, § 2, omnes omnino comprehendat illegitime natos, etiam adulterinos, sacrilegos, ceterosque spurios, ita ut liceat parentum ipsorum cognomina inscribere in adnotatione collati baptismi. — Resp. Nomina parentum ita inserenda esse, ut omnis infamiae vitetur occasio: in casibus vero particularibus recurrendum esse ad S. C. Concilii ».

69. **De obligatione certiorandi parochum circa collatum baptismum.** - *Can. 778. Si baptismus* sollemnis vel privatus a) *nec a proprio parocho,* prout hic fuit declaratus in can. 738, § 1, 740, etsi quilibet parochus peregrinum baptizet ad normam

[1] Can. 1813. — § 1. Praecipua documenta publica ecclesiastica haec sunt: 1° Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis; 2° Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta ; 3° Acta iudicialia ecclesiastica; 4° Inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica. — § 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

[2] 14 Iul. 1922 CO. XIV, 528.

can. 738, § 2, b) *nec eo* ut supra designato *praesente administratus fuerit, minister,* sive sacerdos sive diaconus sollemniter administret, sive quilibet etiam vir vel mulier privatim baptizet, *de ipso* baptismo a se *collato quamprimum* cum humana sollicitudine *proprium ratione domicilii*, scilicet: parentum iuxta commentarium ad can. 738, § 1, sed, domicilio non existente, ob analogiam can. 94 § 1 quasi domicilii, *parochum baptizati* declaratum supra, et hinc confirmata interpretatio illa, *certiorem reddat* personaliter, vel scripto vel nuntio, dummodo certitudinem de valido baptismo tribuat. Atque obligatio haec gravis est propter momentum rei, sed in paucorum dierum dilatione voluntaria est admittenda ordinarie levis obligatio propter materiae parvitatem. Attamen si periclitaretur cognitio aut certitudo baptismi validi etiam illa brevior dilatio esset censenda gravis.

70. **De baptismi probatione.** - *Can. 779. Ad collatum baptismum comprobandum* quoad factum, *si nemini fiat praeiudicium*, uti fieret baptizato, ni validitas ipsius comprobaretur, *satis est unus testis* de facto et de validitate *omni exceptione maior*, qui scilicet: vel non patiatur exceptionem circa eius scientiam, veracitatem aut circa ipsius testimonium, vel exceptiones contra eum per circumstantias evacuentur; ex. gr. quod ait Glossa [1]: « unius testimonio quandoque credendum est, et sic hoc casu (de baptismo collato) tantum credendum esse christiano, et non Pagano vel Iudaeo testificanti ». Intelligendum est hoc, exceptis circumstantiis extraordinariis. Explicit canon sic: *vel ipsius baptizati iusiurandum* « satis est », *si ipse in adulta aetate baptismum receperit.* Quia cum eius salutis valde intersit baptismus, omni exceptione maior est; « si nemini (alii) fiat praeiudicium ».

TITULUS II.

De confirmatione.

Can. 780. - Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

Can. 781. - § 1. Chrisma, in Sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, ex iure vel ex apostolico indulto, ministretur

§ 2. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita.

[1] Cap. « Cum itaque » Dist. IV de Consec.

71. **Inscriptio tituli.** – Post baptismum considerare oportet *Titulum II. De confirmatione*, ac est sic vocatum hoc novae Legis Sacramentum, quia ex Dec. Eugenii IV ad Armenos: « in eo datur Spiritus Sanctus ad robur (spiritualis pugnae, ut ait D. Th.) [1], sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter (etiam inter adversarios fidei, prout addit D. Th. loc. cit.) Christi confiteatur nomen ». In hoc Titulo praemittuntur canones duo de natura huius Sacramenti ac de ipsius materia tum remota tum proxima.

72. **Huius sacramenti notio.** – *Can. 780. Sacramentum confirmationis conferri debet* ad eius validitatem, ita ut quocumque in canone dictorum deficiente, iterum conferendum sit: *per manus* inungentis *impositionem,* nam de Apostolis Petro et Ioanne missis ad Samariam inquit Actuum Apostolorum liber: « Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum » [2], et addit Dec. ad Armenos: « Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio », *cum unctione chrismatis*, nam ibidem dicitur: « cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto » — « Et licet, ait D. Th. [3], multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum propter hoc quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incorruptionem praestat; unde (Eccli. XXIV, 21) dicitur: « Quasi balsamum non mixtum odor meus ». — Insuper iuxta canonem: *in fronte* « ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae Iudaeis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia [4] secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur » [5]; *et per verba in pontificalibus libris*, in quibus praecipuarum functionum episcopalium ritus et coeremoniae traduntur, *ab Ecclesia probatis* expresso documento vel saltem ex diuturno legitimo usu, et ab his libris, qui sunt plures pro rituum diversitate, uti verba unctionem concomitantia *praescripta.* — In Pontificali Romano forma est: « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». De qua D. Thomas docet [6]: « quod forma est conveniens

[1] Supplem. q. LXXII, art. 2, c. — [2] Act, VIII, 14 seqq. — [3] Suppl. q. LXXII, art. 2 c. — [4] 1 ad Cor., I, 23. — [5] Dec. cit. ad Armenos. — [6] 3ª P., q. LXXII, a. 4.

huic sacramento. Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra dictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta; quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est Sancta Trinitas, quae exprimitur cum dicitur: " In nomine Patris ,, etc. Secundum est ipsum robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur: " Confirmo te chrismate salutis ,,. Tertium est signum quod pugnatori datur sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur et quantum ad hoc dicitur: " Consigno te signo crucis ,, in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur (Coloss. II) ».

73. **De materia remota et proxima.** - Sic theologice dicitur res illa sensibilis quae in sacramento adhibetur, scilicet: chrisma pro confirmatione, atque illius usus qui pro isto sacramento est inunctio in fronte. De utraque praescribit *can. 781.* § 1. *Chrisma* descriptum in praec. canone, a) *in sacramento confirmationis adhibendum,* b) *debet esse ab Episcopo* « cum S. Sede communionem habente confectum », seu [1] *consecratum*, de qua consecratione seu benedictione adest can. 734, et D. Thomas [2] ait: « quod materia corporalis non est capax gratiae, quasi gratiae subiectum, sed solum sicut gratiae instrumentum, et ad hoc materia sacramenti consecratur vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi ». Quomodo intelligenda sit materiae consecratio et qualis facta ab ipso Christo, paulo infra referam ex eodem Doctore. Non est vero haec confundenda cum sanctificatione materiae in ipsa collatione cuiuscumque sacramenti per formam verborum quibus confertur sacramentum; unde et Augustinus dicit [3]: « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum ». Sic enim in Chrismate hanc materiae sanctificationem ab illius consecratione praevia confirmationi [4] distinguit D. Thomas dicens: « quod utraque consecratio chrismatis sub *a*) et *b*) non refertur ad idem. Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a prin-

[1] Instr. S. C. de P. F. 4 Maii 1774. Collect. n. 503. — [2] Suppl. q. LXXII, a. 3, ad 3[m]. — [3] Super Io., tract. 80 a med. — [4] Loc. cit. ad 2[m].

cipali agente ad effectum: ita etiam materia sacramenti (cuiuscumque) duplici sanctificatione indiget, per quarum unam (de qua in resp. cit. ad 3[m] et quam de Chrismate sub littera *b*) canon enuntiat) fit propria materia sacramenti, per aliam vero (deductam ex D. Augustini cit. verbis et in canone contentam sub *a*) littera) applicatur ad effectum ». — Huic apprime concordat Ecclesiae praxis, iure scripto confirmata in sequentibus canonis verbis: *etiamsi sacramentum* supple: confirmationis *a presbytero, ex iure* vi can. 782, § 3 infra exponendi *vel ex apostolico indulto* v. gr. missionariis quibusdam concesso ad tempus vel ob regionis circumstantias, vel de quo loquitur can. 782, §§ 4, 5 *ministretur;* de quo ministerio D. Thomas [1] haec habet: « Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam quae sunt superiorum ordinum (scilicet: ordinarie), committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit D. Gregorius papa quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur ». Et Bened. XIV [2] ait: « Non videtur hodie fas esse potestatem de qua olim disceptabatur, summo Pontifici non adiudicare ». Praesbyter ille « sciat, sibi nunquam licere, Chrisma ab Episcopis haereticis, aut schismaticis recipere » [3].

Ad pleniorem intelligentiam explicationis cum D. Thoma datae, eius acutam doctrinam (in corp. cit[1]. art[1].) referre non piget. « Tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur. Est autem considerandum quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream (uti rem sensibilem usam in sacramenti collatione) Christus est usus, scilicet baptismo et etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi, materiae horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysostomus dicit [4] quod " numquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu dominici corporis sanctificatae fuissent „. Et similiter ipse Dominus accipiens panem benedixit; similiter autem et calicem, ut habetur (Matth., XXVI et Lucae, XXII). Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, perti-

[1] Suppl. q. LXXII, art. 11, ad 1[m]. — [2] De Syn., lib. VII, cap. 7. — [3] Instr. prius cit. — [4] Cap. Numquam, dist. 41. De consec.

net ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem (idest: validitatem ipsius). — Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret iniuria invisibili unctioni, qua est unctus prae consortibus suis (Psal. XLIV). Et ideo tam chrisma quam oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum sacramenti ».

Subiungitur in canone 781 distinctio apprime notanda inter unctiones confirmationis et extremae unctionis: de huius enim unctionibus est § 4 canonis 947, cui relativus de unctione confirmationis est § 2. *Unctio autem ne fiat aliquo instrumento*, quod iure ecclesiastico prohibetur, *sed ipsa ministri manu* (scilicet: ex Pont. Rom. « summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta ») *capiti confirmandi* simul *rite imposita* quoad reliquam manus partem.

74. **Distributio tituli in capita.** - Similiter ac in Tit. de baptismo, praesens in quinque capita distinguitur, omisso capite de ritibus ac caeremoniis, quae proinde servandae sunt omnino ut extant in respectivis « ritualibus libris », (can. 733) vel melius « in pontificalibus » declaratis in can. 780. Atque visum est forsitan propter illam omissionem (cuius capitis inscriptioni connectebatur alia de patrinis) mutare in titulo de confirmatione inscriptionum ordinem, ut illa « de tempore et loco confirmationis conferendae » sub « cap. III » coniungatur successive ad inscriptiones alias in « cap. I de ministro confirmationis et cap. II de subiecto confirmationis », utpote magis cum his connexa, quam cum sequenti sub « cap. IV. De patrinis ».

CAPUT I.

De ministro confirmationis.

Can. 782. - § 1. Ordinarius confirmationis minister est solus Episcopus.

§ 2. Extraordinarius minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit.

§ 3. Hac facultate ipso iure gaudent, praeter S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, n. 23, Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.

§ 4. Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit.

§ 5. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus.

Can. 783. - § 1. Episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet

expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio.

§ 2. In aliena diocesi indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra.

CAN. 784. - Presbytero quoque licet, si apostolico locali privilegio sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint.

CAN. 785. - § 1. Episcopus obligatione tenetur sacramentum hoc subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos quorum in favorem est concessa facultas.

§ 3. Ordinarius, legitima causa impeditus aut potestate confirmandi carens, debet, quoad fieri possit, saltem intra quodlibet quinquennium providere ut suis subditis hoc sacramentum administretur.

§ 4. Si graviter neglexerit sacramentum confirmationis suis subditis per se vel per alium ministrare, servetur praescriptum can. 274, n. 4.

75. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Inscribitur *Caput. I. De ministro confirmationis* valide conferendae, nam illa baptismi necessitas ad salutem deest in confirmatione, atque ideo huius collatio iure divino est reservata illis, qui computantur sub Apostoli dicto: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » [1], atque sub capite continentur etiam normae servandae ex iure, ut quis licite potestate sua circa hoc sacramentum utatur. De illo ergo ministro sub distinctione ac consequenti limitatione agit can. 782, pro statuta ministri distinctione can[s]. 783, 784 dant normas tum circa personas, quas illi ministri confirment, tum de territorio in quo utantur potestate conferendi sacramentum, ac ultimus can. 785 obligationem circumscribit horum ministrorum.

76. **Minister validae confirmationis.** - *Can. 782.* § 1. *Ordinarius*, scilicet: cui ex ordine recepto adnexa est iure divino potestas, ut sit regulariter *confirmationis minister est solus Episcopus*, iuxta definitionem dogmaticam Conc. Trid. [2]: « Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit ». Cuius veritatis supernaturalis theologicum argumentum nobis suppeditat Angelicus [3] his verbis: « in quolibet opere ultima consummatio supremae arti aut virtuti reservatur, sicut praeparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum; unde epistola, quae a notario scribitur, a domino signatur. — Fideles

[1] I ad Corinth. cap. IV, v. 1. — [2] Sess. VII, can. III de confirmatione. — [3] 3[a] P. q. LXXII, art. 11 c.

autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud [1]: " Dei aedificatio estis ,,. Sunt etiam quasi quaedam " epistola Spiritu Dei scripta ,,, sicut dicitur [2]. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet quod per baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus aedificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio huius sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut et in primitiva Ecclesia per impositionem manus apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi (can. 329 § 1), plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur (Act. VIII). Unde Urbanus I papa dicit in epist. ad omnes fideles, circa fin. (et habetur: De consecrat. cap. 1, dist. 5): " Omnes fideles per manus impositionem episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur ,, ».

§ 2. *Extraordinarius,* eo quod ex ordine recepto non consequitur iure divino potestatem, ut sit *minister*, sed tantum quod ex plenitude potestatis Papae queat per ipsum deputari ad illud sacramentum velut exceptionaliter conferendum, secundum illud Conc. Florentini: « Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum ». Itaque talis minister *est* a) *presbyter* ille singularis, *cui* b) *vel iure communi* scilicet: ex aliquo canone Codicis, *vel peculiari* quoad personas, regionem, etc. *Sedis Apostolicae* tantummodo (seu ex Papae potestate etiam Congregationi Romanae communicata) *indulto,* idest: gratiosa concessione forsitan ad actus, ad tempus vel in perpetuum privilegium, *c) ea facultas concessa sit.*

Ad ius commune quod attinet, subditur statim § 3. *Hac facultate ipso iure gaudent, a)* inter simplices presbyteros ex sacra ordinatione, *b)* unumquemque ex sequentibus: 1° *praeter S. R. E. Cardinales,* etsi ordinis diaconalis quoad dignitatem (can. 231, § 1), *ad normam can. 239. § 1, n. 23,* scilicet: « firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris » ut infra in can. 799, sed ubilibet ac indefinite « ministrare sacramentum confirmationis »

[1] 1 Cor. III, 9. — [2] II Cor. III, 3.

possunt illi *c*) « cum chrismate ab Episcopo consecrato » ex can. 781, § 1; II° *Abbas vel Praelatus nullius*, quos definit can. 319, § 1 cum limitatione posita ibidem in § 2, non Abbates tantum de regimine regulares de quibus est can. 625; III° *Vicarius et Praefectus Apostolicus*, quos describit can. 293, § 1, *qui tamen;* nempe, sub nis. II° et III° *ea valide uti nequeunt* potestate, quia sequentibus cum limitationibus tantummodo est his concessa, *nisi* d) *intra fines sui territorii* in cuius incolas iurisdictione gaudent, e) *et durante munere tantum* a quo exonerati per quemlibet modum legitimum non sunt amplius confirmationis ministri. Attamen hae duae postremae conditiones nequeunt ad Cardinales extendi tum propter contextum: « praeter S. R. E. Cardinales ad normam » talem, isti et hi, « qui tamen » etc., tum quia Cardinales fere omnes sunt qua tales ordinatione presbyteri ac territorium non habent, nec munus proprie sed dignitatem possident. Notandum est hic necessario ex can. 310, quod illi « ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309... Interim uti possunt omnibus facultatibus sive ordinariis ad normam can. 294 »; sub cuius n. 2 exprimitur: « possunt confirmationem conferre ad normam can. 782, § 3 »; ac proinde illi quoque implicite sub nomine Vicarii et Praefecti Apostolici in hoc canone veniunt intelligendi praedictorum canonum causa [1].

[1] In can. 210 scriptum est: « Potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum ». Uti explicavimus in Comm. Textus ad hunc canonem, id intelligitur de facultate confirmandi et quoad validitatem demandandi eam. Ergo Vicarii et Praefecti Aplici. qui sint confirmationis ministri extraordinarii vi huius §^{i}, sicuti alii qui sunt ministri confirmationis ordinarii, indigent hi propter §^{m} 2^{m}., illi propter can. 210 cit^{m}. facultate quam S. Congr. de P. F. tribuit in suis Formulis (excepta Form. prima) num. 2 vel 3. « Concedendi facultatem *administrandi Confirmationis Sacramentum a*) uni vel alteri ex suis (propter subiectionem) sacerdotibus (pro validitate ad normam can. praes^{s}. § 2), *b*) in qualibet regione (non praecise civili, sed sic dicta propter amplitudinem) a sua residentia (habituali) valde dissita (vel absolute vel relative attentis itineris difficultatibus, unde uti queunt facultate hac simul erga diversas huiusmodi regiones), *c*) absente tamen quocumque Episcopo (ibidem, seu dum hic adest, etsi ad tempus commoretur, suspensaerit praedicta missionarii facultas), *d*) servato Decreto huius Congr^{s}., diei 4 Maii anni 1774, (videlicet: quo « Em.mi PP. declararunt, nemini prorsus charactere episcopali non insignito, vel cui alias usus Pontificalium ex vero, legitimoque privilegio non competit, licuisse, vel licere in collatione Chrismatis adhibere Rocchettum, Mitram, Baculum pastoralem, Annulum vel Crucem pectoralem... »), *e*) atque (servata) Instructione " De Sacramento Confirmationis „ in Appendice Ritualis Romani inserta ».

Ad peculiare Sedis Apostolicae indultum quod attinet, sunt sequentes §§[1] pro diversitate rituum, videlicet: § 4. *Presbyter* a) *latini ritus,* saecularis vel religiosus, *cui,* non praecise « iure communi » (can. 782, § 2), sed *vi indulti* personalis vel communicati a Vicario vel Praefecto Apostolico vel sibi pertinentis fortassis ratione loci missionis, aut suae religionis, *haec facultas* confirmandi *competat, confirmationem valide confert* b) *solis fidelibus sui ritus* nempe: latini, salva exceptione determinata sic: *nisi in indulto* de quo supra *aliud* nempe: contrarium *expresse* in hac parte *cautum fuerit.* Hoc autem in casu latinum administrationis ritum sequi deberet, non confirmandi ritum, ad normam can[s]. 733 servandam, quia canon praesens sub hoc Capite « de ministro confirmationis » est situs, non in seq. capite. — Pariter § 5. *Nefas est,* quod verbum proprie significat prohibitionem iuris divini, quae supponit facultatem ut sint extraordinarii ministri vi § 2 can[s]. 782 necessariam deesse *presbyteris ritus orientalis, qui facultate* scilicet: habituali forsan ad tempus vel ad certum numerum casuum concessa, sicut supra in hoc §° declaratum est de indulto, *vel privilegio,* videlicet: eo quod illa in perpetuum sit obtenta, vel melius quia ut lex peculiaris pro eorum ritu, iuri communi Codicis contradistinguitur, *gaudent, confirmationem una cum baptismo,* ut apud orientales assolet *infantibus sui ritus conferendi eandem ministrare* nequeunt valide, iuxta declarationem supra positam verborum « nefas est », *infantibus latini ritus,* sive statim post baptismum, cuius administratio eis orientalibus regulariter non licet ad normam can. 98 § 1, 756, sive seiunctim et iam prius baptizatis.

Ex dictis in §§ 4 et 5 eruitur confirmandi facultatem « peculiari concessam indulto » (can. 782, § 2) ita limitari quoad validitatem confirmationis, ut minister sit *a*) presbyter ritus latini vel orientalis (can. 782, § 2), sed eam exerceat *b*) erga solos eiusdem ritus fideles (§§ 4, 5) et *c*) cum chrismate per Episcopum consecrato (can. 781, § 1), ceterasque limitationes potestatis servet, quae in privilegio vel indulto insertae fuerint: solummodo admissa expressa revocatione conditionis sub littera b), quae forsitan indulto presbyteri latini fuerit apposita (§ 4).

77. **De administratione licita confirmationis per ministrum ordinarium.** - Quosnam fideles minister ordinarius possit licite confirmare nos edocet *can. 783.* § 1. *Episcopus* consecratus

in sua dioecesi, proindeque residentialis, *hoc sacramentum etiam extraneis*, videlicet: non subditis ratione domicilii, quasi domicilii, aut vagis ad normam can. 94, *legitime ministrat* idest: secundum canones, *nisi obstet* a) *expressa* verbis, aliisque signis, non solum tacita ex factis, vel silentio, b) *proprii eorum Ordinarii* iuxta can. 94 *prohibitio* generalis vel respectu illius Episcopi, quod ultimum decens non esset sine causa sufficiente; attamen pro libitu facta obstat liceitati.

§ 2. *In aliena dioecesi,* supple: « Episcopus », ut supra, consecratus, sed quoad hanc paragraphum sive residentialis sive titularis, *indiget* a) *licentia Ordinarii loci* ubi conferat confirmationem, b) *saltem rationabiliter praesumpta,* idest: quae ex probabili ratione concedenda putatur, si peteretur, *nisi agatur* a) *de propriis subditis* ratione domicilii vel quasi domicilii in loco ubi confirmans iurisdictionem rite obtinet, quamvis ut Apostolicus Administrator, b) *quibus confirmationem conferat privatim*, scilicet: uni vel paucis, meliusve non in Ecclesia vel oratorio publico c) *ac sine baculo et mitra*, quia hoc esset « pontificalia exercere » (can. 337 § 2), cuius exercitii liceitatem moderatur eiusdem can^s. § 1 concordans praesentis canonis praescripto.

78. **De confirmandis licite subditis alienis per presbyterum.** – Praeter limitationem quoad confirmandos ratione ritus ex §§ 4 et 5 can^s. 782, et aliam quoad territorium ex § 3 servandas pro validitate confirmationis; subiungitur quoad liceitatem pro quibusdam ministris extraordinariis, norma praecedenti similis, nempe: *can. 784. Presbytero quoque licet,* a) *si apostolico locali privilegio sit munitus,* aut « vi indulti » aut « ex iure communi », b) *in designato sibi territorio confirmare* c) *etiam extraneos*, alteri nempe subditos praelato, d) *nisi id* generaliter vel singulariter *ipsorum* confirmandorum *Ordinarii expresse* verbis aut scripto aliisve signis *vetuerint*, quod tamen vetitum validitati confirmationis sequutae non obstaret ad normam can. 11 [1].

79. **Ministrorum confirmationis obligatio hanc conferendi.** – Plene exposita ministrorum legitimitate ad confirmationem tum valide tum licite tribuendam, fuit determinanda sin-

[1] Can. 11. Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

gulorum obligatio hac utendi potestate. Hoc praestat unicus *can. 785.* § 1. *Episcopus* consecratus ac ex contextu residentialis *obligatione tenetur* ratione officii a) *sacramentum hoc* b) *subditis* ei ratione domicilii, aut quasi domicilii, aut vagis ad normam can. 94, c) *rite* ad ss. canonum normam *et rationabiliter* quoad circumstantias et ex-causa non pro eorum libitu *petentibus*, *conferendi* quibuscumque temporibus, sed *praesertim tempore visitationis dioecesis*, veluti illa constituente partem obligationum huiusmet.

§ 2. *Eadem obligatione tenetur* scilicet: « sacramentum hoc rite et rationabiliter petentibus conferendi », non semper ex officio sed saltem vi receptae facultatis, *presbyter*, *privilegio apostolico donatus* « vel iure communi vel peculiari indulto », *erga illos* subditos vel non *quorum in favorem est concessa facultas*, quia unusquisque data opportunitate uti debet gratia in aliorum favorem obtenta. Quod de S. R. E. Cardinalibus asseri nequit, eis enim data est ob dignitatem facultas hoc perfectionis sacramentum liberaliter conferendi.

§ 3. *Ordinarius*, a) *legitima causa* idest: ex legibus vel proportionata *impeditus*, quando sub alterutro ex §§ praec^{s}. comprehenditur, b) *aut potestate confirmandi carens* v. gr. Vicarius capitularis sede vacante, vel presbyter regens dioecesim impeditam ad normam can. 429 § 1, a) *debet* ratione officii quod gerit, b) *quoad fieri possit*, quia huius sacramenti ministrum non semper habebit faciliter, c) *saltem intra quodlibet quinquennium*, temporis intervallum determinatum in can. 343 § 1 ut « Episcopi universam dioecesim lustrent » d) *providere ut suis subditis* (praebendo eis opportunitatem) *hoc sacramentum administretur*. Concordat hoc praescriptum (per substitutionem alterius ministri) cum § 1, quem complet.

Denique ad urgendam praescriptorum canonis exequutionem sequitur § 4. *Si graviter neglexerit*, nempe: ita ut gravis obiective culpa prudenter iudicetur, a) *sacramentum confirmationis*, b) *suis subditis* supra declaratis c) *per se* propter obligationem ex §§ 1, 2, quando sit minister ordinarius vel extraordinarius ex iure, nam propter connexionem huius §^{i} ad praecedentem, propositionis subiectum « Ordinarius » est supplendum, *vel per alium* in casibus § 3 *ministrare, servetur praescriptum can. 274, n. 4*, scilicet: tunc adest abusus de quo « Metropolita Romanum Pontificem certiorem facere » ex can. cit. « potest » et ad praesentis can^{s}. normam debet.

CAPUT II.

De subiecto confirmationis.

Can. 786. - Aquis baptismi non ablutus valide confirmari nequit; praeterea, ut quis licite et fructuose confirmetur, debet esse in statu gratiae constitutus et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus.

Can. 787. - Quanquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant.

Can. 788. - Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latinâ differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur.

Can. 789. - Confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant.

80. **Inscriptio capitis et canonum ordinatio.** – Deinde sequitur *Caput II. De subiecto* (quia substat effectibus) *confirmationis* valide recipiendae, et quoad illius qualitates iure divino vel canonico requisitas, et circa eiusdem obligationes respectu confirmationis suscipiendae. Cuius canones quatuor tractant successive: can. 786 de requisitis iuris divini, can. 787 de obligatione ex iure divino suscipiendi hoc sacramentum, de confirmandi aetate can. 788, ac ut ritibus intersint confirmandi iubentur canone 789.

81. **Subiectum validae ac fructuosae confirmationis.** – Propter duos effectus huius sacramenti, characterem et gratiam ad robur, optime loquitur discernens *can. 786. Aquis validi baptismi non ablutus valide confirmari nequit,* « ita scilicet quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet (in anima); sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum. Cuius ratio est quia ita se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem, ut ex supra dictis patet. Manifestum est autem quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam, nisi primo fuerit natus, et similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest sacramentum confirmationis accipere ». Sic D. Th. [1]. Et Conc. Trid. definivit [2]: « Si quis dixerit, confirmationem *baptizatorum* non esse verum et proprium sacramentum, anathema sit »; atque addit Codicis canon verbum prudenter insertum, *praeterea,* quia scienter accedens non baptizatus peccaret, *ut quis* a) *licite* quoad eius con-

[1] 3ª P. q. LXXII, a. 6. c. — [2] Sess. VII can. 1 de confirmatione.

scientiam b) *et fructuose* scilicet: gratiam obtinens per se ac ex institutione sacramenti, *confirmetur, debet esse* a) *in statu gratiae constitutus,* scilicet: infans ex hoc quod sit baptizatus atque ut ait Pont. Rom. « Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari, vel saltem (ac sufficit) de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur », quod est perfecte dolere ad recuperandum statum gratiae; nam ut inquit D. Th. [1] « sicut ex ipso nomine apparet hoc sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit, et ideo non debet dari his qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, (eo quod character confirmationis ex necessitate praesupponit characterem baptismalem), ita non debet dari adultis peccatoribus (ratione alterius effectus), nisi per poenitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianensi Concilio [2]: ut ieiuni ad confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere ». Et tunc per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut et baptismi, quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur poenitens pleniorem remissionem peccati; et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non « fictus » accedat (ostendens se in statu gratiae constitutum conscius de opposito) per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum » quamvis non sit ad hoc directe institutum. — Explicit canon sic quoad liceitatem et fructum de quibus supra: *et, si usu rationis polleat,* scilicet: adultus, non infans ad sensum can. 745 § 2, « debet esse » b) *sufficienter instructas* in christiano catechismo praesertim circa hoc sacramentum, quam instructionem dandam iniungit parochis can. 1330, 1°. — Consequens est ex commentato canone, omnibus baptizatis absque aetatis aut sexus distinctione confirmationem iure divino tribui posse, atque id corroborat D. Thomas his [3] verbis: « dicitur (Act. II, 2) quod Spiritus Sanctus adveniens replevit totam domum, per quam significatur Ecclesia; et postea subditur quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus qui sunt in Ecclesia exhibendum ».

[1] Loc. cit. a. 7 ad 2[m]. — [2] C. 6 dist. 5. De consecrat. — [3] 3[a] P. q. LXXII, a. 8,

82. **De obligatione recipiendi confirmationem.** - Monet recte *can. 787. Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem*, (quae necessitas intelligitur ita ut sine ipso revera suscepto vel absque illius voto quis salvari nequeat), sic porro quia hoc sacramentum praesupponit in subiecto tum baptismum de quo dicit Summa Veritas: [1] « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit », tum gratiae statum per eius conservationem vel recuperationem de qua scriptum est [2]: « gratia Dei vita aeterna »; *nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere*, scilicet: voluntarie susceptionem sine causa differre, quod sic corroborat explicans D. Thomas [3]: « ideo etiam morituris hoc sacramentum (quamvis non necessarium propter periculum pugnae praesentis) dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud [4]: " Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi „. Et ideo Hugo de S. Victore dicit [5]; " Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret „ non quia damnaretur, nisi propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam consequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam ».

Animadvertatur clausula « non est de necessitate medii ad salutem », quae innuit adesse aliam illius necessitatem, iuxta professionem fidei in formula Pii IV ubi legitur: « Profiteor quoque septem... esse sacramenta novae legis... ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria »; ad quod recte intelligendum utilis est responsio D. Thomae sequens [6]: « omnia sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem; sed quaedam sunt sine quibus non est salus (quod in canone vocatur « de necessitate medii ad salutem ») ; quaedam vero sunt quae cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu sacramenti », quia tunc committeretur peccatum mortale ab aeterna salute removens. Negligentia igitur de qua in canone peccatum veniale a D. Thoma implicite reputatur cum theologis, ac tueri haec sententia etiam nunc potest. — Canon

[1] Marci, XVI, 16. — [2] Ad Rom. VI, 23. — [3] 3a P. q. LXXII. a 8 ad 4m. — [4] Ephes. IV, 13. — [5] De sacram. lib. II part. 7 cap. 3. — III Partis q. LXXII a. 1 ad 3m.

explicit sic parochos adloquens: — *imo parochi curent* pro ipsorum debito officii, consiliis, instructione ac monitionibus, *ut fideles ad illud opportuno* secundum circumstantias *tempore accedant* excutientes negligentiam, etsi de gravi non sit haec damnanda, nisi contemptus periculum adsit.

83. **De aetate confirmandorum.** – Congruenter hucusque relatis, D. Th. ait [1]: « quod aetas corporalis non praeiudicat animae; unde etiam in puerili aetate homo potest consequi perfectionem spiritualis aetatis, de qua dicitur (Sap. IV, 8): " Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata „; et inde est quod multi in puerili aetate propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo »; et sicut Chrysostomus dicit (in homilia de Machabaeis): « in mundanis agonibus aetatis ac formae generisque dignitas requiritur; et ideo servis ac mulieribus, et senibus ac pueris ad eos aditus denegatur. In coelestibus autem omni personae et aetati ac sexui indiscreta facultate stadium patet ». Et Pontificale Romanum sic incipit rubricam de Confirmandis: « Pontifex infantes, pueros vel alios sacri Baptismatis unda perfusos, confirmare volens ». — Hinc recte statuit *can. 788. Licet Sacramenti confirmationis administratio convenienter,* tum quia prius non instat spiritualis pugna ad quam datur robur, tum eo quod intelligens confirmandus, ritus ac caeremonias memoria retinens utilitatem capit, *in Ecclesia latina*, nam secus evenire in orientalibus ritibus confessus est can. 782 § 5, *differatur ad septimum circiter aetatis annum* quando « usum rationis (puer) habere praesumitur » (can. 88 § 3), non ultra illam aetatem ex Ecclesiae approbatione; *nihilominus etiam antea conferri potest* ex dictis supra, et hinc quidem omnino iuxta ss. canones a) *si infans in mortis periculo sit constitutus* etiam in locis ubi praefatus Ecclesiae latinae mos servatur, conferendumque tunc est confirmationis sacramentum ad normam can. 787, 785, § 1 b) *vel ministro* huius vel alterius confirmationis *id expedire,* quod verbum designat convenientiam in casibus, sed *ob iustas et graves causas* v. gr. propter sequuturam magnam illius dilationem ultra septennium, propter difficultatem accessus ad sacram visitationem, etc. *videatur* prudenter sic faciendum esse. Consuetudo in Hispania

[1] Loc. cit. a. 8 ad 2[m].

et America Latina conferendi confirmationem ante septennium sequi potest ad normam can. 5 ob praesentis canonis tenorem.

84. **De adsistentia ritui etiam accidentali.** - De more Ecclesiae latinae praefato ac de ritu sacramenti huius, an sint convenientes, audiatur D. Th. [1]. « Sed contra ea quae obiici possent est usus Ecclesiae, quae a Spiritu Sancto gubernatur ». Item: « Dominus [2] fidelibus suis promisit, dicens: " Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medium eorum „. Et ideo firmiter tenendum est quod ordinationes Ecclesiae dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet ritus quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis esse convenientes ». — Prorsus igitur laudandus *can. 789. Confirmandi, si plures sint,* (nam uno tantum confirmando, si fuerit absens hic, nec incipi posset caeremonia), *adsint* omnes *primae manuum impositioni seu extensioni*, quae fit fere ab initio, non tamen validitati confirmationis est necessaria, imo praeceptum est directe datum confirmandis et post illam venientes confirmari licite possunt; *nec nisi expleto ritu discedant* iuxta Pontificis intimationem ante functionem: « Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit », et per quam administrationis huius sacramenti caeremonia explicit, subsequente illi rubrica: « Expedita itaque confirmatione ». Igitur canon iubet confirmandos adesse debere toti ritui etiam accidentali huius sacramenti.

CAPUT III.

De tempore et loco confirmationis conferendae.

Can. 790. - Hoc sacramentum quovis tempore conferri potest; maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes.

Can. 791. - Licet proprius confirmationis administrandae locus ecclesia sit, ex causa tamen quam minister iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri.

Can. 792. - Episcopo ius est intra fines suae dioecesis confirmationem administrandi in locis quoque exemptis.

85. **Inscriptio capitis et canones sub eo.** - Sequitur *Caput III. De tempore et loco confirmationis conferendae* magis vel minus solemniter, nam Pontificale Romanum in Rubrica finali « De

[1] 3a P. q. LXXII, a. 12, c. — [2] Matth. XVIII, 20.

confirmandis » ait: « Hoc sacramentum potest conferri minus solemniter, quocumque die, hora, et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi ». Tres solos canones caput hoc habet: ac primus seu 790 de tempore loquitur, can. 791 de loco administrationi conveniente, et can. 792 designat loca in quibus Episcopo ius est sacramentum illud conferendi.

86. **De tempore.** - Rubricam Pont.[s] Rom.[1] in hac parte admittit plene *can. 790. Hoc sacramentum quovis tempore* idest: « quocumque die et hora » *conferri potest,* nulla igitur extat prohibitio; *maxime autem decet* propter naturam et effectus Sacramenti huius, de quibus supra dictum est, *illud administrari in hebdomada Pentecostes*, quando celebratur solemniter festum descensus Spiritus Sancti in Domini discipulos; sed decentia illa praeceptum grave non enuntiat.

87. **De loco.** - *Can. 791. Licet proprius confirmationis administrandae locus ecclesia sit*, utpote aedes sacra « divino cultui » seu tamquam domus orationis « dedicata, ut omnibus Christi fidelibus usui sit » (can. 1161); et cui « oratoria publica iure » aequiparantur (can. 1191 § 1), *ex causa tamen quam* a) *minister* ipsius singularis sacramenti conferendi b) *iustam* seu proportionatam *ac rationabilem* idest: rationi non passioni seu lubito innixam *iudicaverit, potest hoc sacramentum* ad normam Pontificalis Romani *in quolibet alio decenti loco*, etsi profano in oratorii defectu *conferri.*

88. **De iure Episcopi.** - *Can. 792. Episcopo* consecrato ac residentiali, illiusque nomine hic « venit quoque Abbas vel Praelatus *nullius,* (can. 215, § 2), *ius est intra fines suae dioecesis,* sive abbatiae vel praelaturae nullius, exclusivum erga alios Episcopos ut supra, *confirmationem administrandi* ubique *in locis quoque exemptis*, ita ut salva regulari observantia, eius voluntati rationabili quoad hanc rem nequeat obstare etiam Superior religionis clericalis exemptae, quominus idipsum peragat. Et praedicto iuri congruit praescriptum can. 783, § 2 ibi declaratum, ac intelligendum de his locis etiam exemptis, quando ait: « in aliena dioecesi », quo casu assensus praedicti Superioris necesse est accedat.

CAPUT IV.

De patrinis.

CAN. 793. - Ex vetustissimo Ecclesiae more, ut in baptismo, ita etiam in confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit.

CAN. 794. - § 1. Patrinus unum tantum confirmandum aut duos praeseptet, nisi aliud iusta de causa ministro videatur.

§ 2. Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus.

CAN. 795. - Ut quis sit patrinus, oportet:

1.° Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2.° Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec ulla ex poenis de quibus in can. 765, n. 2 per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam notatus;

3.° Non sit pater, mater, coniux confirmandi;

4.° A confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus;

5.° Confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat.

CAN. 796. - Ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet:

1.° Sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur;

2.° Sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur;

3.° Serventur praeterea praescripta can. 766.

CAN. 797. - Etiam ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi.

89. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** - Sequitur *Caput IV* inscriptum *De patrinis*, qui hoc in titulo non sunt idem ac susceptores, sed potius tenentes ac praesentantes, scilicet: de his qui supplent spiritualem imbecillitatem ac deficientem experientiam pugnae spiritualis confirmandorum. Duo primi canones 793, 794 necessitatem ac numerum patrinorum statuunt, sequentes 795, 796 qualitates designant, ut quis sit patrinus vere ac licite, huiusque obligationem can. 797 enunciat.

90. **Necessitas patrini confirmandi.** - Cum Innoc. Papa dicat[1]: « Si quis ex coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit... », vere ait *can. 793. Ex vetustissimo Ecclesiae more,* qui legis vim habet, *ut in baptismo, ita etiam in confirmatione adhibendus est patrinus*, sed non ad sacramenti necessitatem, ac propter hoc sequitur: *si haberi possit.* « Hanc legem, excepto casu gravis et urgentis neces-

[1] C. XXX q. IV. c. 3.

sitatis, egregius Ecclesiae Doctor S. Alphonsus simpliciter tradit obligare, et quidem sub gravi, excepto casu quo patrinus (vere talis) haberi non posset ».

91. **De numero patrinorum et confirmandorum.** - *Can. 794. Patrinus unum tantum confirmandum aut duos praesentet* Episcopo, scilicet: in unaquaque functione, « non plures, addit Pont. Rom., nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi »; quod ita expressius est correctum: *nisi aliud iusta* idest: proportionata *de causa* confirmationis *ministro videatur* hic et nunc permittendum.

Quia Conc. Trid. coarctans cognationem « quae ex confirmatione contrahitur », ait singulariter: « ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis », novum non videtur praescriptum § 2. *Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus.*

92. **Necessariae qualitates patrini.** - *Can. 795. Ut quis sit patrinus* vere, prout de hoc loquuntur canones, *oportet* iuris necessitate: — 1° *Sit* a) *ipse quoque confirmatus*, sicut aiebat quoque Pont. Rom. « Nullus, qui non sit confirmatus potest esse in confirmatione patrinus »; nam « licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae christianae; et ideo Episcopo, tanquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militiae christianae adscriptum; non enim debet alium ad confirmationem tenere qui nondum est confirmatus ». Sic D. Thomas [1]. — Addit canon: b) *rationis usum assecutus* sit; quia « hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conversationem vitae, secundum illud [2]: « Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et reverebamur eos », ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus »; demum c) *et intentionem habeat id munus gerendi* secumferens obligationem voluntarie suscipiendam.

Praeterea in Pont.[1] Rom.° ab Episcopo admonente dicitur:

[1] 3ª P. q. LXXII a. 10 ad 2^m. — [2] Hebr. XII, 9.

« Nullus excommunicatus, interdictus vel gravioribus facinoribus alligatus, aut christianae fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum Confirmandum ». Non exprimuntur haeretici, sed evidenter sunt excludendi ex muneris natura; patrinus est enim velut instructor in spiritualis militiae pugna, a qua militia illi defecerunt tanquam desertores. Infames in reiectis a Pontif. Rom. comprehenduntur. — Congruenter igitur decernit canon: 2° *Nulli haereticae aut schismaticae sectae* a) *sit adscriptus,* scilicet: exercitui opposito militiae Christi, b) *nec ulla ex poenis, de quibus in can. 765 n. 2* circa baptismi patrinum mentio facta est, videlicet: « excommunicatione, infamia iuris, exclusione ab actibus legitimis (inter quos recensetur (can. 2256, 2ª) « munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis »), et si clericus sit, depositione vel degradatione » *per sententiam declaratoriam* poenae incursae *aut condemnatoriam* ad poenam subeundam ob delictum *notatus.*

Item; sicut in Pont.[1] Rom.°: 3° *Non sit* a) *pater.* b) *mater,* etsi tantum naturales, c) *coniux* verus aut putativus *confirmandi.* — Conc. Trid.[1] conditionem designationis patrinorum necessariam decernens, loquitur praecise de baptismo; sed Codex ad confirmationem illud extendens ait: 4° *A confirmando eiusve parentibus,* disiunctive quando ille est adultus, vel horum loco *tutoribus*, imo sub conditione: *hi si desint* scilicet: parentes ac tutores, *aut renuant* omnes etiam confirmandus adultus designare patrinum, hic disiunctive *a ministro* illius singularis confirmationis *vel a parocho* ut puto confirmandi proprio ad normam can. 94, ex loco parallelo can. 765 4°, *sit designatus* ad hoc patrini munus. — 5° *Confirmandum in ipso confirmationis actu*, notandaque est diversitas ab eodem num. 5° can.ª 765 de baptismi patrino, « quia per hoc (confirmationis) sacramentum confertur homini pertectio spiritualis aetatis, sicut dictum est, et ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer; nam licet sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter »[2]: *per se vel per procuratorem,* qui admittitur implicite, non tamen hic evadit patrinus, *physice tangat,* quod proprie fit manu v. gr. in humeros confirmandi posita, et hoc sufficit ad validitatem, unde

[1] Cap. II sess. XXIV de Reform. matrim. — [2] D. Th. 3ª P. q. LXXII, a. 10 corp. et ad 1ᵐ.

patet expresse corrigi Rom Pont., ubi ait: « Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentes, teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii maiores, ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Et ideo (nempe ob caeremoniam tenendi) neque masculi foeminis patrini, neque masculis foeminae matrinae esse deberent », de quo statim. Quoad illam vero caeremoniam, praeiverat S. C. S. Officii [1] rescribens Vicario Aplco. Sandwic, ad 13. « Mens est, ut loco pedis ponant patrini manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ».

93. **Patrinus licite adhibendus.** - *Can. 796. Ut quis licite ad patrini munus admittatur* a ministro confirmationis, *oportet:* specialiter pro hoc sacramento: — *1° Sit alius a patrino baptismi*, cum [2] Hyginus Papa dicat: « In catechismo, et in Baptismo et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo romana: sed per singulos (actus) singuli suscipiunt ». Quae necessitas sic mutatur in duplicem exceptionem: a) *nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud pro casu permittere suadeat* b) *aut statim post baptismum legitime* scilicet: iuxta canones *confirmatio conferatur*, in quo casu ab hoc canone conceditur admissio eiusdem patrini pro utroque sacramento. — *2° Sit eiusdem sexus ac confirmandus*, quod iam servabatur, sive hic sit parvulus sive adultus, quamvis Pont. Rom. rationem de adultis solum innuat, et ob naturam officii ac sacramenti dicat D. Th. [3] « quod, sicut dicitur (ad Galat. III, 28): in Christo Iesu non est masculus et foemina; et ideo non differt, utrum masculus vel foemina teneat aliquem in confirmatione ». Et Chrysostomus dicit: (in homilia de militia spirit.): « Multae namque foeminae animo virili spiritualem militiam gesserunt: quaedam enim interioris hominis virtute viros aequaverunt in agonibus martyrum, quaedam etiam fortiores viris extiterunt ». Quapropter subsequitur permissio: *nisi aliud ministro* huius confirmationis singulari, nempe: *in casibus particularibus*, non generaliter, nec pro libitu, sed *ex rationabili* qualibet *causa videatur* admittendus patrinus diversi sexus ac confirmandus. Ultra illas conditiones pro confirmatione peculiares, *3° Serventur praeterea praescripta can. 766* ibi sufficienter commentata.

[1] 11 Dec. 1850. Collect. S. C. de P. F. n. 1054. — [2] Cap. 100 Dist. IV de Consecr. — [3] 3ª P. q. LXXII, a. 10 ad 3m.

94. De confirmationis effectibus iuris in patrino. — Conc. Trid.[1] statuit: « Ea quoque cognatio, quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur ». (Codex abrogavit propter omissionem ex can. 6, 6° cognationem hanc inter dictas personas, videlicet: inter confirmantem ex una parte et ceteras ex altera). Huius etiam cognatio cum patre matreque confirmati pari modo abrogatur in seq. *can. 797. Etiam ex valida* solum *confirmatione* a) *oritur* mutua *inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis*, scilicet: « propinquitas ad similitudinem naturalis consanguinitatis iure canonico statuta et ex confirmatione orta », et quidem rationabiliter; nam ut explicat D. Th.[2]: « duplex est carnalis nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id quod natum est, est adeo debile quod non possit extra exponi sine periculo, et huic nativitati assimilatur regeneratio per baptismum, in quo regeneratur aliquis quasi adhuc fovendus intra uterum Ecclesiae. Secunda est nativitas ex utero, quando iam quod natum erat in utero, tantum roboratum est quod potest sine periculo exponi exterioribus, quae nata sunt corrumpere, et huic assimilatnr confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi. Et ideo congrue per utrumque illorum sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio », b) *ex qua patrinus* confirmationis in se accipiens officium matris Ecclesiae *obligatione tenetur confirmatum*, erga quem singularem peculiariter accepit illud, *perpetuo sibi commendatum habendi*, sicuti perpetua est cognatio contracta, *eiusque* confirmati *christianam educationem curandi*, de qua re Pont. Rom. ait: « Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis annuntiat, quod instruant filios suos (ita vocantur confirmati) bonis moribus, quod fugiant mala, et faciant bona (etiam in particularibus), et doceant eos (explicatione) Credo et Pater noster, et Ave Maria: quoniam ad hoc sunt obligati », et quam obligationem bene adimplebunt, si ut dixit canon, « curent » pro opportunitate « christianam » eorum « educationem ».

[1] Cap. II sess. XXIV De ref. matr. — [2] Supplem. q. LVI. art. 2 ad 1[m].

CAPUT V.

De collatae confirmationis adnotatione et probatione.

Can. 798 - Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis parochus inscribat in peculiari libro, praeter adnotationem in libro baptizatorum de qua in can. 470, § 2.

Can. 799. - Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat.

Can. 800. - Ad collatam confirmationem probandam, modo nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius confirmati iusiurandum, nisi confirmatus fuerit in infantili aetate.

95. **Inscriptio capitis eiusque canones.** – Cum Sacramentum confirmationis « iterari nequeat » (can. 732, 1), eiusque receptio exigatur pluries in Codice ad quosdam actus, necessarium fuit *Caput V. De collatae confirmationis adnotatione* in perpetuam rei memoriam authenticam, *et probatione* ad satisfaciendum ss. canonibus illam confirmationem requirentibus. Tres autem positi sunt hic canones, non aliter ac in eiusdem inscriptionis capite sub titulo de baptismo, nempe : can. 798 de ipsa adnotatione rite peragenda, eiusque certitudini providet can. 799, ac in can. 800 de probatione statutum est.

96. **Signanda propter confirmationem.** - Duo praescripta continet *can. 798. Nomina ministri*, qui est testis qualificatus, *confirmatorum* de quorum confirmatione notitia est conservanda, *parentum*, causâ perfectae designationis illorum, *et patrinorum*, ut de cognationis relatione ac sequenti obligatione coram Ecclesia constet, *diem ac locum confirmationis*, qui cum diversi esse queant, sunt signa perspicua veracitatis, *parochus* « confirmati proprius » prout exprimitur in can. seq., ad normam igitur can. 94, *inscribat*, cuius inscriptionis data fuit declaratio ad can. 470 de libris paroecialibus, *in peculiari libro* ibi « confirmatorum » vocato, et hoc est primum iussum ; secundum autem exprimitur per recordationem, *praeter adnotationem in libro baptizatorum de qua* facienda *in can. 470* cit.° § *2* iubetur, item « eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur ».

97. **De notitia confirmationis danda.** – Non infrequentibus casibus providet *can. 799. Si proprius confirmati parochus* dignoscendus ex applicatione can. 94 *praesens non fuerit* confirma-

tionis collationi, vel saltem in Ecclesia ubi ministratur illa, a) *de collata confirmatione* b) *minister*, cui haec obligatio incumbit, c) *vel per se ipse* oretenus aut suo scripto, *vel per alium* quomodolibet sed d) *quamprimum* id est : diligenter e) *eundem* praedictum parochum cuiuslibet confirmatorum *certiorem faciat :* tali ergo medio utatur quod parochi fidem mereatur. Et huius canonis nulla est in Codice exceptio nec privilegium.

98. **De sufficienti probatione.** - Quod dictum est de baptismo, et potiori ratione dicendum de confirmatione, quae necessaria non est uti medium ad salutem consequendam, id statuit *can. 800. Ad collatam confirmationem probandam* quoad factum, ceteroquin praesumendum validum, *modo nemini fiat praeiudicium,* scilicet : damnum non sit eventurum etiamsi confirmatio revera fuerit omissa, *satis est* a) *unus testis omni exceptione* quoad cognitionem et veracitatem *maior*, seu excludens quamlibet exceptionem, b) *vel ipsius confirmati iusiurandum,* veluti de re sibi utili collata, nec infamandi ex ipsius omissione, *nisi confirmatus fuerit* quando constitutus erat *in infantili aetate* etiam proxima explendo septennio, quia tunc non perciperet confirmationis momentum, ut de ea posset in futurum testificari. Nec admittendus clausulae sensus « fuerit in infantili aetate » quando iuramentum praestare debeat, quamvis verum sit, attamen adeo ex iurisiurandi natura est evidens, ut inutilis esset omnino canonis clausula praedicta.

TITULUS III.

De sanctissima Eucharistia.

Can. 801. - In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus continetur, offertur, sumitur.

99. **Inscriptio tituli ac illius notionis canon.** – Sequitur *Titulus III* magna verborum proprietate inscriptus : *De sanctissima,* quia hoc sacramentum continet Illum « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter », ut ait Apostolus [1], *Eucharistia,* prouti vocatur etiam in recensione sacramentorum facta per dogmaticum can. 1 de sacramentis in genere [2], « id est, bona gratia, quia

[1] Ad Coloss. II, 9. — [2] In sess. VII Conc. Trid.

gratia Dei vita aeterna, in quantum hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria, praebetque novis viam illuc perveniendi, vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia ». Ita D. Th. [1].

Codex in praeambulo canone generali huius tituli valde mirabiliter in summario docet peculiarem huius sacramenti naturam, quia illud solum non transit dum perficitur, sed in re permanenti consistit, eademque ex natura provenit respectus eiusdem triplex, de quo triplici respectu sunt quinque dogmatici canones Conc. Trid. in canone Codicis saltem ex parte coadunati. Videlicet [2]: « Can. 1. Si quis negaverit, *in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri* vere realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima, et divinitate Domini Nostri Iesu Cristi, ac proinde *totum Christum,* anathema sit. — Can. 2. Si quis dixerit, *in sacrosancto eucharistiae sacramento* remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini ;* quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit ». Ac [3] « Can. 1. Si quis dixerit, in missa non *offerri Deo* verum, et proprium sacrificium... anathema sit. Can. 2. Si quis dixerit illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes *offerrent corpus et sanguinem suum,* anathema sit ». Et [4] « Can. VIII. Si quis dixerit, *Christum in eucharistia exhibitum*, spiritualiter tantum *manducari*, et non etiam *sacramentaliter ac realiter*, anathema sit ».

En igitur sanctissimae Eucaristiae notionem in *can. 801. In sanctissima eucharistia*, prout fert inscriptio tituli explicata, *sub speciebus panis et vini* scilicet : sub horum accidentibus sensuum testimonio patentibus *ipsemet Christus Dominus* qui « cum hominibus conversatus est » et nunc « sedet a dextris Dei » [5], et veniet « cum virtute multa et maiestate » [6], *continetur,* ita ut [7] « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sa-

[1] 3ª P. q. LXXIII a. 4 corp. — [2] In sess. XIII. — [3] In sess. XXII. — [4] In sess. XIII. — [5] Marci, XVI, 19. — [6] Matth. XXIV, 30. — [7] Sess. XIII, Can. IV.

cramento non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post ; et in hostiis, seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit » ; *offertur* in sacrosanctae Missae sacrificio, *sumitur* in sacra communione. — Etenim « hoc sacramentum habet triplicem significationem : unam quidem respectu praeteriti, inquantum scilicet est commemorativum dominicae passionis, quae fuit verum sacrificium, et secundum hoc nominatur *sacrificium ;* aliam autem significationem habet respectu rei praesentis, scilicet ecclesiasticae unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum ; et secundum hoc nominatur *communio* vel *synaxis.* Dicit enim Damascenus [1] « quod dicitur communio quia communicamus per ipsam Christo, et quia participamus eius carne et divinitate, et quia communicamus et unimur ad invicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri », quam retulimus in tituli inscriptione « et secundum hoc dicitur *viaticum* et etiam *Eucharistia* » [2].

100. Distributio tituli in capita, sacrorumque de eucharistia canonum. — Hoc sacramentum ex institutione Christi, iuxta veram fidem : 1° debet offerri Deo, ipsum consecrando ac sumendo in memoriam passionis Christi ; iuxta illud « hoc facite quotiescumque in meam commemorationem », et iterum iuxta Apostolum [3] : « quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat » : 2° Ille « est panis vivus qui de coelo descendit » [4], dixitque Iesus : « nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis » ; et in illis duobus habetur actio sacramentalis et huius sacramenti susceptio, quae in aliis sacramentis simul coexistunt : sed propter naturam eucharistiae in re permanenti, inter consecrationem illius et susceptionem usque ad consumptionem 3° continet verum Christum, Filium Dei, Filiumque hominis ; dixit enim Iesus [5] : « Hoc est corpus meum », « Hic est sanguis meus » ; ac proinde eo quod nobiscum sensibiliter maneat, obiectum praecipuum est cultus publici, et ei exhibendus omnis honor et gloria. — Ecclesia ergo ob summam reverentiam et gratitudinem, pluri-

[1] Orth. fidei lib. IV cap. 14 ad fin. — [2] D. Th. loc. cit. — [3] I ad Corinth. XI, 24-26. — [4] Ioan. VI, 51, 54. — [5] Matth. XXVI, 26, 28. —

mas leges tulit: 1° ut [1] « quanta maxima fieri potest interiori cordis puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur missarum celebratio; et quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, arceantur »; 2° ut suscipientium hoc Sacramentum utilitati ac ipsius administrandi venerationi consuleret; 3° ut honorifice cum omni reverentia et timore pertractetur Christi Corpus sub hoc Sacramento.

Cum vero « leges liturgicae vim suam retineant, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur » (can. 2); praecipui tantum sacri canones propter primum scopum conditi, referuntur in « Cap. I. De sacrosancto Missae sacrificio », qui vero respiciunt administrationem ac susceptionem Eucharistiae digesti sunt in « Cap. II. De sanctissimo Eucharistiae sacramento », reservatis ceteris pro eiusdem Sacramenti cultu multiplici ad partem Libri huius « De cultu divino ».

CAPUT I.

De sacrosancto Missae sacrificio.

Art. 1. — *De sacerdote Missae sacrificium celebrante.*

Can. 802. - Potestatem offerendi Missae sacrificium habent soli sacerdotes.

Can. 803. - Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis Episcoporum secundum Pontificale Romanum.

Can. 804. - § 1. Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat.

§ 2. Si iis litteris careat, sed rectori ecclesiae de eius probitate apprime constet, poterit admitti: si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet.

§ 3. Peculiares hac de re normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servandae sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis.

Can. 805. - Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum; curet autem Episcopus vel Superior religiosus ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur.

Can. 806. - § 1. Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.

§ 2. Hanc tamen facultatem imper-

[1] Conc. Trid. sess. XXII, Dec. de observandis et evitandis in celebratione Missae.

tiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere.

CAN. 807. - Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat: quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur.

CAN. 808. - Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a media nocte servato.

CAN. 809. - Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis, tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus, salvo praescripto can. 2262, § 2, n. 2.

CAN. 810. - Sacerdos ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem sese piis precibus disponere, eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere.

CAN. 811. - § 1. Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat et sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta.

§ 2. Abstineat autem a pileolo et annulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorumdem usum in Missa celebranda eidem permittat.

CAN. 812. - Nulli sacerdoti celebranti, praeter Episcopos aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, licet, sola honoris aut sollemnitatis causa, habere presbyterum assistentem.

CAN. 813. - § 1. Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat.

§ 2. Minister Missae inserviens ne sit mulier, nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat.

Art. I. De sacerdote Missae sacrificium celebrante	quoad potestatem	habitam		Can. 802
		exercendam	cum aliis sacerdotibus	» 803
			in ecclesia cui extraneus est	» 804
	pluries	in anno		» 805
		in die		» 806
	quoad dispositiones	circa conscientiam		» 807
		circa ieiunium		» 808
		circa applicationem illius		» 809
		piis precibus		» 810
		circa vestem et ornatum		» 811
	circa servanda	quoad assistentem		» 812
		quoad inservientem		» 813

101. **Inscriptio capitis I ac distributio in articulos.** — *Caput I* inscribitur proprie *De sacrosancto,* quia victima est ille [1]

[1] Petri, II, 22.

« qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius » et simul [1] « Agnus Dei qui tollit peccata mundi » proinde verissime sanctus, ac eo ipso, quod hostia panis ac vini fit sancta per transubstantiationem, Deo sacratur; *Missae,* sive quia ut quibusdam placet in fine illius dimittuntur fideles, sive melius et aptius quia dum non fit mactatio physica victimae, solum oblatio Deo missa sensibiliter oculis patet; denique *sacrificio* antonomastice dicto, quia iuxta Conc. Trid. [2]: « Si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit ». Verum est ergo sacrificium, omnium sacrificiorum antiquorum effectus in seipso tantum continens virtute ac supergrediens.

Tridentina Synodus docet [3]: « quia per mortem sacerdotium Iesu Christi extinguendum non erat; in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae *visibile,* sicut hominum natura exigit, relinqueret *sacrificium,* quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repraesentaretur: ...et infra... una enim eademque est hostia; idem *nunc offerens sacerdotum ministerio,* qui se ipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa* ». Hinc optime caput distribuitur in duos primos articulos: « I. de sacerdote Missae sacrificium celebrante », et « II. De Missae ritibus et caeremoniis », quibus accedit de circumstantiis extrinsecis alius, nempe: « Art. III. De tempore et loco Missae celebrandae ». Sed cum « eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito (can. 730) temporale detur », complendum fuit Caput I de Missae sacrificio per « Art. IV. De Missarum eleemosynis seu stipendiis », ut quoad haec rite adimpleantur obligationes.

102. **Ius praecedens respectu vigentis disciplinae.** — Inter sacras leges circa missam (sepositis quae crimina coercent in eius celebratione patrata), quidam ss. cc. liturgiam moderantur tum in his quae pertinent ad apparatum huius celebrationis, tum in aliis quae in celebratione huius mysterii dicuntur, vel circa ipsam celebrationem fiunt; alii ss. cc. determinant locum, tempus, aliasque

[1] Ioan. I, 29. — [2] Sess. XXII can. III. — [3] Sess. XXII, cap. 1 et 2.

disciplinares conditiones in sacro litando servandas; alii denique obligationes celebrandi applicandique divinum sacrificium statuunt ac normas servandas quoad missarum stipem. Circa horum singulas classes invigilant SS. CC. Rituum, de Sacramentorum disciplina et Concilii. Omittit ergo sacrorum canonum Codex quamplura statuta liturgicae disciplinae relinquenda, cetera hic iuxta Codicis ordinem exponere intendimus. — Ius praecedens de Sacri litandi disciplina praecipue fuit eruendum ex Tit. de celebratione missarum in Lib. III, Collectionum Corporis iuris, ex Dec°. Conc. Trid. De observandis et vitandis, etc. et ex Dec^s. recentioribus. Praefatum ius quoad celebrandi obligationem et missarum stipem inveniri debuit in praedicto Tit. Decret^m., in Dec°. « Ut debita » S. C. C. [1] cum subseq^s. Declarat^s., et in C. « Nuper » Inn. XII [2]. [3] ... « Decernit S. Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere,... atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quae vel *avaritia,* idolorum servitus, vel *irreverentia,...* vel *superstitio...* induxit ».

« Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis... illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant ». Huc pertinent dicenda in fine quoad stipem missarum.

« Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago, et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat ». Et ab hoc deinde incipiemus. « Neminem praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant (hoc vero ita dictum sufficiat): neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus, aut a regularibus quibuscumque peragi: ac nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse ». Et haec omnia explicabimus.

« Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, poenis propositis, caveant, ne sacerdotes aliis, quam debitis horis, celebrent; neve ritus alios, aut alias caeremonias et preces in missarum

[1] 11 Maii 1904. — [2] 23 Nov. 1697. — [3] Dec. Conc. Trid. sess. XXII De observandis et vitandis...

celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae, ac... receptae fuerint... Haec igitur omnia... locorum Ordinariis ita proponuntur,... ut quaecumque alia huc pertinentia... etiam ut delegati Sedis Aplcae... corrigant, statuant ;... censuris ecclesiasticis, aliisque poenis... subiectos compellant : non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Nunc post Codicem et per eum haec omnia ita praescripta inveniemus, ut ea urgere Ordinariis sufficiat.

103. **Inscriptio articuli.** – *Art. I.* inscribitur : *De sacerdote* scilicet : de persona per competentem auctoritatem deputata cum aliarum exclusione, ut in cultu Divinitatis publico praecipuum illius actum perficiat, nempe : in Ecclesia *Missae sacrificium* supra declaratum *celebrante*, hoc est : per illud commemorante magnum Redemptionis beneficium a Deo hominibus datum. Et quidem in hoc Art°. canones continentur circa omnia, quae in eodem requiruntur ad Missam celebrandam, et non solum ut id possit, sed ut licite ac secundum legitimas normas ministerium tam excelsum peragat, omissis aliis requisitis, quae pro isto aliisque cultus actibus necessaria sunt, v. gr. immunitas a censuris aliisque impedimentis canonicis, et alia quamplurima.

104. **Celebratio missae** est « oblatio per sacerdotem Deo facta corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini per consecrationem ac sumptionem, adhibitis caeremoniis ac ritibus ad haec ab Ecclesia praescriptis ». Dicitur *oblatio Deo facta* eo quod Missa utpote verum sacrificium solum Deo exhiberi debet, iuxta illud c. 3, sess. XXII, « non tamen sanctis Sacrificium offerri (Ecclesia) docet, sed Deo soli... ». Additur *per Sacerdotem,* ad innuendum pro validitate requiri ministrum divinitus constitutum per susceptionem ordinis sacerdotalis, nam iuxta Conc. Later. IV : « Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus », et quia omnes aliae personae intervenientes huic sacrificio deserviunt solum vel adhaerent ei principaliter offerenti. Verba *corporis et sanguinis Christi* posita sunt, quia vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari quotidie immolatur. *Sub speciebus panis et vini* dicitur, quoniam sic « incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit » [1].

[1] Sess. XX De sacrif. Missae, c. II in Conc. Trid.

Dictum est *per consecrationem ac sumptionem* iuxta illud Miss. Rom. De defect^{s}. X, 4. « Si quis extra huiusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat », quia istae sunt principales partes missae numquam omittendae, seposita quaestione, num ad essentiam vel integritatem sacrificii unaquaeque earum pertineat. Demum per ultima verba significatur celebrationem missae non tantum substantialibus sacrificii sed etiam accidentalibus perficiendam esse; sive accidentalia nominentur sacra utensilia, vestimenta, vasa, sive preces, sive aliae actiones liturgicae, dum tamen proxime ordinentur ad principales partes, uti praeparatio vel uti solemnitas aut complementum earum.

105. **Ordo canonum.** — Definitis personis, quae hanc potestatem habent, in can. 802, praescripta sequuntur de illius licito exercitio: sub can. 803 cum sociis celebrationis, sub can. 804 in ecclesia cui sacerdos extraneus est, ac sub can. 805, 806 quoad vices, quibus in anno sunt obligati, vel in die licet ipsis. Postea ordinantur de dispositionibus canones 807-811, nempe: quoad puram conscientiam, quoad ieiunium, circa applicationem Missae et coniungendas huic preces, ac de corporis ornatu: denique duo prostremi can. 812, 813 de assistente immediate ac inserviente huic celebranti praescriptiones continent.

106. **Potestas offerendi.** — In professione fidei Waldensibus praescripta invenimus: « Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcumque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest nec debet Eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili Episcopo regulariter ordinatus ». Cuius textus expositionem nobis tradit D. Thomas[1]: « virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione et ordinatione, cum ei dicitur ab Episcopo: Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis quam pro mortuis. Nam et virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quae agit principale agens » et « laicus iustus unitus est Christo unione spirituali per fidem et caritatem, non autem per sacramentalem potestatem; et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur: (Psalm. L. 191): Sacrificium

[1] 3^{a} P., q. LXXXII, a. 1 ad 1^{m} et 2^{m}.

Deo spiritus contribulatus, et (Rom. XII, 1): Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Unde et (I Petri II, 5) dicitur: Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias». — Rationem autem necessariae potestatis prius firmavit (loc. cit. in corp.) his verbis: « hoc sacramentum Eucharistiae est tantae dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est a Domino [1]: "Hoc facite in meam commemorationem „. — Et ideo dicendum est quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum ».

Ex dictis iam recte ac plene intelligitur *can. 802. Potestatem offerendi Missae sacrificium*, quae pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis, *habent soli sacerdotes*, scilicet: sive hi habeant plenitudinem sacerdotii, ut sunt Episcopi, sive non habeant, ut presbyteri, quia illam obtinent vi ordinationis in presbyteros, ut vidimus. — Eamdemque retinent quoque mali sacerdotes, etiamsi per haeresim, schisma vel excommunicationem sint ab Ecclesia praecisi, imo adhuc per Episcopum degradati. Quod sic patet: « sacerdos in missa, in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiae, in cuius unitate consistit; sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem » [2].

Nunc vero: « sacerdos consecrat hoc sacramentum ut minister Christi. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi (nec est ab unitate Ecclesiae separatus), quod est malus: habet enim Dominus bonos et malos ministros, seu servos (et Ecclesia membra prava). Unde Dominus dicit: "Quis putas est fidelis servus et prudens? „ etc. et postea subdit: "Si dixerit malus iste servus in corde suo „ etc. [3]. Et Apostolus dicit [4]: "Sic nos existimet homo, ut ministros Christi „; et tamen postea subdit: "Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum „. Erat ergo certus se esse ministrum Christi; et tamen non erat certus se esse iustum. Potest ergo aliquis esse minister Christi, etiamsi iustus non sit » [5]. —

[1] Lucae XXII, 19. — [2] D. Th. 3ª P., q. LXXXII, a. 7 ad 3ᵐ. — [3] Matth. XXIV, 45. — [4] I ad Corinth. IV, 1. — [5] Loc. cit. a. 5 corp.

Pariter (loc. sup. cit.) « Si sacerdos ab unitate Ecclesiae praecisus (per haeresim, schisma, excommunicationem) missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus et sanguinem Christi; sed quia est ab unitate Ecclesiae separatus, orationes eius efficaciam non habent ». — Demum quoad suspensionem et degradationem, « dicendum, quod episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei, cuius effectus per hominem tolli non potest, secundum illud [1]: "Quod Deus coniunxit, homo non separet„. Et ideo Episcopus non potest hanc potestatem auferre, sicut nec ille qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem » [2].

107. **Prohibitio concelebrationis.** — Ait D. Thomas [3] « quod si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerent alii celebrantes (simul cum ipso) uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum aut per multos hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari ». Inter varios igitur ritus catholicos, concelebratio apud orientales frequentior est, dum pro Latina Ecclesia « quam unam respicit Codex iuris canonici » (can. 1) statuit *can. 803. Non licet* iure canonico, cum ius divinum nec invalidam, nec illicitam reddat concelebrationem, *pluribus sacerdotibus concelebrare,* scilicet: simul peragere idem sacrificium ratione victimae sub eisdem numero speciebus panis et vini, cum duabus tantum exceptionibus: *praeterquam* a) *in Missa ordinationis presbyterorum* in qua nempe neo-presbyteri ordinantur, et concelebrare Episcopo praecipiuntur. — De ipsa haec iam inveniuntur apud D. Th. (loc. cit. corp.): « sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in coena. Et ideo secundum consuetudinem quarumdam ecclesiarum, sicut Apostoli Christo coenanti concoenaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant ». — Nec propter hoc iteratur consecratio super eamdem hostiam, quia, sicut Innocentius III dicit [4], *omnium intentio debet ferri* ad idem *instans consecrationis* », quod sic intelligendum puto: in quo Episcopus formam consecrationis complet, cui praecipuo consecranti ceteri sua verba humano moraliter modo uniunt, quamvis

[1] Matth. XIX, 6. — [2] Loc. cit. a. 8 ad 2m. — [3] 3a P., q. LXXXII, a 2 ad 2m. — [4] De myst. missae lib. IV, cap. 25 in med.

intentio simul consecrandi cum Episcopo sufficeret absque ulteriore determinatione. — Eadem valet adducta praescripti Pont. Rom[1]. ratio de altera exceptione, videlicet: b) *et in Missa consecrationis Episcoporum,* in quarum missarum alterutra praedictarum ita fieri debet *secundum Pontificale Romanum;* igitur ab eis pro quibus illud viget. — Porro hic liber liturgicus continet formulas et rubricas munerum Pontificalium, ac post diligentem revisionem Clemens VIII per Breve « Ex quo » diei 10 Febr. 1596 pro Latina Ecclesia publicavit, supprimendo et abolendo « omnia et singula Pontificalia... in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa et approbata, et quibusvis privilegiis Apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata », et statuit: « Pontificale praedictum, nullo umquam tempore in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quascumque personas, quae Pontificalia munera exercere, vel alias, quae in dicto Pontificali continentur, facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et praestanda ex huius Pontificalis praescripto et ratione teneri, neminemque ex eis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quae hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere posse ».

108. **De celebratione missae in Ecclesia ad quam sacerdos non pertinet.** — Conc. Trid.[1] statuit: « Nullus praeterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur ». Ius praecedens innixum huic Dec°. et alteri « De servandis et vitandis in celebratione Missae » transfertur complete in hunc *can. 804.* § 1. *Sacerdos* α) *extraneus* scilicet: non adscriptus quolibet modo legitimo *ecclesiae* nempe: aedi sacrae Ecclesiae latinae (can. 1) divino cultui dedicatae *in qua celebrare postulat,* β) *exhibens authenticas* scilicet: debitis subscriptione ac sigillo munitas, *et adhuc validas,* quatenus tempus definitum in eis non effluxerit, vel alias ipsae non fuerint revocatae, *litteras commendatitias,* scilicet: per quas eius Superior testificans fortassis de immunitate ab impedimentis, eum tamquam sacerdotem apud legentes illas collaudat. a) *sui Ordinarii, si sit saecularis* cleri presbyter. b) *vel sui Superioris,* etiam localis, *si religiosus,* scilicet: « qui vota nun-

[1] Sess. XXIII, c. 16 de Ref.

cupavit in aliqua religione» (can. 488, 7°) huic manens adscriptus, seu non egressus e religione (Titulo XV), c) *vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis* presbyter saecularis aut religiosus, *ad Missae celebrationem admittatur,* quod praescriptum servandum est, ceteris servatis servandis, *nisi interim,* scilicet: a data litterarum praefatarum, *eum commisisse* actu aliquo, nam de omissionibus probatio difficilis est, *constet* moraliter certo, atque tale sit factum *cur a Missae celebratione repelli debeat,* vel quia publicum, propter scandalum, aut censuram, vel ob peccatum grave non confessum etsi occultum, si repulsa occulte fiat.

§ 2. *Si iis litteris careat,* prout hae fuerunt in §° 1° determinatae, nondum hac solum de causa repellendus; *sed* a) si *rectori ecclesiae,* qui disciplinae curam in ea legitime habet quoad hanc rem, vel ad normam can. 479, § 1, vel in ceteris ecclesiis secundum alias legitimas normas, *de eius* extranei sacerdotis postulantis celebrare *probitate apprime constet,* ac proinde § 1[1] exceptio exulet, ac finis litterarum commendatitiarum habeatur, *poterit admitti,* quin debeat hoc in casu ob sibi imputandum litterarum defectum; b) *si vero rectori* supra declarato *sit ignotus* supple: praefatus sacerdos, *admitti adhuc potest semel vel bis,* aeque prorsus, quia « nemo praesumitur malus, nisi probetur » praecipue in re adeo gravi, sed prudentia dictavit conditiones: *dummodo* a) *ecclesiastica veste indutus,* etsi non talari, ad normam can. 136, § 1 qua se monstret publice ut adimplens obligationem status proprii, b) *nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat* ob praedictam admissionem, *quovis titulo* v. gr.: eleemosynae, fundationis ad meram celebrationem, propter horam tardam in qua celebret ob ecclesiae commoditatem, etc. *percipiat,* sic remoto pecuniae impulsu ad celebrationem, c) *et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro* pro celebrantibus omnibus, vel pro his extraneis *signet,* nam huiusmodi scriptum deservire posset ut probatio, si contra hanc personam Superior ecclesiasticus procedere ex prudentia cogeretur.

§ 3. *Peculiares hac de re normae, salvis huius canonis praescriptis,* scilicet: tum quoad iussa, tum quoad permissiones, quibus proinde non opponantur illae, *ab Ordinario loci datae,* nam his solum ad normam can. 198, § 2 favet canon, *servandae sunt ab omnibus,* tum volentibus celebrare tum praedictis ecclesiarum rectoribus intra dioecesis fines, *etiam religiosis exemptis,* cum hac

exceptione: *nisi agatur de admittendis* sacerdotibus extraneis ad celebrandum *religiosis* (exemptis vel non) *in ecclesia suae religionis* ad normam can. 488, 1°, quam professi sunt, atque domus religiosae ad cuius familiam non pertinent.

109. Peculiaris lex de sacerdotibus trans Oceanum migrantibus viget quam subnectimus ex Dec°. S. Congr. Consist^s. « Magni semper negotii » [1]. « Sacerdotes, etiam religiosi exclaustrati aut saecularizati ex Europa vel ex Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas migrantes, aliique his aequiparati in capite III° Decreti qui hisce litteris (nempe discessorialibus specifica forma confectis, ut in num. 2° Decreti explicatur, secus hae nullae habeantur) vel licentia (S. Congr^s. Consist^s. pro Italis, Aplcae Sedis Legati pro Hispanis et Lusitanis) carent, ad sacri ministerii exercitium admitti nequibunt: qui vero iis pollent, admittentur etiam in locis transitus, nisi peculiaris aliqua extraordinaria ratio (v. gr. iuxta exceptionem sub § 0 1^a can^s. praec^s.) obsistat, (et quoad illam admissionem est intelligenda sequens conditio): si ibidem infirmitatis aut alia iusta causa commorari parumper coacti fuerint ».

110. De obligatione celebrandi in anno. – *Can. 805. Sacerdotes* qua tales, idest: ex ordine iam suscepto, proinde *omnes*, etiamsi non habeant curam animarum, *obligatione* iuris divini *tenentur Sacrum litandi*, hoc est: Missae sacrificium celebrandi *pluries per annum*. Non determinatur quoties, sed non sufficeret « bis » iuxta regulam iuris XL: « Pluralis locutio duorum numero est contenta », nam si hoc voluisset legislator, expressius dicere potuisset « bis saltem », ut alias scriptum est; et adverbium « pluries » designat proprie maiorem numerum, v. gr. saltem quatuor in anno, secundum caput « Dolentes » de celebratione missarum (III, 41) ubi scriptum est: « Sunt et alii qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno: et (quod deterius est) interesse contemnunt... et infra... Haec igitur et similia sub poena suspensionis penitus inhibemus ». Et huic numero adstipulari videtur, quando pro suo tempore sic loquutus est D. Thomas probans hanc obligationem [2]: « unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud [3]: " Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis „. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum atten-

[1] 30 Dec. 1918. CO, XI, 41. — [2] 3^a P. q. LXXXII a. 10 corp. — [3] II ad Corinth. VI, 1.

ditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur, (ad quod sacerdos obligatur Deo ex ordine iam suscepto (ib. ad 1^m) definiente Conc. Trid.° in sess. XXII Can. II: «Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum... non ordinasse, ut ipsi apostoli, aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum, anathema sit»). Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur quod celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt. (Quod intelligendum videtur de communione ob ecclesiasticum praeceptum, nunc temporis annuale). Et hinc est quod (II Machab. IV, 14) contra quosdam sacerdotes dicitur quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo et sacrificiis neglectis ». — Nec praetermittendum censeo, quod (ad secundum, ibid.) addit: « sacerdos peccator, si per sententiam Ecclesiae sit executione ordinis privatus, vel simpliciter, vel ad tempus, redditus est impotens ad sacrificium offerendum (et in casibus similibus); et ideo obligatio tollitur. — Hoc autem cedit ei in detrimentum spiritualis fructus magis quam in emolumentum. Si vero non sit privatus potestate celebrandi (nempe: quoad exercitium), non solvitur obligatio; nec tamen perplexus est, quia potest de peccato poenitere et celebrare », idemque dicas de suspensionis medicinali poena. — Sed in Conc. Trid. [1] legitur, quod in canone 805 sequitur; *curet autem Episcopus* (sub cuius « nomine venit quoque Abbas vel Praelatus *nullius* », can. 215, § 2), et hic addit: *vel Superior religiosus,* etiam religionis non exemptae, aut Congregationis iuris dioecesani, *ut iidem* supple: sacerdotes « omnes » videlicet: alterutrius subditi, *saltem singulis diebus dominicis,* ut aiebat Conc. Trid., « et festis solemnibus » sic nunc designatis: *aliisque festis de praecepto divinis operentur,* quod idem est ac « missas celebrent ». Quoad intelligentiam vero huius canonis utpote Concilii Trid. capiti concordantis, deservit quod quaesitum fuit a S. C. C.: « An Episcopus facere debeat id solis adhortationibus et admonitionibus, an vero possit monere sub poenis et censuris, ut legitime non impediti debeant celebrare. — Et S. C.

[1] Sess. XXIII cap. 14 de Ref.

reposuit non posse ex cap. 14 sess. XXIII ». Et idem tenendum ex vi canonis 805, sed praefatam celebrationem curare adhortationibus et admonitionibus opportunis ex canonis praescripto debet.

111. De celebratione iterata in eodem die. - Ex Const. « Allatae sunt » Bened. XIV [1] discimus: « Pervetustus est atque universim in latinam Ecclesiam receptus ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalitio Christi die offerendi; verum apud orientalem Ecclesiam nullum extat praefati ritus vestigium ». — Hic ritus vero est concessio bini aut trini Sacrificii eo die, non obligatio, quia ut infra patebit, est exceptio prohibitionis in canone expressae ius praecedens dilucide continente. — Videlicet: *can. 806.* § 1. *Excepto die Nativitatis Domini* ex cap. 3 « Consuluisti » Innoc. III de celebrat. missar. (III, 41) *et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum*, scilicet: 2ª vel 3ª Novembris, « quo die agitur Solemnis Commemoratio », ut ait Bened. XV in C. « Incruentum » [2] qui exceptionem hanc « omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus » extendere dignatus est, sequentibus de causis. « Etenim Christifidelium, ait, qui missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta esse, partim ab iis negligi qui minime omnium debeant. Huc accedit, ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redituum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Aplcam. Sedem adire ».

« Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate... impellimur, ut omissa cum ingenti earum (animarum Purgatorii) detrimento suffragia, quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus... ».

Alia vero causa impellens fuit: « Quandoquidem vero communis omnium Pater divino consilio facti sumus, filios vita functos (in bello immanissimo) ...volumus paterna cum largitate, congesti e Christi Iesu meritis thesauri abunde participes efficere ».

Canon igitur statuit, excepto utroque declarato die, *quibus facultas est* cuilibet Ecclesiae Latinae sacerdoti ad normam can. 1, non obligatio, *ter offerendi Eucharisticum Sacrificium*, vel semel aut bis, iuxta regulam iuris XXXV in 6°. « Plus semper in se con-

[1] 25 Mart. 1755. — [2] 10 Aug. 1915. CO. VII, 403.

tinet quod est minus », quo in casu missa vel duae missae dicantur, secundum Rubricam Missalis Romani pro die Nativitatis Domini, convenientes celebrationis tempori, ac pro altero die iuxta const. « Incruentum », videlicet: « III. Tres missae (illae), sic legantur, quemadmodum fel. rec. D. N. Bened. XIV praescripsit ». — Editae apparent in Dec.[1] S. Congr. Rit. Urbis et Orbis [4], quod sic explicit: « Servatis de cetero Rubricis necnon peculiaribus Ritibus Ordinum propriis ». Ergo in his Ordinibus etiam illae Missae adhiberi debent. Ritui Ambrosiano provisum est per aliud Dec. ei. Congr.[3] [2]. — Sequitur ex const.[6] « Qui unam tantummodo missam celebrare velit, eam legat quae in Missali inscribitur legenda in Comm. omnium fidelium defunctorum; eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus est, facta ei potestate anticipandae alterius et tertiae ». Quae omnia, utpote « leges liturgicae, vim suam retinent » (Can. 2). Idem ad complementum dicatur quoad dubiorum solutionem a S. Congr. Rituum datam [3]: « An... in Commemoratione omnium fidelium defunctorum: I. Sacerdos unam vel duas tantum Missas celebrare queat, et II. in utroque casu quaenam Missae ex descriptis in decreto SS. Rituum Congregationis *Urbis et Orbis* (supra citato) legendae sint, ac demum III. pro quibus eaedem applicandae? — Ad I. Affirmative ad utrumque. Ad II. Prima Missa ex supradescriptis semper legenda est; altera erit secunda. Ad III. In utroque casu una Missa ad intentionem celebrantis, in secundo tamen casu, altera ex duabus Missis pro omnibus fidelibus defunctis applicanda est ».

Item, « a S. Rituum Congr.[6] sequentium dubiorum solutio expostulata est [4]; nimirum. — 1. An Sacerdos, qui ob debilitatem visus aliamve iustam causam ex Indulto Sedis Apostolicae celebrat aliquam ex Missis votivis aut Missam quotidianam defunctorum, possit in die Commemorationis Omnium fidelium defunctorum ter sacrum facere, eamdem Defunctorum Missam quotidianam repetendo? — 2. An idem Sacerdos, qui pariter ex Apostolicae Sedis Indulto Missam Deiparae votivam aut aliam votivam celebrat, valeat in posterum die Nativitatis Domini eamdem prorsus Missam ter dicere?

Et Sacra eadem Congr.... rescribendum censuit: — *Affirmative ad utramque* quaestionem facto verbo cum Sanctissimo; de

[1] 11 Aug. 1915. CO. VII, 442. — [2] 10 Oct. 1915. CO. VII, 497. — — [3] 28 Febr. 1917. CO. IX, 186. — [4] 26 Ian. 1920. CO. XII, 122.

cetero rite servatis tum Const. Aplca. « Incruentum altaris Sacrificium », 10 Aug. 1915, tum Rubricis ac Decretis dies Nativitatis Domini et Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum respicientibus ». Post hanc declarationem prae mentis oculis habenda est quoque eiusdem S. Congr.ª « Instructio pro sacerdote caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex Indulto Apostolico concessam » [1].

Sequitur in canone interpretando prohibitio generalis: *non licet* (nam valide pluries celebraret) *sacerdoti* cuilibet ex dictis supra, *plures,* etiam solas duas *in die celebrare Missas* iuxta regulam iuris XL in 6°. « Pluralis locutio duorum numero est contenta »; *nisi* a) *apostolico indulto* cuius tenori standum esset, et quod erit « accensendum privilegiis » (can. 66, § 1) ac « in dubio interpretandum ad normam can. 50 » (can. 68), b) *aut potestate facta a loci Ordinario* ad normam can. 198, § 2, nec sufficit quod « causae necessitas (etiam certa) aliud suadeat », sicut excipiebat Innoc. III in cap. cit. — Scitu opportunum pro praxi addendum est Dec. S. Congr. Rituum in Albinganen. [2]: « Utrum attenta Const. Aplca. " Incruentum „... in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, liceat canere Missam pro defuncto, praesente cadavere? Et S. Congr. rescribendum censuit: Affirmative iuxta Rubricas et Decreta. Missa autem sit una ex tribus missis quae dicuntur in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum: et Orationi Missae addatur Oratio pro defuncto, sub unica conclusione ».

Hoc responsum sic determinatum est per recentiorem S. R. C. rubricam sequentem [3]. « Quod si in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum agatur funus alicuius Defuncti, sumatur prima Missa (iuxta citatum supra textum const. « Incruentum »), et in Ecclesiis et Oratoriis ubi prima Missa solemniter celebrata fuerit, aut pro Officio diei distincte sit dein celebranda, dicatur secunda, aut demum tertia Missa; addita tamen in ipsa Missa exsequiali, sub unica conclusione, Oratione pro eodem Defuncto, ut pro die obitus ».

De praefata vero potestate facienda prae oculis habeatur § 2. *Hanc tamen facultatem* pro uno vel pluribus festis, vel indefini-

[1] 12 Ian. 1921. CO. XIII, 154. — [2] 10 Ian. 1919. CO. XI, 143. — [3] Additiones et variationes in rubricis Missalis S. Ord. Praed. III, 3 in fine.

tam, *impertiri nequit Ordinarius,* et consequenter prohibitio plures missas celebrandi urgeret ad normam can. 81, *nisi cum, prudenti ipsius iudicio*, « ad quem pertinet, tum de vera necessitate, tum de possibilitate (alia) canonica remedia applicandi, ferre sententiam » [1], scilicet de conditionibus statim explicandis, et cuius iudicio non evidenter erroneo deferendum est, a) *propter penuriam sacerdotum,* quia si alius sacerdos adesset non impeditus, posset in sequenti necessitate obligari per Episcopum ad celebrandum, saltem quando esset subditus, vi can. 127, b) *die festo de praecepto,* sicut est etiam « dies dominicus », ad normam can. 1427, c) *notabilis fidelium pars* absolute consideranda d) *Missae adstare non possit* v. gr. propter parvitatem Ecclesiae: quae conditio non existeret, si commoditatem sectarentur fideles, vel voluntas eis deesset. Sub his ergo conditionibus potest impertiri necessaria facultas binandi seu bis celebrandi eodem die; *non est autem in eius* Ordinarii loci *potestate*, quae proinde Sedi Apostolicae reservatur, *plures quam duas Missas* uno die praeter exceptos initio canonis quia dicitur, *eidem sacerdoti permittere,* idest: facultatem dare de qua in hoc §°.

112. **Dispositio animae ad celebrandum.** – Conc. Trid. in Doc.° doctrinali [2] ait: « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas, et divinitas caelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat; praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum [3] legamus: " Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini „. Quare communicare volenti recolendum est in memoriam eius praeceptum [4]: " Probet autem seipsum homo „. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat ». Ergo ius divinum praecipit sacramentalem confessionem praemittendam, ceteroquin arcens conscium status peccati mortalis a sacra mensa. — Sequitur in Dec.° cit.°: « Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec Sancta Synodus perpetuo

[1] Benedictus XIV ep. « Declarasti » 16 Mart. 1646, § 9. — [2] Sess. XIII, cap. VII. — [3] I ad Cor. XI, 27 — [4] I ad Cor. XI, 28.

servandum esse decrevit; modo non desit illis copia confessoris ». Ex quo sequitur Sanctae Synodi testimonio, quod urgente illa necessitate ac deficiente copia confessarii, excusatio datur ab implendo praecepto confessionis praemittendae, urgente autem prohibitione accedendi ad communionem in statu peccati mortalis, seu non praemisso actu contritionis perfectae. — Sic explicit cap. VII Conc. Trid. « Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur ». Circa clausulam istam fuit damnata ab Alex. VII Prop. « 38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum est consilium, non praeceptum ». Et etiam prop. « 39. Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur ».

Codex igitur, ut hanc clausulam finalem Conc. Trid. disciplinarem expressius decernat, opportune ac dilucide illud Conc. Trid. caput in duos canones dispescuit, nempe: can. 856 quoad accessum ad sacram communionem et quoad sacerdotes praesentem *can. 807. Sacerdos* quilibet presbyter aut supra a) *sibi conscius peccati mortalis,* scilicet: sciens morali certitudine gravari peccato, quod mortale iudicat, b) *quantumvis se contritum existimet,* ac inde certus moraliter sit gratiam Dei recuperasse, nec arceri a celebratione propter animae indignitatem, c) *sine praemissa sacramentali confessione,* per quam peccatum illud Ecclesiae clavibus subiiciat indirecte saltem auferendum, et ad quam iure divino per consuetudinem ecclesiasticam declarato tenetur, d) *Missam celebrare ne audeat;* qui ausus abesset, quando « ex officio vel ex alia cogente causa scandali aut infamiae incumberet celebrare » simulque « deesset copia confessarii » iuxta Conc.[1] Trid.[1] supra explicatum decretum. — Haec supponit prosequens canon in secunda parte iuris mere ecclesiastici, *quod si,* a) *deficiente copia confessarii,* v. gr. quia nullus alius est inveniri sacerdos, vel qui adest iurisdictione sacramentali destituitur omni, (nam si haberet limitatam circa peccatum illud, talis copia non deficeret confessarii potentis absolvere ab eodem reatu indirecte propter causam sequentem), b) *et urgente necessitate* celebrandi quacumque sed vera ac non tantum ex officio cum animarum cura, nec sufficeret e contra vane existimata; sed adversative internectit canon: *elicito* « *tamen* » *perfectae contritionis actu,* velut si diceret: etiamsi gratia per contritionem ob-

tenta, prouti ad eam obligatur ad normam secundae partis can. 856, ita ut illa clausula non constituat hic tertia sub littera c) ponenda conditio, sub quibus duabus praedictis si *celebraverit, quamprimum confiteatur*, scilicet: « ex recepta apud probatos auctores interpretatione » (can. 6, 2°) intra tres dies, nisi praevideatur necessitas celebrandi, vel adsit huiusmodi voluntas, quae praeveniendam confessionem in huius praecepti adimplementum urgerent. Ergo si conditio *a*) « deficiente confessarii copia » non extitisset, quamvis adesset urgens necessitas celebrandi, vel si conditio *b*) « urgente necessitate » non fuisset, etiamsi deficeret copia confessarii; in alterutro casu celebrare audens contra divinum praeceptum, huic praecepto ecclesiastico « quamprimum confiteatur » ut tali non adstringitur; existimante prudentissima Ecclesia matre, non sperandam fore sibi obedientiam eius, qui praeceptum confitendi divinum transgredi non veretur.

113. Dispositio ex parte corporis. – *Can. 808. Sacerdoti celebrare ne liceat,* lex quidem ecclesiastica, sed prohibitiva et quae « liberum iuris exercitium coarctans, (can. 19) strictae subest interpretationi », *nisi ieiunio naturali* « quod importat privationem cuiuscumque praeassumpti per modum cibi vel potus; et tale ieiunium requiritur ad hoc sacramentum » propter dicenda in canone 858 § 1 ex D. Th. [1], *a media nocte servato.* Sed ex can. 33, § 1: « in sacra communione recipienda,... licet alia sit usualis loci supputatio (temporis), potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium ». Atqui prohibitio huius canonis viget propter communionem in celebratione. Igitur eidem applicanda can.ª 33 § 1 norma, quamvis claritatis gratia Codex iteravit eam prohibitionem in hoc canone 808 pro Sacerdotibus celebrantibus et in can. 858 pro accedentibus ad Ssmam communionem, nec sine gravi distinctionis causa, cum praesentis canonis vetitum sit absolutum pro quacumque celebratione, atque (can. 247, § 5) « Congr. S. Officii una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt », canon autem 858 tum in § 1 accidentales exceptiones habet ad casus, tum in § 2° exceptiones a iure etiam habituales, aliaeque dispensationes obtineri possunt iusta de causa a S. Congr. de disciplina Sacramentorum.

[1] 3ª P. q. LXXX a. 8 ad 4m.

Congrue adnectere oportet huius canonis interpretationi quod legitur in c. 5 (h. t. lib. III Decret.): « respondemus, quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiae Sacramentum, nisi cum eodem die aliam missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret ». Quae utpote « lex liturgica » (can. 2) et implicite in Codicis hoc canone contenta (can. 6, 6°) adhuc servanda est. Demum consequenter canoni 808 sciatur quod Congr. S. Officii [1] Ep. Vallispratensi quaerenti: « Se per ragioni di scandalo o di ammirazione si possa giammai celebrare la seconda messa dopo la prima, quando già è stato infranto il digiuno. Resp. negative ».

Cetera de hoc ieiunio explicanda require in can. 858.

114. **De applicatione missae, et pro quibus personis.** – Dictum est supra ex Conc. Trid. [2] « missae sacrificium esse laudis et gratiarum actionis, seu latreuticum et eucharisticum, neque soli prodesse sumenti, sed pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere »: seu esse quoque satisfactorium et impetratorium. Et in Dec.° doctrinali (eiusd. sess. cap. II) legitur: « idem et nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit... Cuius quidem oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur ».

Ex his sequitur fructus praedictos promanare ex missae sacrificio natura sua propter principalem offerentem, quicumque sit minister offerens in persona Christi; et quando sacerdos non est ab Ecclesia praecisus, quia publicum exercet ministerium sacrificii, preces eius efficaciam semper habent propter Ecclesiam Deo dilectam in cuius persona ille agit.

Si ergo quisque fidelis in gratia opus salutis perficiens quadruplicem effectum cum merito consequi potest, non est dubium quod sacerdos digne celebrans fructus sacrificii et efficaciam precum sibi obtineat, cum ipse sit qui offerat, indeque primus de sacrificio participans, precesque suo quoque nomine fundat, et hic fructus specialissimus seu personalis vocari potest, ut assolet.

Pariter omnes fideles vi communionis sanctorum participes sunt fructus bonorum operum ceterorum fidelium, proinde participes quoque fient fructuum missarum ea de causa; sed liturgiam sacrificii

[1] 2 Dec. 1874 in Collect. S. C. de Prop. Fide n. 793. — [2] Sess. XXII, can. III.

eucharistici considerantes, prout illa est in Ecclesiae Romanae usu, deprehendimus quod sacerdos celebrans illud positive offert ac preces fundit generaliter « pro Ecclesia catholica » pro personis in sublimitate constitutis iuxta S. Pauli monitum et « pro catholicae et Apostolicae fidei cultoribus » (Canon Missae. Initio). Imo sicut Iesus Christus se obtulit in cruce pro peccatis totius mundi, et in coena oravit « et pro eis qui credituri erant per verba Apostolorum in eum » (Io. XVII, 20), ita censendum est per sacrificium missae, prout hoc ab Eo principaliter offerente perficitur, eosdem fructus sacrificii crucis in omnes homines vi sua redundare. Atque ille fructus generalis recte vocatur.

Inter omnes fideles, peculiari ratione dicendum est illos gaudere sacrificii missae fructibus ac efficacia precum missae, qui non solum fide ac caritate uniuntur celebranti missam, sed huic associantur in offerendo sacrificio per eorum assistentiam; et pro quibus celebrans offert sacrificium ex tenore canonis. « Et omnium circumstantium » eorumque praesertim preces liturgicas Deo porrigit; unde missae adstantes et inserviens, peculiari modo fructum illum generalem consequuntur.

Atque omnia haec difficultatem non ingerunt ex dictis de sacrificii missae natura independenti a sacerdotis celebrantis merito, quatenus Christus est principaliter offerens, et Ecclesia Deo accepta per publicum sacerdotum ministerium Sponso suo se conformat in offerendo et in accidentalibus quoque precibus ad sacrificii solemnia per ipsam statutis.

Existit tamen distinguendus alius fructus sacrificii missae, de quo intelligitur applicatio missae, quam per Sacerdotem fieri iubent ac supponunt sacri canones. Revera Pius VI in const. « Auctorem fidei » [1] ait de « Prop. XXX. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis:* dein continuo subiicit: *non tamen, quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii, cui vult, et secundum mensuram quae*

[1] 28 Aug. 1794.

ipsi placet; unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem, et orationem, specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat, ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus; quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum:

« Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo ».

Datur ergo *specialis fructus* missae (a quibusdam *medius* vocatur) proveniens *ex speciali applicatione*, quae fit a sacerdote ac sic definiri potest: « Intentio saltem habitualis, sed consecrationi praevia, quod fructus missae medius vel specialis dispensationi sacerdotis liberae relictus cedat in gratiam determinati et capacis subiecti ». — *Intentio* id est: actus voluntatis tendentis in finem requiritur, qui *semel positus* seu *habitus* et non retractatus sufficit, cum induat formam donationis, dum *consecrationi* secundae saltem speciei *praecedat*, et quidem necessario, cum in ea sit sacrificii substantia posita, sed celebrationi praecedere debet secundum opportunitatem; et cum fructus missae multiplex distinguatur secundum quod dictum est supra, *fructus medius vel specialis tantum* est applicationis obiectum ex accidentali obligatione; qui ut revera percipi queat, *determinanda est persona vel personae* quibus prosit, etiamsi quaenam sint illae non plene cognoscatur. Quae persona demum sit *capax oportet*, alias in irritum cederet applicatio.

De hac igitur applicatione declarat principium practicum *canon 809. Integrum est,* videlicet: positum in libera celebrantis voluntate, *Missam applicare* modo supra definito et iuxta mentem damnationis supra positae, *pro quibusvis* personis *tum vivis* iuxta definitionem Conc. Trid. ut antea, quatenus capaces sunt fructuum impetratorii saltem, propitiatorii ac satisfactorii, *tum etiam defunctis* non omnibus, exclusis scilicet: in aeternum cum Christo regnantibus, quia propitiatione, satisfactione, impetratione per nos nullatenus

indigent; sed laus et gratiarum actio Deo per sacrificium, quae proprie fructus non vocantur, in eorum honorem redundant, cum in memoriam ipsorum celebratur missa; exclusis etiam damnatis, quia « in inferno nulla est redemptio » nec a redemptione proveniens sacrificii fructus; quod etiam in limbum ad pueros absque baptismo defunctos extendere opus est, propter eorum immutabilitatem in termino: restat ergo ut de animabus *purgatorio igne admissa expiantibus* fructuosa intelligatur applicatio, « cum catholica ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris, et antiqua patrum traditione, in Sacris Conciliis, et novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit, purgatorium esse; animasque ibi detentas. fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, iuvari », ut legimus in Dec⁰. Conc¹. Trid¹. De purgatorio (sess. XXV).

Proclamato liberae applicationis missae sano principio, explicit canon hac limitatione per Codicem positive apposita: *salvo praescripto can. 2262, § 2, n. 2,* scilicet: « Non prohibentur tamen sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo (nempe: excommunicato) applicare; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum ». Quae lex omnino iusta, etsi Ecclesiae iudicium in praxi effugiat, est in conscientia seu apud Deum servanda propter specialem naturam potestatis Ecclesiae a Christo traditae.

115. **De immediata praeparatione ad missam et de gratiarum actione.** — Scriptum est: « Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum » [1]. Hinc recte monet *can. 810. Sacerdos*, sive plenitudine sacerdotii auctus, sive presbyter, *ne omittat*, ergo est lex prohibitiva obligans pro quacumque oblatione de qua statim: *ad Eucharistici*, scilicet: sanctissimae Eucharistiae in can. 801 descriptae, *Sacrificii oblationem* solemniter incipientem simul cum Missa, seu ad hanc a) *sese piis precibus disponere,* quae proprie designant vocales orationes, quarum tenor ac duratio non determinantur, hinc sufficere dicerem illas quae in libris liturgicis pro commoditate Sacerdotum insinuantur, similesve etiam quoad durationem, *eoque expleto* Sacrificio Missae, b) *gratias Deo pro tanto beneficio agere.* Cum « in omnibus gratias agite » hortetur Thessalonicenses Apostolus [2], potiori ratione virtus gratitudinis ex tali praecepto urget « pro tanto be-

[1] Eccli. XVIII, 23. — [2] I ad Thessal. V. 18.

neficio ». Propter cuius magnitudinem indefinite « gratias agere » canon requirit, quae mente sola vel ea praesertim, quamvis servando corporis convenientiam, fieri possunt, ac singulorum affectui, attentisque circumstantiis prorsus relinquendum fuit quoad tempus in hoc insumendum. Unicuique se diligenti hoc ipsum implere magni interest.

116. **De corporis veste ac ornamentis.** — *Canon 811. Sacerdos, Missam celebraturus,* et hac de causa *deferat vestem convenientem* tum personae, tum praecipue sacrae functioni, non solum ecclesiasticam ut alibi, sed *quae ad talos pertingat* longitudine, et quae propter hoc talaris dicitur, quod intelligendum est etiam de illis sacerdotibus, qui alia ecclesiastica veste iuxta ss. canones utantur, illudque posset Episcopus iubere in peculiaribus normis pro admittendis extraneis sacerdotibus ad celebrandum, ad normam can. 804, § 3; item *et sacra ornamenta* deferat celebrans *a rubricis sui ritus praescripta* fortassis diversa in missa privata et solemni. Et haec est pars canonis positiva.

Prohibitionem intimat § 2. *Abstineat autem a pileolo,* quod vulgo: zucchetto vocatur, *et annulo,* « in Missa celebranda » ut infra, a) *nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus* qui « privilegio deferendi pileolum violacei coloris uti potest a die in qua a Summo Pontifice electus est, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperit; idque dum sacris operatur, non tamen a Praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis officiis sacrisque ritibus interest »; sicut declaravit S. C. Cons.[1], *vel Abbas benedictus,* a suscepta ergo benedictione Abbatiali· Hi expresse nominantur veluti hoc privilegio nunc vi Codicis fruentes propter dignitatem, b) *aut nisi apostolicum indultum,* quod « integrum manet » ad normam can. 4, *eorumdem* pileoli vel annuli *usum in Missa celebranda eidem* sacerdoti *permittat,* quod « privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere » (can. 67), atque limitatio in Dec°. Consist. cit°. signata pro Episcopis est aliis, etiam S. R. E. Cardinalibus, applicanda propter « liturgicam legem » hic non « expresse correctam » (can. 2).

[1] 2 Maii 1910, CO. II, 330.

117. **De presbytero assistente.** — Sicut honos quidam statim memoratur in *can. 812. Nulli sacerdoti, celebranti* Missam, sed recolendum privilegium S. R. E. Cardinalium in can. 239, 16°. « Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant », *praeter Episcopos* etiam titulares sed consecratos, *aliosque praelatos* « proprio nomine » (can. 110), scilicet: « clericos sive saeculares sive religiosos, qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent », et cum hoc *usu pontificalium* scilicet: « baculi et mitrae » ad normam can. 377 § 2, *fruentes, licet, sola honoris* personae *aut sollemnitatis* quoad functionem *causa, habere presbyterum assistentem,* qui nempe agat quaedam in altari praeter diaconum et subdiaconum in missa solemni. Unde licet idipsum ex necessitatis ac prudentiae motivo, v. gr. valde seni celebranti, vel in prioribus neo-presbyterorum missis.

118. **De ministro inserviente Missae.** — Inter defectus in celebranda Missa occurrentes Missale Romanum recenset quos explicat *can. 813.* § 1. *Sacerdos Missam ne celebret,* igitur est prohibitio semper servanda etiam in Missae principio, *sine ministro* [1] singulari *qui* persona, a) *eidem inserviat* vini et aquae ampullas, transferens missale, etc. b) *et respondeat* prout in Missali; sed ex rationabili causa minus aptus ad hoc minister admittitur.

Huic paragrapho apte connectitur sequens dubium SS. Rit. Congr. propositum: (4 Aug. 1922 CO. XIV, 505). « I. An liceat coetui fidelium adstanti sacrificio Missae, simul et coniunctim respondere, loco ministri, sacerdoti celebranti? Et S. Rit. Congr.... respondendum censuit. Ad I. Ad Rdmum. Ordinarium, iuxta mentem. Mens autem est: Quae per se licent, non semper expediunt ob inconvenientia quae facile oriuntur, sicut in casu, praesertim ob perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstantes experiri possunt cum detrimento sacrae actionis et rubricarum. Quapropter expedit, ut servetur praxis communis, uti in simili casu pluries responsum est ».

§ 2. *Minister Missae inserviens*, cuius duplex munus enuntiatum est in § 1°, *ne sit mulier, nisi*, a) *deficiente viro* etiam

[1] Vicarii et Praefecti Apostolici ex Formula utraque tertia consequuntur facultatem « permittendi suis (ob iurisdictionem) missionariis ut Missam celebrare possint (quamvis pluries) in casu (tamen) necessitatis, etiam sine ministro »...

minus apto ad ministrandum, b) *iusta de causa* tunc et cum tali defectu celebrandi, c) *eaque lege ut mulier*, nec conditio ut sit religiosa, virgo, etc. requiritur, *ex longinquo respondeat, nec ullo pacto ad altare accedat* absdubio ad candoris animi cautelam; unde ex duplici ministri munere pars sola eidem mulieri defertur. Illustrant hunc paragraphum duo dubia soluta, quae proposita fuerunt S. Congr. Rit. [1]; videlicet: « VIII. Potestne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant Altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis? ». Resp. « Ad VIII Affirmative, urgente necessitate ». Quaenam sit haec necessitas; videtur sufficiens quod nequeat haberi alius inserviens, iuxta resp. alteram: « Dub. VI. An in Conservatoriis puellarum Missae a cappellano celebratae inservire possit, extra cancellos vel longius ab Altari, aliqua ex puellis vel monialibus, quum non facile sit alium inservientem invenire? » Resp. « Ad VI. Affirmative in casu, et ex necessitate ». Casus continebat ne communitas careret missa ex devotione, quando non inveniebatur *facile* alius inserviens.

Art. II. — *De Missae ritibus et caeremoniis.*

Can. 814. - Sacrosanctum Missae sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est.

Can. 815. - § 1. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus ita ut nullum sit periculum corruptionis.

§ 2. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.

Can. 816. - In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicunque Sacrum litet.

Can. 817. - Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra Missae celebrationem, consecrare.

Can. 818. - Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat.

Can. 819. - Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati.

119. **Inscriptio articuli et ordo canonum.** — Postremi canones, qui statuunt de sacris ornamentis in Missae celebratione deferendis ac de ministro inserviente, viderentur pertinere ad illius celebrationem, attamen requiruntur praevie ad celebrationem ac intuitu celebraturi sacerdotis, dum *Art. II.* inscribitur *De Missae* ipsius, quando celebratur, *ritibus* seu formulis ac precibus adhi-

[1] 27 Aug. 1736, n. 2745, et 18 Maii 1899, n. 4015.

bendis *et caeremoniis* seu actionibus v. gr. crucibus, manuum elevationibus etc. Et quia haec omnia dicuntur et fiunt erga oblata consecranda, videlicet: panem et vinum, non est mirandum, si praescriptiones circa materiam sacrificii eucharistici hoc sub articulo enumerentur. De his ergo in se consideratis sunt tres canones 814-816, alius subsequens 817 de peragenda utriusque materiae necessario consecratione, de caeremoniis ac precibus in genere datur can. 818, completurque articulus canone 819 de lingua liturgica.

120. **Duplex materia sacrificii missae, remotaque sacramenti eucharistiae.** — Materia seu res sensibilis, quae mirabiliter iuxta Ssmae Eucharistiae naturam in corpus et sanguinem Christi convertitur, duplex est, ut edocet Dec^m. Eugenii IV in Conc. Florentino ad Armenos: « Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet ». — Et etiam Alexander I papa dicit [1]: « In sacramentorum oblationibus, quae inter Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur ». Id maiori cum proprietate ac brevius et ordinate perstringens Codex, primo declarat generaliter *can. 814. Sacrosanctum Missae sacrificium* explicatum in capitis huius inscriptione, et in quo « sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus offertur », sicut ibi ostensum est, *offerri* quia sacrificium, *debet ex pane et vino* quorum substantiae in corpus et sanguinem Christi convertantur consecratione; *cui* scilicet vino praedicto, proinde ante consecrationem *modicissima aqua* « naturalis et vera » *miscenda est* vi huius canonis, et cum « appositio aquae non sit de necessitate sacramenti » [2], si ex oblivione mixta non fuisset, abstinendum esset ab ea miscenda post calicis consecrationem, sicut habet rubrica Missalis Romani. — De hac mixtione « monet sancta Synodus Tridentina [3], praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse creditur, tum etiam quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae, in Apocalypsi beati Ioannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio re-

[1] Epistola 1 ad omnes orthod. cap. 4. — [2] D. Th. 3ª P. q. LXXIV, aa. 6, 7. — [3] Sess. XXII in Doctrina de sacrificio missae, cap. VII.

praesentatur ». Propterea « dicendum, cum D. Thoma [1] quod si aqua apponeretur dolio (vel ampullae vino), non sufficeret ad significationem huius sacramenti, sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti »; scilicet: ut proprie ait Conc. Trid. « vino in calice offerendo ». Sed « sufficit ad sacramenti huius significationem quod sentiatur aqua, cum apponitur vino, non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem ». Imo « circa aquam adiunctam vino, sicut Innoc. III dicit in quadam Decretali [2], triplex est opinio;... sed... sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti (vel ut alii volunt dilui) in vinum, et vinum (iuxta praedictos cum aquae dilutione) in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile, quia si tanta fieret appositio aquae ut solveretur species vini, non posset perfici sacramentum ». Ita D. Thomas [3].

121. **Qualitas panis et vini pro missae sacrificio.** — Panis et vinum de quibus egit praecedens canon, determinantur in hoc *can. 815.* § 1. *Panis debet esse* a) *mere* b) *triticeus* videlicet: ex triticeo grano aliis non admixto, nam « ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quae communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo; nam alii panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacramentum instituisse, qui etiam panis magis confortat hominem, et ita convenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius sacramenti est panis triticeus ». Sic D. Th. [4]. Quoad immixtionem vero « dicendum, quod modica permixtio non solvit speciem, quia, id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo. Ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti (sed quae illicite adhiberetur ex canonis implicita prohibitione per verbum « mere »); si vero sit magna permixtio, puta ex aequo, vel quasi, talis permixtio speciem mutat; unde panis exinde confectus non erit debita

[1] 3ª P. q. LXXIV a. 8, corp. et ad 3m et 1m. — [2] Cap. Cum Marthae, de Celebr. miss. (III, 41) X. — [3] Loc. cit. — [4] 3ª P. q. LXXIV a. 3 corp.

materia huius sacramenti » [1]. — Sequitur in canone maior panis determinatio: c) *et recenter confectus:* « quia vero admixtio aquae ad farinam (triticeam) est de necessitate huius sacramenti, utpote constituens substantiam panis, si farinae admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor quam vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, quia non esset verus panis « confectus ». D. Th. [2]. — Demum addit canon: d) *ita ut nullum sit periculum corruptionis:* circa id vero adnotetur « quod aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis, sicut cum continuitas solvitur (in pulverem), et sapor, et color, et alia accidentia mutantur; unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quae speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis, et ex tali pane potest confici corpus Christi; sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti ». Et huius peccati periculum amovere intendit canonis praescriptum. Et S. Cong. de disciplina Sacramentorum [3] « omnibus mature perpensis, proposito dubio (an probari possit huiusmodi praxis adhibendi pro Ssmo Eucharistiae Sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas) respondit: Negative, et servetur praescriptum Rit. Rom. et Cod. Iur. Can. ». Cui responsioni subnectit praesentem canonem.

§ 2. *Vinum debet esse* a) *naturale,* scilicet: non obtentum artificialiter aliis ex materiis, quia « illi liquores non dicuntur proprie vinum (ac « leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem » (can. 18), sed secundum quandam similitudinem » [4]. Proinde sit expressum b) *de genimine vitis,* unde « non debent uvae integrae huic sacramento misceri (in calice), quia iam esset ibi aliquid praeter vinum » (procedens de genimine vitis seu de uvis); item « agresta est in via generationis, et ideo (eius liquor quia non est de genimine seu de generatione vitis), nondum habet speciem vini: et propter hoc de ea non potest confici (valide) hoc sacramentum »; denique « mustum iam habet speciem vini: nam eius dulcedo attestatur digestioni, quae est completa a naturali calore, et ideo de musto potest confici (valide) hoc sacramentum ». Sed ad normam can. 18 citati, quia vi-

[1] Loc. cit. ad 3m et 4m. — [2] 3a P. q. LXXIV, a. 7 ad 3m. — [3] 7 Dec. 1918; CO. XI-8. — [4] D. Th. 3a P. q. LXXIV, a. 5 ad 1m.

num « proprie » non vocatur, implicite « prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti » [1]. Ultima determinatio vini est: c) *et non corruptum;* scilicet: « vinum fit acetum per corruptionem; unde non fit reditus de aceto in vinum. Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens » iuxta D. Th. [2], sicut ait quoque Missale Romanum: « Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat ».

Demum addere oportet fundamentum omnium praecedentium explicationum ex eodem Angelico Praeceptore; quia, etsi « circa materiam huius sacramenti aliqui multipliciter erraverunt, omnes hi errores et similes excluduntur per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit, ut patet Matthaei, cap. XXVI, ubi quoque ipse dicit circa institutionem huius sacramenti: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* » [3].

122. **De pane azymo vel fermentato adhibendo in consecratione.** — Quoad Ecclesiam latinam in cap. 14 de celebrat. miss. (III, 41) punitur sacerdos qui « in pane fermentato et scypho ligneo missarum solemnia celebrare praesumpsit ». Sed cum D. Thoma « circa materiam huius Sacramenti duo possunt considerari, scilicet quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium quidem est ut sit panis triticeus, sicut dictum est, sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti, quod sit azymus vel fermentatus; quia in unoquoque confici potest. Conveniens autem est ut unusquisque servet ritum suae Ecclesiae in sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversae Ecclesiarum consuetudines (etiam nunc); dicit enim B. Gregorius in Registro: « Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; sed Graecae Ecclesiae offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne; sicut fermentum miscetur farinae. — Unde sicut peccat presbyter in Ecclesia latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter Graecus in Ecclesia Graecorum celebrans de pane azymo,

[1] Loc. cit. ad 3m. — [2] Loc. cit. ad 2m. — [3] 3a P. q. LXXIV, aa. 1 et 5 corp.

quasi pervertens Ecclesiae suae ritum ». Propter hanc rationem, cum inter diversos ritus Ecclesiarum orientalium non desit in quo panis azymus adhibeatur in missae celebratione, ius praecedens Codicem generaliter sic edictum erat a Pio X in const. « Tradita ab antiquis » [1]: « Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus ne liceat: propterea suae quisque Ecclesiae ritu Sacramentum Corporis Domini conficiant et ministrent ». — Prosequitur D. Th. [2]: « Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est, primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit *prima die azymorum* ut habetur (Matth. XXVI, Marci XIV, et Lucae XXII), qua die nihil fermentatum in domibus Iudaeorum esse debebat, ut habetur (Exodi XII). Secundo quia panis est proprie sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius... Tertio quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quae requiritur ad usum huius Sacramenti, secundum illud [3]: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* — Habet tamen haec consuetudo Graecorum aliquam rationem, et propter significationem, quam tangit Gregorius, et in detestationem haeresis Nazaraeorum, qui legalia Evangelio miscebant ». — Ad complendam ergo disciplinam de substantia duplici ex qua fit hoc sacramentum, sequitur *can. 816. In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium* ad quem pertineat *ritum* ecclesiae latinae vel orientalis propter ea quae sequuntur, *debet* a) *panem azymum vel fermentatum adhibere* b) *ubicumque* idest: in quacumque sive regione sive ecclesia etiam itinerans *Sacrum litet:* et hoc praescriptum sub exceptione continetur can^{s}. 1: « nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt ».

123. **De ipsa consecratione**. — Quia ex praecepto Domini: « Hoc facite in meam commemorationem », « repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » [4], declarat *can. 817. Nefas est,* quod proprie dicitur de illicito iuris divini, proinde: *urgente etiam extrema necessitate,* v. gr. metu mortis, defectu absoluto alterutrius materiae, a) *alteram materiam sine altera,* scilicet: panem sine vino, vinum sine pane, ast quidem voluntarie;

[1] 14 Sept. 1912. CO. IV, 615. — [2] 3^{a} P. q. LXXIV, a. 4 corp. — [3] I ad Corinth. V. 7 et 8. — [4] D. Th. 3^{a} P. q. LXXX, a. 12 ad 3.

non enim peccaret advertens post consecrationem panis, alterius materiae defectum; b) *aut etiam utramque, extra Missae celebrationem* in qua sacrificium eucharisticum offerendum est, ac proinde uti rem agendo profanam, *consecrare*, idest: convertere in corpus et sanguinem Christi relativa transubstantiatione (de qua in can. 801 dictum est), per duplicem respectivam formam huius sacramenti a sacerdote prolatam.

Ad rem pertinet resp. D. Thomae ad 8m [1]: « dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiae: sed consecratio eorum est ab ipso Deo. Et ideo ministri Ecclesiae non habent aliquid statuere circa formam consecrationis sed circa usum sacramenti et modum celebrandi. Et ideo si sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus praedictis, scilicet domo (seu Ecclesia) et altari, calice et corporali consecratis, et ceteris huiusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate corpus Christi; peccat tamen graviter, ritum Ecclesiae non servans ». Sed cum plena omissio Missae in consecratione redundaret omnino in contemptum fidei ac sacramenti, hinc recte dictum fuit « nefas est » ac retinendum in proprio declarato sensu.

124. De forma consecrationis. — In Dec°. ad Armenos ait Eugenius IV: « Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum ». De hac forma nullum canonem Codex internexuit, immutatas relinquens congruenter can. 2 leges liturgicas, « quae proinde vim suam retinent ». Ad tractatus autem integritatem quaedam observanda utile putamus.

Seposita quaestione de verbis quae huius sacramenti formam essentialiter constituunt; omnino adhibenda sunt ea prout in canone Missae: *Hoc est enim Corpus meum* et *Hic est enim Calix sanguinis mei*... etc.... *in remissionem peccatorum.* Innoc. III de his ait [2], postquam rationes attulit: « Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in canone reperitur, et a Christo Apostoli, et ab ipsis eorum acceperint successores ». Nunc vero, teste D. Thoma cui omnes consentiunt: « sacerdos ea verba *recitative* profert quasi a Deo dicta,... sed... ex prolatione ipsius Christi haec verba vir-

[1] 3ª P. q. LXXXIII, art. 3. — [2] C. 6 cit. tit. Decretal.

tutem consecrativam sunt consequuta, a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea praesentialiter proferret » [1], ac proinde sunt etiam proferenda *significative,* applicando ea, nempe, ad transubstantiationem materiae, quae physice praesens designatur per pronomina *hoc* et *hic.* Eademque recitationis ratione, quamvis forma antedicta ex canone Missae sufficiat, Ecclesia praecepit, ut quandocumque ob substantialem defectum panis aut vini, ipsiusve formae, adhibenda sit nova materia, repetendave forma, huius alterutra forma incipiatur ab illis verbis: *Qui pridie...* vel *Simili modo...* quae praecedunt immediate respectivas formas. Sic in Missali, de defectibus: (III, 5, 6, 7, et IV, 3, 4, X, 3). Quae omnia servanda esse iubet sub generaliori clausula sequens canon.

125. **De rubricarum missalis observantia.** – *Can. 818. Reprobata quavis contraria consuetudine,* ac quae « sive universalis sive particularis, tanquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5), *sacerdos celebrans* supple: missae sacrificium, *accurate* quoad omnia etiam minima, « ut scilicet quaedam submissa voce, quaedam alia vero elatiore pronuntientur » [2], atque nec minimum recedendo per omissionem vel mutationem, *ac devote* scilicet: cum « voluntatis promptitudine faciendi quod ad Dei servitium attinet, unde consequens est quod imponat modum humanis actibus, sive sint actus ipsius voluntatis circa ea quae sunt ad (illum) finem, sive etiam sint actus aliarum potentiarum, quae a voluntate moventur »; ut ait D. Th. [3] loquens circa devotionem. Quapropter illud adverbium « devote » additum alteri « accurate », non sine causa positum credi debet, illisque Ecclesia exprimit non praescribere tantum externam rubricarum observantiam, sed memor sententiae Domini [4]: « Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare », iniungere concomitantiam interioris hominis, ne cultus sacerdotis reprobationem mereatur a Domino dicente [5]: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ». — Praedicto igitur duplici modo *servet rubricas,* sic dictas propter colorem rubrum quo scribi ac imprimi solent liturgicae normae de formulis dicendis et actionibus ponendis, pro diversitate dierum,

[1] 3ª P. q. LXXVIII, a. 5. — [2] Conc. Trid. sess. XXII c. 5. — [3] 2ª, 2ªe, q. LXXXII art. 1 corp. et ad 1m. — [4] Ioan., IV, 24. — [5] Is., XXIX, 13.

missarum, solemnitatis, etc. *suorum* uniuscuiusque sacerdotis celebrantis *ritualium* videlicet: peculiaris ritus v. gr. dominicanorum, carmelitanorum, romani, illas continentium *librorum*, et hucusque pars positiva canonis. Subiungitur: *caveatque* dictus sacerdos *ne alias caeremonias* v. gr. genuflexiones, gestus, inclinationes, *aut preces,* v. gr. orationes, credo, sequentiam, etc. *proprio arbitrio*, ut salvae maneant orationes ab Ordinariis locorum imperatae, vel aliae preces caeremoniaeque a Sede Apostolica in futurum ordinandae, *adiungat,* huiusmodi enim praescriptum in parte canonis prima comprehensum non erat.

Ad hanc rubricarum observantiam valde impellit doctrina, quam tradit Conc. Trid. (in sess. XXII) de sacrificio Missae, cap. 5 de missae caeremoniis et ritibus, cap. 4 de canone missae. atque perpulchra explicatio eorum, quae in missae sacrificio dicuntur, et aguntur, ordinisque ipsorum, quam legere attente ac meditari, rogo ne pigeat, apud D. Th. [1].

In Decreto « de editione typica Missalis Romani » [2], sic legitur: « Insuper praesenti editioni Missalis Romani adiectae sunt, ad modum Appendicis, Missae propriae pro aliquibus locis approbatae, quae in respectivis festis particularibus, vel in eorum sollemnitatibus externis, ubi ex Indulto S. Sedis concessum est, commode adhiberi poterunt ». Et in fine Decreti: « Sanctitas porro Sua, (Bened. PP. XV) ...hanc ipsam editionem suprema Sua auctoritate probavit, eamque uti Typicam, habendam esse, cui omnes editiones in posterum conformandae erunt, declaravit atque decrevit ».

Hic referre placet quod S. Rit. Congr. respondit sequenti dubio [3]: « II. An probandus sit usus, quo fideles Sacro adstantes, elata voce legant Secreta, Canonem, atque ipsa Verba Consecrationis, quae paucissimis in Canone verbis exceptis, iuxta Rubricas *secreto* dici debent ab ipso Sacerdote? R. Ad II. *Negative;* neque permitti potest fidelibus adstantibus quod a Rubricis vetitum est sacerdotibus celebrantibus, qui Canonis verba *secreto* dicunt, ut sacris Mysteriis maior reverentia reconcilietur, et in ipsa Misteria fidelium veneratio, modestia et devotio augeantur; ideoque mos enuntiatus, tamquam abusus, reprobandus est, et, sicubi introductus sit, omnino amoveatur ».

[1] 3a P. q. LXXXIII aa. 4 et 5. — [2] S. Congr. Rit. 25 Iul. 1920. CO. XII, 448. — [3] 4 Aug. 1922. CO. XIV, 505.

126. **Facultates Vicariorum et Praefectorum Apicorum. in hac re.** - In hac parte plures facultates tribuuntur per diversas formulas Vicariis et Praefectis Apostolicis. Videlicet: in omnibus quinque formulis inveniuntur eis concessae facultates (Form. prima num.[1] 2, 3). « Permittendi *thurificationem* in Missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici superpelliceo induti Missae inserviant. — Permittendi ut in ecclesiis sui territorii (nec distinguuntur illae, aut ei subiectae designantur) *a*) ter in hebdomada (quae « constat 7 diebus » can. 32 § 1, ac ut videtur a dominica supputandis), *b*) extra Quadragesimam, *c*) *Missa privata de requie* celebrari possit, *d*) etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris (seu in ritu dominicanorum etiam in Totis Duplicibus), *e*) exceptis Dominicis (quibuscumque), nec non feriis (fer. IV Cinerum, et fer.[s] II, III, IV mai. hebd.), vigiliis (Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes), atque octavis (tum I Ordinis: Paschatis et Pentecostes, tum II Ordinis: Epiphaniae et Corporis Christi, tum III Ordinis: Nativitatis Domini, Ascensionis) privilegiatis (quod verbum refertur ad singula praedicta, et formula loquitur secundum ritum romanum, quin propterea velit in facultate derogare ritui v. gr. dominicanorum, si quae aliae octavae huiusmodi sint; notanda vero sequens clausula): diebus tamen, quibus eadem Missa a Rubricis (ritus romani, peculiarisve sacerdotis) permittitur, computatis » (in ternario numero. Sic ergo limitatur facultas forsan obtenta: quando ter missa de requie in hebdomada celebrari potest, facultas quiescit ea in hebdomada, quando bis permittitur a rubricis, una quit adiungi, quando semel tantum est permissa per rubricas in hebdomada, bis facultas exerceri potest).

In quatuor formulis, excepta igitur prima, invenitur praeter praedictas facultas (Form. utraque secunda 9 aut 8) « Permittendi, etiam in omnibus festis et dominicis (sine limitatione igitur dierum ratione ritus) *Missam votivam de B. M. V.* (certe secundum tempora) iis (tantum) qui, ob defectum oculorum aliamve infirmitatem (capitis forsitan, etc.), legere nequeant Missas singulis diebus occurrentes iuxta Missalis Romani rubricas ». Unde durante hac impossibilitate, forsitan pro quibusdam diebus. Quamvis sic exprimatur « Missalis Romani rubricas » putamus idem valere pro Missalis ritus non orientalis rubricis v. gr. Missalis Ordinis Praedicatorum. —

Regulae circa hanc Missam votivam edidit S. Congr. Rituum in eius Instructione diei 12 Ianuarii 1921 [1].

Denique in Formula utraque tertia facultates concedit S. Congr. ultra praedictas Vicariis et Praefectis Apostolicis (sub num.[s] 5 et 6 vel 4 et 5): « Permittendi ut *Missa celebrari* possit a) *cum uno luminari* (tantum), adhibendo in casu quodcumque lumen, (idest: sive ex olivarum oleo, sive ex aliis liquoribus, secundum ea quae sequuntur), dummodo cera saltem quoad magnam partem ex apum industria confecta deficiat; necnon permittendi ut Missa b) *absque luminaribus* (liturgicis) celebrari possit, in locis ubi non inveniuntur olivae (nec ipsarum oleum) et nulla alia substantia ad lampades nutriendas (seu cetera olea praesertim ex vegetalibus) inveniri potest: (ad utrumque autem extendenda est sequens clausula) in casu tamen verae necessitatis (ad quem igitur coarctanda est permissio), et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii » si abusus in hac stricta concessione irrepant.

« Permittendi ut in utraque *purificatione calicis* (loco vini quoad primam et vini cum aqua in secunda) aqua tantum adhiberi (licite) possit, dummodo tamen extrema adsit vini deficientia » pro numero missarum in posterum. Si haec non adesset conditio, permissio non excusaret a vera legis liturgicae transgressione, sed illius iudicium est apud Ordinarium quoad conscientiae securitatem.

Omnes praefatae permissiones supponunt « leges liturgicas Missalis Romani, quae vim suam retinent » (can. 2), quamvis a Doctoribus una vel altera non iudicetur gravis.

127. De lingua liturgica in altaris sacrificio. – Conc. Trid. [2] docuit: « Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem » subiungit, quod confirmat *can. 819. Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica*, nempe: quae adhibetur in cultu publico *sui cuiusque* scilicet: sacerdotis celebrantis *ritus*, v. gr. latina, graeca, paleoslavica, etc., *ab Ecclesia* « romana, omnium Ecclesiarum matre et magistra » ut ait Conc. Trid. (loc. cit.), *probati* saltem suo tacito consensu.

[1] CO. XIII, 454. — [2] Loc. cit. cap. 8.

Art. III. — *De Tempore et loco Missae celebrandae.*

Can. 820. - Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur.

Can. 821. - § 1. Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.

§ 2. In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto.

§ 3. In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sanctam communionem petentibus ministrare.

Can. 822. - § 1. Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto ad normam iuris, salvo praescripto can. 1196.

§ 2. Privilegium *altaris portatilis* vel iure vel indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur.

§ 3. Hoc privilegium ita intelligendum est, ut secumferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari.

§ 4. Loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus.

Can. 823. - § 1. Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto.

§ 2. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum *antimensiis*.

§ 3. In altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto.

128. **Inscriptio articuli et ordo canonum.** - Deinde considerandus est *Art. III* inscriptus *De tempore* quoad dies et horas *et loco*, tum immediato super quem oblata sanctificanda et sacra victima collocantur et circa quem caeremoniae peraguntur, tum mediato intra quem perficiuntur quae sunt propria *Missae celebrandae*. Atque can. 820 est de diebus, can. 821 de horis, et de loco dupliciter intellecto dantur praescripta can. 822, 823.

129. **De diebus in quibus missam celebrare licet.** - Quoad tempus convenienter determinatum celebrationis divinorum mysteriorum; « respondet dicendum D. Th. [1] quod, in celebratione huius mysterii attenditur repraesentatio dominicae passionis, et participatio fructus eius. Et secundum utrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius sacramenti. Quia enim fructu dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Unde et

[1] 3a P. q. LXXXIII a. 2.

Dominus nos petere docet: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ». Et haec quidem regula servatur adhuc in Ecclesia latina, si ritum Ambrosianum excipiamus, ita ut Rubricae Missalis Romani sic incipiant: « Missa quotidie celebratur iuxta ordinem officii, etc. ». Et huic congruit *canon 820. Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest* licite ratione temporis, sed hoc est interpretandum « regulariter », sequitur enim: *exceptis iis qui proprio sacerdotis* celebraturi missam *ritu* v. gr. romano, ambrosiano *excluduntur* a praedicta potestate. Hae vero exceptiones pro ritu romano eiusdemque nominis ritibus v. gr. dominicano, monastico, sunt exponendae.

In ritu latino ergo, praeter Ambrosianum, exceptionem constituit triduum ante Pascha. Nam de fer. VI in Parasceve, sic docebat S. Thomas [1]: « veniente veritate, cessat figura. Hoc autem Sacramentum est figura quaedam et exemplum dominicae passionis, sicut dictum est. Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius Sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum die praecedenti reservatur sumendum in illo die; non autem sanguis, propter periculum, et quia sanguis specialius est imago dominicae passionis... ».

Haec disciplina est nunc sancita per Miss. Rom. concordans epistolae Innoc. I ad Decentium [2] in qua dicitur: « ... ut traditio Ecclesiae habeat isto biduo (fer. VI et sabbato) Sacramenta penitus non celebrari »... Hinc sequeretur idem asserendum de Sabbato Sancto, sed ob mutatam disciplinam, Missa celebranda nocte ante diluculum Dominicae, uti testatur ipsa Liturgia, solemniter canitur Sabbato Sancto post Nonam in Ecclesiis tantum ubi Officia illius Tridui peraguntur. Sub hac conditione una tantum Missa solemnis permissa est fer. V in Coena Domini. — Quoad missas vero privatas his diebus, praeter diem in Parasceve omnino aliturgicum, audiantur duo Dec [a] quae normam generalem tradunt [3]: « 17.° An attentis aplis. et S. R. C. Dec.[is], graviter peccet Sacerdos celebrans Missam privatam in fer. V in C. D., sive etiam sollemnem in illa Ecclesia ubi non reponitur... Ssm̃um Sacramentum in... altari vel aliquo loco decenti, vulgo dicto *il sepolcro* ». S. R. C. reposuit: — « Ad 17.[m] Non licere, et Sacerdos se abstineat». Et eadem S. Congr. [4] re-

[1] L. c. ad 2[m]. — [2] Cap. Sabbato 13, Dist. III de Consec. — [3] S. C. R. 28 Mart. 1775. — [4] Resolut.[is] Dubiorum, 28 Iun. 1821.

scripsit: « Consulendum Ssmo pro revocatione cuiuscumque indulti celebrandi privatim in Sabbato Sancto, firmo tamen singulari privilegio aliquibus ecclesiis... concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die... ».

Ergo in Ecclesia latina triduo ante Pascha, permittitur unica Missa sollemnis fer. V. in Coena Domini, et Sabbato Sancto altera solemnis post Nonam, solummodo ubi Officia illius Tridui peraguntur. In his ecclesiis fer. VI in Parasceve Missa praesanctificatorum est celebranda.

Prohibentur aliae Missae sollemnes et quaecumque missae privatae, fer. VI sine exceptione, in Sabbato Sancto firmo tamen privilegio aliquibus ecclesiis concesso, ut supra, et fer V. in Coena Domini salvis privilegiis 1.° S. R. E. Cardinalium (can. 339, n. 4.°); 2.° Episcoporum (can. 349 § 1. n. 1.°) et 3° Praelatorum regularium, iuxta resp. S. C. Rit.[1] sequentem: « 2. An si Ecclesiae (ubi functiones maioris hebdomadae fieri nequeunt) sint Regularium, (Fer. V in Coena Domini celebrari possit Missa lecta, nempe) liceat, ut Superior communicare valeat suos alumnos, pro adimplemento paschalis praecepti?... Resp. Superior celebret in privato oratorio ad ministrandam religiosis communionem; et si desit Oratorium, fiat in Ecclesia ianuis clausis ». Et de stricto sensu huius Decreti fidem facit eadem S. C.[2] quando « Dub. II. An Praedicta Missa decantari vel legi possit in Ecclesiis vel Oratoriis spectantibus ad Regulares, ad Seminaria et ad pias Communitates? Resp. Ad II Affirmative, quoad Regulares proprie dictos;... Negative quoad Seminaria et pias Communitates, nisi habeatur Aplcum. indultum ».

Hoc in loco memorari oportet, quod dicitur in S. Rit. Congne. « Instructione pro sacerdote caecutiente circa Missam eidem ex Ind. Aplco. concessam » sub n. 2, II, 2:[3] « In triduo sacro Maioris. Hebdomadae Sacerdos caecutiens omnino a celebrando abstinebit ».

130. **Facultates Vicariorum et Praefectorum Aplcorum. hac in re.** — In omnibus quinque formulis facultas eisdem conceditur: « Permittendi ut in ecclesiis sui territorii (absque distinctione aut limitatione ipsarum) *functiones Maioris Hebdomadae* (scilicet: Tridui ante Pascha) celebrari valeant iuxta peculiarem Ritum a s. m. Benedicto Pp. XIII propositum pro ecclesiis minoribus paroecialibus,

[1] 31 Aug. 1839, n. 2799. — [2] 9 Dec. 1899, n. 4049. — [3] 12 Jan 1921 C. O. XIII, 154.

in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones solemniter peragendas haberi nequeat: (hucusque descriptio illius Ritus, ac sequitur duplex conditio ad permissionem): dummodo tamen constet (rationabiliter eidem Ordinario) *a*) ibidem satis esse consultum reverentiae sacris mysteriis debitae, *b*) et quod nulla exinde abusui pateat occasio; (prosequitur autem indultum pro his solemnibus s. liturgiae diebus, sub conditione): et quatenus neque praedictus Ritus servari possit (in aliquibus ecclesiis ut supra), permittendi ut in iisdem ecclesiis *a*) unica Missa *b*) lecta, loco sollemnis, celebrari possit feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto ».

De hoc liturgico libro Dec. S. Congr.[s] Rituum prodiit,[1] in quo edicitur: « Memoriale Rituum... nunc iuxta leges liturgicas etiam recentiores diligenti studio revisum atque opportune reformatum,... Bened. Pp. XV... suprema Sua auctoritate recognovit, atque hanc... editionem tanquam typicam habendam esse sancivit: simulque statuit ac declaravit, ut eidem editioni omnes ceterae in posterum conformari atque authentico testimonio comprobari debeant ».

131. De hora diei pro licita Missae celebratione. — D. Th. (loc. cit.) ait: « Quia vero dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur ». Cui doctrinae concordat quoad horas liturgicas Missale Romanum in Rubr[s], nam etsi (XV. De hora celebrandi Missam n. 1) dicat: « Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest », subiungit: (n. 2) « Missa autem conventualis et sollemnis sequenti ordine dici debet... » ut ibidem, scilicet: « vel dicta in Choro hora tertia, vel dicta Sexta, vel post Nonam ». Generalitas harum rubricarum recognita fuit per seq.[s] Declarationes S. C. Conc. « 1. Baren. Iunii 1557. Congr. censuit presbyterum in sua Ecclesia Missam celebrantem non teneri differre celebrationem, donec in Ecclesia parochiali Missam parochus celebraverit.

2. An Ordinarius ad instantiam Rectoris ecclesiae parochialis possit praecipere Rectoribus aliarum Ecclesiarum non parochialium, ne Missas celebrent antequam absoluta fuerit Missa conventualis, quae in ipsa parochiali quotidie celebratur. Die 6 Oct. 1625 Congr.

[1] 14 Jan. 1920 CO. XII. 448.

censuit Ordinarium non posse id prohibere ». — Ad normam can. 2 hae « liturgicae leges vim suam retinent », quia solum illa quoad Missam privatam « in Codice expresse corrigitur » ob universalitatem prohibitionis *can. 821,* § 1. *Missae celebrandae initium,* quod certum est, non finis eius incertus, *ne fiat* a) *citius* etiam parvo tempore *quam una hora* de momento ad momentum *ante auroram* [1], quae astronomica cum sit, unico modo erit computanda, etsi diversa sit pro regionibus et anni temporibus, prout in calendariis designatur, b) *vel serius* etiam modico tempore *quam una hora post meridiem,* quae utpote designans diei medietatem horariam, pro ea viget norma « can. 33. In supputandis horis diei, in privata Missae celebratione, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium ». Imo cum in hoc canone « privilegia atque indulta ab Apostolica Sede concessa non revocentur », ad normam can. 4 « integra manent » canoni contraria, forsitan « cuilibet religioni directe concessa » (can 613. § 1.) [2].

Circa horam vero celebrandi exceptio in Rub.[3] Missalis Romani XV, 4 sic scripta est:... « in Nativitate Domini, Missa prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino; secunda in Aurora, dictis Laudibus et Prima: tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur ». *Sola* ergo una choralis permittitur. Idque confirmat § 2. *In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte* ad normam can. 33, § 1 [3], diversimode iuxta missam conventualem sollemnemve ac privatam, *sola* seu unica *Missa* a) *conventualis,* sic vocata quia conveniunt

[1] « Communiter » ut dicitur in Missali Romano, « ex quo constat habitam fuisse rationem locorum in quibus non apparet aurora »: etenim « quoad regiones carentes aurora, intelligitur moraliter de tempore, quod aequivalet et correspondet aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, iuxta receptas et approbatas regionum consuetudines » S. R. C. 2 Nov. 1634, n. 6I4.

[2] Ex omnibus quinque formulis Vicarii ac Praefecti Aplici. obtinent facultatem « permittendi ut Missa celebrari queat una hora post mediam noctem », computandam ad normam can. 33 citatam in textu. In formulis tamen prima et utraque secunda est additum: « in casu necessitatis ».

[3] Can. 33. § 1. In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in privata Missae celebratione,... in sacra communione recipienda,... potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium.

illius Ecclesiae choro addicti, iuxta locos paralellos [1] can. 413, 610, b) *paroecialis* scilicet: proprie a parocho celebrata vel ab eo qui saltem quoad hoc eius vices gerat in paroecia, iuxta locum parallelum [2] can. 466 §§ 4, 5, *non autem alia* ultra illam solam, vel in aliis ecclesiis oratoriisque *sine apostolico indulto* seu concessione, sive peculiari, sive ex iure tum in § 3, tum in can. 239, n° 4° [3].

De peculiari concessione, duo quae sequuntur Decreta sunt memoranda: « Proposito dubio [4] utrum post Const. "Sapienti consilio „ spectet ad S. Cong. de disciplina Sacramentorum concedere facultatem legendi tres missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis publicis et Ecclesiis, quae ad hoc privilegio Aplco. indigent, cum distributione Ssmae Eucharitiae; an hoc potius tribuendum sit SS. Rit. Congr^i? Emi PP. S. Congr.^i Consist.^i praepositi... respondendum censuerunt: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Qua dispensatione indigent etiam regulares iuxta S. Rit. Congr. [5]. « Cum superioribus diebus consultâ hac S. Rit. C. an esset permittendum in media nocte Natalis Domini post Missam decantatam successive alias duas missas, et in eis sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus; et respondisset, non esse permittendum, sed omnino utrumque prohibendum; nihilominus nonnulli Regulares asserentes hoc licere, supplicarunt audiri: Et

[1] Can. 413. § 1. Quodlibet Capitulum obligatione tenetur quotidie divina officia in choro rite persolvendi, salvis fundationis legibus.

§ 2. Divinum officium comprehendit psalmodiam horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae conventualis...

§ 3. Missam conventualem sine cantu celebrare licet hebdomadario, cum in ecclesia, pontificali ritu, Episcopus vel alius loco Episcopi celebrat.

Can. 610 § 1. In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio,... debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi.

§ 2. Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam, quoad fieri possit, in religionibus mulierum.

[2] Can. 466... § 4. Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.

§ 5. Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia.

[3] Can 239. § 1. Praeter alia privilegia... Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent:... 4.° Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini.

[4] 14 Mart. 1910, CO. II. 229. — [5] N. 781; 7 Dec. 1841.

S. R. C. ipsis auditis cum Procuratoribus et advocatis, ad relationem Emi Pallotti, stetit in Decretis, et respondit: "Iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Ecclesias, et Communionem deposcentibus „ ».

Ex Congr. S. Officii [1] « Ssmus D. N.... motu proprio, benigne indulgere dignatus est ut in singulis sacrarum virginum *monasteriis clausurae* legi subiectis aliisque *religiosis institutis, piis domibus*, et *clericorum seminariis,* publicum aut privatum *oratorium habentibus cum facultate* sacras species habitualiter ibidem adservandi. sacra nocte Nativitatis D. N. I. Ch. tres rituales Missae, vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari, *sanctaque Communio* omnibus pie petentibus *ministrari queat*. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem *omnibus adstantibus* ad *praecepti satisfactionem valere* eadem Sanctitas sua expresse declarari mandavit... ».

Conditio servanda in hac celebratione declaratur expresse in resp. ad dubium [2]. « I. An hoc indultum importet facultatem celebrandi etiam *apertis Oratoriorum ianuis?*... Ad I Negative ». Et hic verbum Oratorii stricte sumendum esse, prout fert natura indulti contra ius, rescripsit S. C. ead. « II. An Indultum Oratoriis concessum extendi possit ad Ecclesias Religiosorum quae publico fidelis populi usui inserviunt?... Ad II. Negative, salvo tamen religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi ».

Ex illis authenticis « interpretationibus (can. 6, 2°) aestimandus est (paragraphus sequens qui ius vetus (nempe illud S. Officii Decretum transcriptum) ex integro refert ». § 3. *In omnibus tamen*, particula adversativa normae § 2.[1], a) *religiosis* scilicet: « alicuius religionis in genere » (can. 488, 5.°) *seu* b) *piis* nempe: ad exercenda opera religionis et charitatis destinatis sub Ordinarii approbatione *domibus*, intra quarum ambitum non est dubium comprehendi seminaria, *oratorium* quodcumque sed proprie dictum *habentibus* insuper *cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi* « de licentia Ordinarii loci » (can. 1265 § 1. n. 2.°), *nocte Nativitatis Domini* a media nocte usque ad unam horam ante auroram, *unus* tantum *sacerdos tres rituales Missas,* quae tali die ab eo celebrari queunt ad norman can. 806, § 1. et ad normam

[1] 1 Aug. 1907. A. S. S. XL, 478. — [2] 26 Nov. 1908.

rubricarum, quae primam solemnem vel cum cantu permittunt, ad normam § 2 huius canonis, *vel, servatis servandis*, quoad dicendam primam Missam sine ablutionis sumptione, si alias velit celebrare, *unam tantum* ex illis declaratis videlicet primam, vel duas, nempe: primam et secundam, saltem si tertiam non celebraturus sit, iuxta reg. iuris XXXV in 6°. « Plus semper in se continet quod est minus », quia « tantum » est positum non ad excludendas duas, dum tres permittuntur, sed potius ad expresse innuendum quod in hoc canone regula illa iuris veteris locum obtineat; ac subditur: *quae adstantibus omnibus,* etiamsi domui extraneis, *ad praecepti quoque satisfactionem valeat,* singulari verbo usus legislator quia unam audire quoad praeceptum sufficit, non restringens sic ad illam « unam tantum » sed ad « unam » ex ritualibus missis vi huius canonis licite celebratis; quas iuxta datam interpretationem *celebrare potest et sanctam communionem petentibus ministrare* supple: potest quoad tempus ad normam can. 846, § 1. 867, § 4 [1]

132. **De loco super quem vel in quo missa celebranda est.** — In Rubricis general.[s] Missalis Romani § XX statuitur: « Altare in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, (en materia), et ab Episcopo consecratum (en conditio necessaria: et cum id intelligatur de altari fixo, additur): vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo ut supra consecrata, in eo inserta (nempe in basi, sed sufficit superposita), quae tam ampla sit, ut Hostiam et maiorem partem calicis capiat ». Materia magis determinatur per Dec. S. C. Rit. 1.[um]. « Dub. I. An altaria portatilia, quae sunt ex lapide non quidem marmoreo, sed duro et tamen compacto, idonea pro Sacrificio haberi possint? Dubium II. An tolerari possint eadem altaria portatilia, quae ex lapide puniceo sive ex gypso constant?... Et S. Rit. Congr.... respondendum censuit:

[1] Similem sed ampliorem facultatem concedit S. Congr. de Prop. Fide in omnibus quinque formulis, videlicet: « Permittendi ut in ecclesiis sui territorii (quibuslibet, seu oratoriis publicis, quae illis in iure aequiparantur) *tres Missae* (ab uno quidem sacerdote, proindeque duae vel una, iuxta reg. iuris 35 in 6.° citatam in textu) statim post mediam noctem *Nativitatis Domini* (supputandam secundum can. 33) celebrari possint, cum potestate administrandi (illarum occasione) fidelibus s. Communionem, (additurque monitio) cauto tamen (saltem in eadem permissione) ut omnia cum debita reverentia fiant ». Videlicet: quoad praevias fortassis occupationes, atque ab his qui missis huiusmodi intersunt.

[2] Americae N. 4032, 13 Iun. 1899.

Ad I Affirmative. Ad II Negative ». Haec adhuc vigent, quia omnino consona sunt praescriptis can. 1198, 1199.

133. **Ius praecedens** fundatur in Conc.[i] Trid.[i] Dec.° « de observandis et vitandis in celebratione missae » (sess. XXII) sic decernente: « ut irreverentia vitetur et tanto sacrificio debitus honor et cultus ad Dei gloriam, et fidelis populi aedificationem restituatur, ne patiantur Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus, aut regularibus, quibuscumque peragi: ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse ». — Imprimis supponimus illud « Neve patiantur » (Episcopi) continere prohibitionem ipsis factam permittendi, ideoque revocare huiusmodi potestatem, si eam prius habebant. Id satis patet ex ipsa verborum significatione, et in hoc sensu prodierunt S. Sedis declarationes. Iamvero citatis verbis vetat Conc., quominus Episcopi patiantur Missam celebrari 1.° « privatis in domibus », seiunctim a clausula quae subsequitur, « et 2.° omnino extra Ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ». Nonnulli utramque clausulam sic coniunxerunt ut sensus esset, Episcopos non posse permittere dictam celebrationem privatis in domibus extra ecclesiam et oratoria, hinc deducentes posse illam permittere in privato oratorio privatae domus. Sed S. C. Conc. in epistola iussu Pauli V missa ad omnes Episcopos [1] ait; « Ilmi PP., Ssmi D. N. iussu, significandum duxerunt: facultatem dandi licentias celebrandi in privatis oratoriis, ipsius Conc. Dec.° unicuique ademptam esse, solique Beatissimo R. P. esse reservatam ». Id tamen intelligendum cum restrictione. Cum Concilium loquatur solum de privatis domibus, eiusque verba, utpote restrictiva potestatis Episcoporum, sint stricte interpretanda, sequitur: — 1.° uti S. C. C. an. 1623 declaravit [2]: « Proindeque capellas et Oratoria ad Episcoporum usum ubique locorum extructa minime comprehendi in prohibitione Const. iussu s. m. Pauli V iampridem edita de non celebrando in privatis Oratoriis », ut supra.

2.° Episcopos conservasse potestatem permittendi Missae celebrationem in oratoriis domuum non privatarum, seu semipublicis; quod indubie asseritur in Dec.° S. Congr. Rituum de oratoriis huiusmodi.

Hoc erat ius praecedens Codicem, Decretis posterioribus vel privilegiis explicatum ac limitatum, cuius fulcimentum praestat doctrina D. Thomae [3]: « in his quae circumstant hoc sacramentum duo considerantur: quorum unum pertinet ad repraesentationem eorum quae circa dominicam passionem sunt acta: aliud autem pertinet ad reverentiam huius sacramenti, in quo Christus secundum veritatem continetur, et non solum in figura. Unde et consecrationes adhibentur his rebus quae veniunt in usum huius sacramenti, tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis quae ex passione Christi provenit, secundum illud [4]: Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum,

[1] 25 Oct. 1615. — [2] Bened. XIV De sacrif. Missae, Lib. III. Cap. VI. 2. — [3] 3ª P. q. LXXXIII, art. 3 corp. — [4] Hebr. ult. 12.

etc. ». — « Per altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus [1]: « Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo ». Unde et consecratio altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur (Luc. I, 35): « Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei ».

134. Ius ex Codice. — Recte igitur ex dictis statutum est in *can. 822.* § 1. *Missa celebranda est super altare consecratum,* quod idem est ac ara alta, et in genere « locus super quem immediate sacrificium Deo offertur », ac proprie loquendo comprehendit basim cum tabula superiori lapidea; sed aliquando nomine altaris venit etiam « sola tabula superior lapidea super quam sacrificium offertur », quaeque stricto sensu appellatur etiam mensa altaris. — Illa pars canonis nullam patitur exceptionem, nec dispensatio in ea datur, secus ac in sequenti, videlicet: *et in ecclesia* celebranda est missa, nam « domus in qua hoc sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, et ecclesia nominatur », sed ecclesia proprie hic accipitur ad normam can. 1161, eo quod subiungitur *vel oratorio* definito in can 1188, § 1, *consecrato aut benedicto*, prouti sacrum chrisma in benedictione illarum adhibetur vel secus, *ad normam iuris*, scilicet: « Tituli VIII, De sacramentalibus », ac « Tituli IX, De ecclesiis » cum canonibus praecedentibus « De locis sacris », quae « convenienter consecrantur sive benedicuntur, tum ad repraesentandam sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem quae requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent » [2].

Aliquando tamen « potest hoc sacramentum peragi in domibus non consecratis (sive benedictis, ut supra praescriptum est); sed tamen de consensu Episcopi » vel Romani Pontificis; quod exprimitur in canone: *salvo praescripto can. 1196*, scilicet: § 1. « Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more Ecclesiarum. — § 2. Licet oratoria domestica et semi-publica (non illa benedictione consecrationeve, de quibus in supradictis titulis, sed) communi locorum domorumve benedictione aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera » congruenter Trid°. Dec°. antea citato: et decretum invenitur prius in can. 1192 § 1, « Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia », et in can.

[1] Hebr. ult. 15. — [2] Ib. ad 2^m.

1195, § 1 « In oratoriis domesticis ex indulto Apostolicae Sedis,... celebrari potest... etc... ».

Contra ius expressum in secunda parte §[i] 1[i] est quod in Codice nominatur sub § 2 *Privilegium altaris portatilis* dictum etiam ab Auctoribus « Altaris viatici », eo quod in via seu itinere melius apparet illius natura; sed eius usus amplior est: retineatur ergo nomen canonicum, de quo privilegio duplex modus innuitur originis, nempe: a) *vel iure* scilicet: scripto in Codice, prout habent S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, 7°, quod in can. 349, § 1, 1° extenditur ad Episcopos sive residentiales, sive titulares, b) *vel indulto Sedis tantum Apostolicae,* non alterius Praelati, *conceditur*, sive generaliter per decretum, sive singulariter per rescriptum.

In « titulo XI, De Altaribus », can. 1197 dicitur sub « § 1. Sensu liturgico intelligitur »:... « 2° Nomine altaris mobilis seu portatilis (prout altari immobili seu fixo contradistinguitur), petra, ut plurimum, parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam ara portatilis seu petra sacra ». Verumtamen privilegium altaris portatilis seu viatici non consistit in hoc quod super ara portatili seu petra sacra consecrata quis celebrare possit, cum ad hoc ex iure licitum nullo privilegio opus sit, sed ut explicatur in § 3. *Hoc privilegium ita intelligendum est, ut secumferat facultatem* a) *ubique celebrandi* etiam extra oratorium semi-publicum aut domesticum, de quibus supra, b) *honesto tamen ac decenti loco*, non « in cubiculo », (infra, § 4) c) *et super petram sacram*, sed in terra etiam sub dio, d) *non autem, in mari;* sed pro celebratione in navibus, aliud privilegium requiritur, sicut fit pro S. R. E. Cardinalibus in [1] can. 239, § 1, n. 8°, cum extensione « ad Episcopos sive residentiales sive titulares » in can. 349, § 1, 1°, vel opus est quod in privilegio altaris portatilis concessio addatur expresse celebrandi in mari. Ita fuit iam declaratum in iure Codicem praecedente, videlicet: S. C. Rituum [2] interrogata « IV. Utrum Sacerdotes, qui privilegio fruuntur celebrandi ubique, valeant, vi huius privilegii in navi celebrare, absque speciali Indulto Apostolico. Resp. Ad IV negative ».

[1] Can. 239, § 1. Praeter alia privilegia..., Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent: ... 8° Celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis.

[2] Vicen. 4 Mart. 1901, n. 4069.

Quia privilegia et indulta, de quibus loquuntur §[1] praecedentes, « antea concessa huius Codicis canonibus expresse non revocantur, quatenus in usu sint nec revocata, integra manent » (Can. 4). — Conc. autem Trid. revocationem decrevit per illam clausulam finalem Dec[1]. de observandis et evitandis in celebratione missae: « non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Propterea Regulares non fruuntur huiusmodi privilegio ab ipsis obtento ex iure Decretalium, nisi illud obtinuerint post Conc. Trid., uti constat etiam ex Decreto Clem. XI [1], in quo dabatur Episcopis facultas seu potestas infligendi contravenientibus censuram latae sententiae. — Imo nec suffragatur eis, posterius Conc. Trid[o], nisi directe fuerit cuilibet religioni concessum, sicut ex Codice constat in can. 613, § 1° [2].

E contra privilegium altaris portatilis habent Auditores S. R. Rotae, ex innovatione privilegiorum pro eis facta a Clem. X post Conc. Trid. [3]. Item ex Motu pr. « Inter multiplices » Pii X [4] protonotarii apostolici participantes praediti sunt altaris portatilis privilegio. Ibidem vero n. 22 legitur: « Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant » (protonotarii Apostolici supranumerarii).

In omnibus quinque formulis facultatem concedit S. Congr. de Prop. Fide « Permittendi ut Missa celebrari possit in mari, *a)* dummodo mare sit tranquillum, *b)* in loco tamen decenti » respectu habito navis. — Sunt vero peculiares solum tertiae utriusque formulae facultates « Permittendi ut *Missa* celebrari possit, in casu necessitatis, *a)* sub dio et sub terra; *b)* etiam si altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum », ita nempe ut consecrationem prius receptam amiserit, quo in casu « Missa celebranda non esset super illud » ex § 1 huius can. 822.

De aliquo altaris portatilis usu, ad modum privilegii sub § 3° explicati decernit § 4. *Loci Ordinarius* (can. 198, § 2) *aut si agatur de domo religionis exemptae*, scilicet: « sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta » (can. 488, 2°), sive clericalis sive laicalis, quia limitatio non est

[1] 15 Dec. 1703.

[2] Can. 613, § 1. Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione.

[3] 14 Kal. Ian. 1671. — [4] 21 Febr. 1905, n. 11.

addita, *Superior maior*, (can. 488, 8°) *licentiam celebrandi*, quae privilegium dici nequit, a) *extra ecclesiam et oratorium* quodcumque, b) *super petram sacram*, quam supra diximus omnino iure necessariam, c) *et decenti loco* ut supra in § 3°, talisque designatur non esse sequens: *nunquam autem in cubiculo* idest: in camera de facto destinata cubitum ire, *concedere potest* a) *iusta tantum ac rationabili de causa*, b) *in aliquo extraordinario casu* nempe: exceptionali propter circumstantias, c) *et per modum actus*, scilicet: non tantum semel sed aliquoties. — Cum iste paragraphus « ius vetus ex integro referat » in Romana et aliarum: Iurium [1], ex illius interpretationibus authenticis « aestimanda est » (can. 6, 2°). Videlicet: in Meliten. [2] ad dubium: « I. An Ordinarii... idipsum... permittere possint... quocumque die?... Emmi PP. respondendum censuerunt: ad I. Affirmative. — II. An Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere possint per modum actus, celebrationem Missae, domi, eorum favore qui domestici Oratorii indulto gaudent, etiam iis diebus, qui in obtento indulto excepti sunt? — Ad II. Affirmative, dummodo iustae et rationabiles causae aliae sint ab eis, ob quas concessum fuit indultum Oratorii domestici ». Alias enim concederent quod per illam indulti limitationem S. Sedes negaverat, quod minime decet.

Pro praxi non est oblivioni tradenda sequens resp. Commiss. Pont. ad Cod. canones auth. interpretandos [3]: « 12. Utrum facultas celebrandi Missam in domo privata sit ab Ordinario, ad normam can. 822, § 4, interpretanda restrictive? — Resp. Affirmative ».

135. **Speciales prohibitiones causa loci celebrationis.** — *Can. 823.* § 1. *Non licet*, ut norma generalis propter vetitam communicationem in divinis, congruenter ad ss. can. 1325, § 1, 1258, § 1 [4], *celebrare in templo*, dicato nempe habitualiter sacris, *haereticorum vel schismaticorum*, atque absoluta est prohibitio, *etsi olim rite* ab Ecclesia quidem catholica *consecrato aut benedicto.*

[1] 23 Dec. 1912, S. Cong. de disciplina Sacramentorum, CO. IV, 725. — [2] 22 Mart. 1915. CO. VII, 147. — [3] 16 Oct. 1919. CO, XI, 478.

[4] Can. 1325. § 1. Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi.

Can. 1258. § 1. Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum.

Ad normam vero can^{s}. 6, 2^{0} supra citati, videntur citanda uti practica duo Dec^{a}. C. S. Officii de hac re.

Primum Archiep^{0}. Antibaren^{i}. datum [1] de schismaticorum ecclesiis, sequentis tenoris est: « An toleranda sit praxis quam habent parochi catholici castri Lastruae S. Missae sacrificium celebrandi in ecclesiis catholicis a graecis schismaticis usurpatis atque ab iisdem officiatis, seu etiam in illis quae pure ad ipsos schismaticos pertinent. R. Haberi pro regula universe accepta et servata non licere catholicis communicare in divinis cum haereticis et schismaticis; verum in quibusdam casibus particularibus regula haec aliquas patitur exceptiones, nempe si in eadem ecclesia habentur capellae et altaria separata, quarum aliqua tantum catholicis, alia schismaticis inserviant. si eiusdem ecclesiae partes sint separatae, et in una celebrent solum catholici, in altera tantum schismatici; tum promiscuus ecclesiae usus tolerari poterit. Quatenus vero haec deficiant, R. P. D. Archiep. mandare poterit suae dioecesis parochis ut altaribus portatilibus utantur iuxta facultates illis in formula impertitas... » — Hoc ipsum asserendum de capellis haereticorum eruitur ex alio Dec^{0}. [2] eiusdem supremae S. Cong.^{s} Vic^{0}. Aplco. Malacen.

Diversa de causa videlicet: disciplinae solum ecclesiasticae subsequuntur alii paragraphi. § 2. *Deficiente altari proprii ritus,* scilicet: secundum eiusdem normas factus et consecratus (etiamsi petra sacra sit seu altare mobile), illo tantum in casu, *sacerdoti fas est* huius etiam canonis vi; a) *ritu proprio* quoad cetera servato in missae sacrificio, *celebrare* b) *in altari consecrato* c) *alius ritus catholici*, scilicet: quod tale sit iuxta huius ritus normas, cum sequenti limitatione: *non autem super Graecorum antimensiis*, quae locum tenent petrae sacrae pro celebratione missarum, sed sunt quidam panni consecrati cum reliquiis; ast multum recedunt ab altari lapideo, cuius materia « competit significationi huius sacramenti, tum quia altare significat Christum: dicitur autem (1 Corinth. X, 13): « Petra autem erat Christus »; tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum sacramenti. Lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri

[1] 1 Dec. 1757. « Il Monitore eccl. » vol. IX, n. IV. — [2] 5 Iun. 1889. « Monit. eccl. » cit. vol. X, n. XXI.

ubique, quod non erat necessarium in veteri lege, ubi fiebat in uno loco altare ». Ita D. Th. [1].

Iste paragraphus « ex ipsa rei natura Ecclesiam orientalem afficit, » (can. 1), eo quod verbum « proprii » loco « latini » adhibitum diversitatem rituum respectu altaris ac « sacerdotis celebrantis » subindicat, verba « alius ritus catholici » orientales ritus dissidentes excludit, atque exclusio de « Graecorum antimensiis » admittit ex consequenti alios ritus orientales.

§ 3. *In altaribus papalibus* sic dictis, quia Summo Pontifici sunt reservati ad celebrandum in eis Missam, proinde *nemo celebret*, etiam Episcopus vel S. R. E. Cardinalis, etiamsi Episcopus suburbicarius fuerit, *sine apostolico indulto* seu permissione. Huiusmodi sunt altare principale in quatuor Basilicis Urbis maioribus, et in aliis Basilicis minoribus etiam extra Urbem v. gr. in Ecclesia S. Mariae de Portiuncula propter specialem Sedis Apostolicae concessionem.

ART. IV. — *De missarum eleemosynis seu stipendiis.*

CAN. 824. - § 1. Secundum receptum et probatum Ecclesiae morem atque institutum, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti licet eleemosynam seu stipendium recipere.

§ 2. Quoties autem pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco.

CAN. 825. - Nunquam licet:

1.° Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata;

2.° Eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur;

3.° Duplicem eleemosynam pro eiusdem Missae applicatione accipere;

4.° Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione.

CAN. 826. - § 1. Stipendia quae a fidelibus pro Missis offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta, *manualia* dicuntur.

§ 2. *Ad instar manualium* vocantur stipendia Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas fundationis, et ideo de iure aut Sanctae Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt ut iisdem satisfiat.

§ 3. Alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur, appellantur *fundata* seu *Missae fundatae*.

CAN. 827. - A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur.

CAN. 828. - Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint.

CAN. 829. - Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat.

[1] 3ª P. q. LXXXIII, a. 3 ad 5m.

Can. 830. - Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans earundem numerum, hic supputetur secundum eleemosynam loci in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat.

Can. 831. - § 1. Ordinarii loci est manualem Missarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum; nec sacerdoti licet ea maiorem exigere.

§ 2. Ubi desit Ordinarii decretum, servetur consuetudo dioecesis.

§ 3. Etiam religiosi, licet exempti, circa stipem manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini.

Can. 832. - Sacerdoti fas est obla-



tam ultro maiorem stipem pro Missae applicatione accipere; et, nisi loci Ordinarius prohibuerit, etiam minorem.

Can. 833. - Praesumitur oblatorem petiisse solam Missae applicationem; si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet.

Can. 834. - § 1. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae.

§ 2. Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripserit:

1°. Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae.

2°. In aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero.

§ 3. Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit, eas celebrare, firmo praescripto can. 835.

Can. 835. - Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat.

Can. 836. - In ecclesiis in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi.

Can. 837. - Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, firmo praescripto can. 841; sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet.

Can. 838. - Qui habent Missarum numerum de quibus sibi liceat disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos.

Can. 839. - Qui missas a fidelibus receptas aut quoquo modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione tenentur usque dum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint.

Can. 840. - § 1. Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae.

§ 2. In Missis ad instar manualium, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae.

Can. 841. - § 1. Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cuiuslibet anni, Missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum.

§ 2. Hoc autem tempus ita est accipiendum ut in Missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate.

Can. 842. — Ius et officium advigilandi ut onera Missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium; in religiosorum ecclesiis, ad eorum Superiores.

Can. 843 - § 1. Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum in quibus elemosynae Missarum recipi solent, peculiarem habeant librum in quo accurate notent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem.

§ 2. Ordinarii tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros sive per se sive per alios recognoscendi.

Can. 844. — § 1. Ordinarii quoque locorum et Superiores religiosi, qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committunt, quas acceperint Missas cum suis eleemosynis cito in librum per ordinem referant curent-

que pro viribus ut quamprimum celebrentur.

§ 2. Imo omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit.

136. **Inscriptio articuli.** — Sequitur *Art. IV. de Missarum eleemosynis* subministratis « sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam vel plures, cum speciali applicatione a subministrantibus determinata » (Prop. damn. 30 ex Synodo Pistoriensi), *seu stipendiis*, eo « quod sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiae, aut Missae decantandae, (adiungatur etiam aut fructus illius), hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis », ut ait D. Th. [1].

137. **Ordo canonum.** — Praestituta liceitate vel illiceitate receptionis stipendii propter celebrationem aut applicationem per duos priores can. 824, 825; in seq. can. 826 explicantur diversa stipendia. Duo canones 827, 828 arcent negotiationis speciem in hac re, ac duo alii 829, 830 exhibent moram et interpretationem obligationis. Iustum stipendium moderantur can. 831, 832, atque obligationis amplitudinem, praesertim quoad celebrationis differendae tempus, can. 833, 834, quorum sequelae continentur in can. 835, 836. Post haec can. 837-841 normas praestituunt servandas ab eis, qui Missas per alios celebrandas habent, additis ultimo normis quoad vigilantiam, ut obligationes circa missarum intentiones satisfiant, et quoad earum adnotationem a diversis curandam. Hae normae continentur in can. 842-844.

138. **De licito stipendio missarum.** — *Can. 824.* § 1. *Secundum receptum*, prouti ex praxi cognoscimus, *et probatum*, sicut constat ex Dec[s]. latis pro hac disciplina moderanda, *Ecclesiae morem* universalem *atque institutum* per ss. canones recognitum ab antiquo, *sacerdoti cuilibet* etiam divitias possidenti ex suo patrimonio vel pingue beneficium ecclesiasticum consequuto, (nam hos quoque sacerdotes, ut ait D. Th. « oportet a populo sustentari, cui spiritualia administrant, secundum illud [2]: Quis militat suis stipendiis unquam?... Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? [3]). *Missam celebranti et applicanti* iuxta propr. damn. 30 Synodi Pistoriensis supra relatam in can. 809, *licet eleemosynam seu stipendium* in art[i]. inscriptione declaratum, et sub quibus no-

[1] 2ª 2ae, q. C. a. 2 ad 2m. — [2] I ad Cor. IX, 7. — [3] 2ª 2ae, q. C. a. 3.

minibus intelligitur omne illud cuius pretium potest pecunia aestimari, *recipere*, ita ut ad instar contractus, do ut facias, teneatur virtute iustitiae ad singularem eamdem applicationem.

Memorata Decreta in quibus maxima ex parte utpote praecipuis ius praecedens continebatur sunt: Dec. « S. C. Concilii, auctoritate Urbani VIII » [1] cum subseq[s]. Declarationibus, const. « Nuper » Innoc. XII [2], Dec. « Vigilanti » sub Leone XIII [3], quoad Orientales Dec. « Cum plures Praelati » S. C. de Prop. Fide [4] et cui praecesserat Dec. S. C. C. [5], atque his duobus Declarationes quamplures supervenerunt. — Hoc postremum Dec[m]. translatum in sequentes canones sic enuntiat harum legum finem: « Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones, et assumptarum obligationum obliviones vitentur. plura etiam novissimo tempore S. Congr. C. constituit ». Occasio vero huius Decreti additur: « Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas », ac sequitur finis huius Decreti: « ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur ». — Harum igitur legum praecedentium memoriam opportune innuere conveniens erit, atque oportet adnotare pro posse illas praescriptiones iuris praecedentis, quae cum « nec explicite nec implicite in Codice contineantur, vim omnem amisisse dicenda sunt » (can. 6, 6°).

Limitationem praec. §[i] statuit § 2. *Quoties autem* absque ulla exceptione, et quocumque ex motivo aut indulto, *pluries* idest: bis aut ter ad normam can. 806 ibi explicatam, *in die celebrat* sacerdos, unicam licite recipit eleemosynam regulariter, quod sic exprimitur: *si unam Missam ex titulo iustitiae* debitam, v. gr. propter stipendium receptum, ex fundatione aut beneficio, diebus festis pro populo quicumque ad id tenetur, sicut esset « parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat », non obstante quod « unam tantum debet applicare » (can. 466, § 2), qui singulis « diebus missam conventualem » in Ecclesia capitulari celebret « applicandam pro benefactoribus in genere » (can. 417, § 1); denique ex alio vero contractu obligatus, etsi nihil stipendii recipiens, *applicet* cum intentione satisfaciendi, tunc ille *sacerdos prae-*

[1] 27 Iun. 1625. — [2] 23 Nov. 1697. — [3] 25 Maii 1893. — [4] 15 Iul. 1908. — [5] 11 Maii 1904.

terquam in die Nativitatis Domini, pro cuius duabus vel tribus Missis applicandis iusta eleemosyna recipi potest, quod implicite canon confirmat, *pro alia*, ut supra celebranda, *eleemosynam recipere nequit,* bene autem potest hanc applicare satisfaciens ex titulo alio non lucrativo. Contra canonem autem recipiens stipendium restituere istud deberet vel aliam missam applicare, utpote carens « iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito » atque necessario, ut « non habeatur simonia » in casu ad normam can. 730. Monet ultimo canon: *excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco* missae celebrationi et applicationi, v. gr. propter dilationem celebrationis in tardam horam, propter iter longum usque ad celebrationis locum, propter alium laborem celebrationi superadditum, etc.

Bened. PP. XV in C. « Incruentum » [1] ait: « omnes catholici orbis Sacerdotes, quamquam sibi licebit die solemnis Comm. omnium fidelium defunctorum semel tantum litare, velint libenter studioseque insigni privilegio uti quod largiti sumus », Videlicet: « I. Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur Solemnis Comm. (praedicta), ter Sacrum facere; ea tamen lege (huius privilegii, "quod nec licet extendere aut restringere sed ex ipsius tenore aestimandum est„ ad normam can. 67) ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare (forsitan sine stipendio neque ex titulo iustitiae, vel si malunt) et stipem percipere queant: teneantur vero, *a*) nulla stipe percepta, *b*) applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem S. Pontificis, quam satis superque declaravimus », et relata est ad can. 806. — Clausula vero « unam e tribus missis cuicumque maluerint applicare » explicata est per resp. S. C. C. quaesito « I. possuntne sacerdotes unam e tribus Missis quae magis eis placet, cui maluerint applicare, et stipem inde percipere, vel primam tantum inclusive? Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam » [2]. Et haec responsio utpote favorabilior sequi potest in America Latina pro usu aequalis privilegii contenti in Brevi « Trans Oceanum » Leonis XIII [3] sub n. VII, quamvis dicatur ibidem: « ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima missa dumtaxat ». Ratio est: quia iuxta reg. 61 Iuris in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur (sicut est illud privilegium), non est in eius dispendium retorquendum », sicuti nunc accideret quandoque ei, qui non posset aequari utentibus iure communi.

Putamus has omnes Declarationes vigere, quia prolatae de privilegio concesso « ea tamen lege » quoad carum missarum applicationem; usquequo declaratio authentica forsan prodeat ad uniformitatem in hac re statuendam. Quaesitum fuit: « II. possuntne maiorem exigere eleemosynam, vel contenti esse debent eleemosyna ex const. synodali, vel consuetudine locali statuta? Resp. Ad

[1] 10 Aug. 1915. CO. VII, 403. — [2] 15 Oct. 1915, CO. VII, 479. — [3] 18 Apr. 1897.

II. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, excepto casu ultroneae oblationis, vetita tamen non solum petitione, sed etiam quacumque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur ». Quoad alias duas Missas quaesitum fuit: « III. Potestne Sacerdos... aliquid accipere ratione laboris, seu incommodi extrinseci, puta si ad aliorum commodum illas celebrare debeat hora vel loco satis incommodo, puta in aurora vel circa meridiem, in ecclesia vel oratorio rurali, aut coemeterii: vel ne hoc titulo valeat aliquid percipere?... Resp. Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam », quamvis alias liceret, nam Pontifex liberalem concessionem faciens potest apponere conditiones sibi benevisas. — Rationabiliter statutum, quia est concessio utenda unice in animarum favorem. Denique dubio « IV. Potestne Sacerdos, etiam remoto quovis motivo lucri, alias duas Missas illa die pro suo arbitrio applicare et stipem percipere, et insequentibus diebus applicare per se vel per alium duas Missas, unam pro fidel^s. defunctis, alteram ad mentem Pontificis?... Resp. Ad IV. Negative ». Immo « V. Potestne Episcopus, poenam suspensionis, etiam latae sententiae, et non faciendi suum stipendium, irrogare in eos qui ita agerent?... Resp. Ad V. Affirmative ».

Et sic Aplca. Sedes providit ut sacerdotum avaritia compesceretur in concessione a charitate sola proveniente.

Quoad sacerdotes autem tum saeculares tum regulares actu commorantes in Regnis atque Dominiis Hispaniae atque Portugalliae Algarbiorum, servanda est const. « Quod expensis » Bened. XIV [1] in § « Scimus etiam », ubi « de illis, qui ante hoc tempus (suae Constitutionis in Aragoniae regno duas, vel tres respective missas praedicta die celebrantes scilicet: duas Sacerdotes saeculares, tres autem Regulares) duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censet » Bened. XIV. Et quia haec dispositio continet « iura aliis quaesita, in usu adhuc nec revocata, integra manent », quia « Codicis canonibus expresse non revocantur » (can. 4). Prosequitur Bened. XIV (in const. « Quod expensis » §° cit°.) « Iis vero, qui imposterum in eodem Regno tertiam Missam vigore praesentis Indulti celebrabunt, iustis de causis... districte prohibemus, ne pro ipsa Missa ullam eleemosynam accipere praesumant, sicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehensis, secundam tertiamque Missam celebrabunt, simili ratione... iubemus, ut non nisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima Missa dumtaxat, (quod nunc substituatur per favorabiliorem responsionem, ut supra), et in ea tantum quantitate qua ea Synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Decernentes nullam omnino causam, nullumque praetextum, aut obtentum, ad declinandam huius praecepti nostri observantiam suffragari posse; ne voluntariam quidem fidelium oblationem, nam nec a sponte dantibus (non iam ultra taxam pro una ex tribus vel pro illis, pro quibus licet eleemosynam accipere, sed pro aliis) quidquam recipi posse statuimus; nec alium quemcumque colorem », et recenset sex quos dissolvit, postea sic claudens praescriptionem: « In summa volumus et statuimus, huiusmodi Missas de novo concessas (hac sua Constitutione) omnibus in communi Fidelium

[1] 21 Aug. 1748.

defunctorum animabus, absque ulla prorsus eleemosynae perceptione, applicari ». Ad quam « normam huius const^s. » coarctatur privilegium huiusmodi per Breve « Trans Oceanum » Leonis XIII supra citatum.

His omnibus perpensis, arguimus certo tenendum: quod si aliquis sacerdos *a*) unam ex tribus missis vi const^a. « Incruentum » Bened. PP. XV, aut ratione Indulti Bened. XIV *b*) etiam ex tribus, et pro Regno Aragoniae *c*) sacerdos saecularis duas primas, aut *d*) ex privilegio « Trans Oceanum » Leonis XIII unam ex tribus, applicaverit cum stipendio, vel sine eleemosyna pro intentione particulari in suffragium alicuius vel aliquorum defunctorum, non omnium: ceteras missas respective debet omnino applicare ad intentionem expressam a Benedicto PP. XV vel a Benedicto XIV, quatenus privilegium celebrationis ab uno vel altero Summo Pontifice eidem promanaverit.

Regulae deductae ex dictis ab hunc canonem sunt sequentes:

I. Tres missae in die Nativitatis Domini sunt liberae applicationis etiam cum stipendio tum propter applicationem tum ex titulo extrinseco.

II. Extra hunc diem et alterum Commem^s. omnium fidelium defunctorum, unius tantum ex pluribus missis eiusdem sacerdotis applicatio titulo iustitiae, secumfert, non vetitam alterius missae applicationem quamlibet, sed stipendium percipere quodcumque ob huius applicationem. Ex titulo extrinseco retributionem percipere permissum est in utraque missa.

In die Commem. omnium fidelium defunctorum.

III. In regno Aragoniae, sacerdos saecularis duas missas et regularis proprie dictus tres missas potest libere applicare etiam cum stipendio, nec titulus extrinsecus est vetitus.

IV. In locis tum Americae Latinae ex Leonis XIII privilegiis « Trans Oceanum »; tum gaudentibus privilegio trium missarum, praeter Aragoniae regnum, prima solum missa (et ex aequa interpretatione una ex tribus) est liberae applicationis etiam stipendio recepto, nec titulus extrinsecus vetatur quoad eamdem missam.

V. In locis, quae incoeperunt frui hoc privilegio ex const. « Incruentum » Bened. PP. XV, una ex tribus missis est liberae applicationis etiam cum stipendio ac retributione ex titulo extrin-

seco, sed vetita « etiam quacumque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur ».

VI. Quoad tertiam missam sacerdotis non regularis in regno Aragoniae, et quoad alias duas missas in locis sub n. IV. applicatio praescripta est pro animabus omnium fidelium defunctorum, vetita perceptione tum stipendii cuiuscumque etiam ultronee allati, tum retributionis ex titulo extrinseco ad normam const^e^. « Quod expensis » Bened. XIV.

VII. Quod alias duas missas ex const. « Incruentum » Bened. XV praescripta est applicatio, unius pro animabus omnium fidelium defunctorum et illarum secundae ad intentionem eiusdem Rom. Pont. fel. rec. in const^e^. expressam. Vetitum est stipendium etiam a sponte dantibus recipere, atque retributionem ex titulo extrinseco.

139. **De illicita stipendii receptione.** — Quatuor casus illicitae receptionis stipendii recensentur in *can. 825. Nunquam licet:* 1° *Missam applicare* actu celebratam a) *ad intentionem illius qui* b) *applicationem,* c) *oblata eleemosyna, petiturus est*, imo est invalida huiusmodi applicatio praevia, eo quod deficit determinatio intentionis humano modo, talis enim determinatio utpote de contingente futuro libero in causis secundis non certo, sicut est ipsa petitio, effugit humanum agendi modum, quod designat clausula: d) *sed nondum petiit* saltem implicite, v. gr. per celebrationis petitionem, unde sacerdos invitatus ad celebrandum apud religiosarum ecclesiam vel oratorium, ac dubitans ne applicationem velint, hac sub conditione applicans missam licite ageret, stipendiumque postea traditum iuste acciperet; ne vero applicatio in conditionis defectu vana evadat, secundam intentionem pariter conditionatam prudenter haberet. Attamen illiceitas contra iustitiam obligans ad restitutionem sita est in hoc quod *et eleemosynam postea datam* velit *retinere pro Missa antea* quam peteretur, sicut explicatum est. *applicata.* Hinc peccatum praedictus sacerdos vitaret ac consequentem restituendi obligationem, si « pro eleemosyna postea data » eamque acceptans missam posterius applicaret. — Pariter nunquam licet: 2° *Eleemosynam recipere* ad normam inscriptionis articuli *pro Missa* celebranda vel celebrata *quae alio titulo* conscientiam obligante, quamvis non ex iustitia, a) *debetur* b) *et applicatur* in eius obligationis adimplementum. — 3° *Duplicem eleemosynam* etiam formaliter consideratam *pro eiusdem Missae applicatione accipere;*

secus diversis temporibus ab eadem persona nummos accipere pro eadem Missa petita. Ratio 2[i] et 3[i] casus est eadem; quia obligatio ad instar contractus « do ut facias » in hac materia liciti respicit totum fructum specialem seu medium sacrificii eucharistici, qui ex intentione sacerdotis distribueretur inter personas, quibus ex diverso titulo ad instar contractus integer debetur.

Huc referre oportet prop[m] damnatam per Dec. S. Congr. S. Officii [1]: « 8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII », quod sub canone implicitum manet.

Imo cum contractus debeat respicere in utroque contrahente idem placitum, quod intenditur iuxta usitatum modum, recte additur ut illicitum: 4° *Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione*, quae proprie non vocaretur Missae eleemosyna seu stipendium secundum Articuli inscriptionem, *alteram pro applicatione eiusdem Missae*, quae ceteroquin applicatio, si quoad diem est determinata, illam celebrationem inseparabiliter includit, ac titulus eleemosynae percipiendae ob celebrationem deesset, *nisi certo constet unam stipem* ex duabus *oblatam esse pro celebratione sine applicatione,* cauto ut dixi, quod haec ab illa celebratione petita v. gr. hodie, tali hora, in tali Ecclesia, reipsa separari posset.

140. **Diversitas stipendiorum.** — Nomina diversorum stipendiorum missarum iuxta ss. canonum proprietatem traduntur in *can. 826.* § 1. *Stipendia quae a fidelibus* qua talibus, clericis aut laicis religiosisque ut privatis personis, *pro Missis* applicandis *offeruntur* sacerdoti a) *sive propria devotione* hoc est: quin teneantur, *veluti ad manum*, et hinc nomen sortiuntur, b) *sive ex obligatione* conscientiae illa offerendi pro quibusdam missis, aut *etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta* prout assolet, vel legatariis imposita, quod aequipollet, *manualia dicuntur* proprie et in iure, ita ut missae in eorum respectu manuales minus proprie vocentur.

§ 2. *Ad instar manualium* propter similitudinem quam induunt, et in iure sic *vocantur*, *stipendia Missarum* revera *fundatarum,* scilicet: « quae in aliqua Ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae sunt » (Dec. Ut debita), vel « ex onere perpetuo inhae-

[1] 24 Sept. 1665. Denzinger, n. 1108.

rent... monasterio, confraternitatibus aut locis piis quibuscumque »[1], *quae applicari non possunt* qualibet ex causa a) *in proprio loco* ubi fundatae sunt, v. g. in ecclesia, pio loco, b) *aut ab iis qui eas applicare deberent* v. gr. a beneficiario, a monasterii religiosis, *secundum tabulas fundationis*, de quibus loquitur Titulus XXX inscriptus « De piis fundationibus », *et ideo* non pro libitu contra illas tabulas, ast *de iure*, si locus sacerdotes celebrantes non habeat, vel tabulae fundationis taliter disponant, *aut Sanctae Sedis indulto*, quando in contrarium fundationis agere oporteat, *aliis sacerdotibus tradendae sunt*, ne in irritum cedat fundatio, *ut iisdem satisfiat:* propter quam traditionem velut ad manum, quamvis ex fundatione proveniant, « ad instar manualium » appellantur.

§ 3. *Alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur* a sacerdotibus missas applicantibus, cum exclusione circumstantiarium § 2[1], hinc « alia » ab eis *appellantur fundata*, utpote ex fundatione provenientia, *seu Missae fundatae* veluti obiectum directum piae fundationis.

141. Vetita negociationis species de missarum stipendiis. — In Dec[0]. « Ut debita » statutum fuit: « 8[0] Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas (ergo non sic, quando primo constituuntur obligationes) tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, necnon venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet,... qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent... saltem per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum finem ». Ratio sequitur: « Constitit enim id ellici non posse (in praxi ob experientiam) nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit, aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando grave peccatum patrabit... .. — 9[0] ... decernitur, pro missis manualibus, stipem a fidelibus assignatam, et pro missis... (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam nunc iuxta sequentes canones propriam, nunquam separari posse a missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminui,... sublatis declarationibus et (amplissime quibuscumque concessionibus) huic legi contrariis — 10[0] Ideoque... quaslibet... res vendere aut emere, et associationes (ut vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere,... etiam si agatur de missis celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat, et in subsidium alicuius commercii

[1] Decl. S. C. C. 19 Dec. 1904.

vergat », quod vetitum intelligendum etiam est consequenter de eleemosynis missarum « quando primo a fidelibus dantur » bibliopolis, etc. Clausula « quoties id... etc. » afficit solum extensionem ad missam celebratas, et praescriptio est absoluta quoad missas celebrandas. — 11° Item sine nova et speciali S. Sedis venia... ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere, ut ipsorum decori et ornamento consulatur ». Id intelligendum « nisi de consensu oblatorum » iuxta declarationem S. Congr. Conc. [1]. Notandum : contra n°s. 8° et 10° utraque pars peccaret, ex n^is^. vero 9° et 11° solus missas tribuens peccat.

13. « Et (S. Congregatio declarat) excommun. l. s. S. Pont. reservatae subiacere colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent, et huic sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum ». Et [2] C. S. Officii respondit incurri etiam « in eodem loco ubi collegerunt, pro minori pretio ».

Has omnes prohibitiones, minime sanctionem, quae ob Codicis silentium est « abrogata » (can. 6, 5°), atque alios excogitandos praetextus comprehendit in se *can 827. A stipe missarum quaelibet*, non solum vera « negotiatio » per illa stipendia lucrum causans, sed *etiam species negotiationis vel mercaturae*, idest: actus vel contractus in quo interveniat alia res ob quam immediate provenit lucrum, sed prudenter adest periculum expressae negotiationis proximum, *arceatur*, quo ultimo verbo simul ac statuitur vetitum, eius observantiae cura implicite defertur Ordinariis atque potestas urgendi executionem in casibus dubiis et peculiaribus.

142. Quot missae applicandae pro stipendiorum numero. — Alexander VII [3] damnavit sequentem prop. « 10. Non est contra iustitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittant promissione, etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram ». Maiorem amplitudinem casuum secumfert praescriptum *can. 828. Tot celebrandae et applicandae* (can. 825, 4°) *sunt Missae* eodem videlicet numero *quot stipendia etiam exigua* idest: quantumcumque incongrua a) *data* per fideles, b) *et accepta fuerint* per sacerdotem vel alium se obligantem ea transmittere sacerdoti. Hic canon, sic expressus indefinite quoad personas, respicit tum sacerdotes privatos, tum Superiores, tum personas morales, quae tali obligatione se onerarunt; et sicut dicitur in Dec°.

[1] 9 Sept. 1874. — [2] 13 Ian. 1892. — [3] 24 Sept. 1665.

Urbani VIII, unde canon desumptus est: « alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur ». Et revera, cum emptio-venditio aut commutatio, etc. hic locum non habeat, non est ponderanda eleemosyna, sed magnus Missae fructus, quo recipiens stipendium fraudat contra iustitiam ex obligatione ad instar contractus illum, qui dedit eleemosynam.

143. **Obligationis ad applicandam Missam perpetuitas.** — Puto per eamdem ad instar contractus do ut facias rationem fulciri posse aequitatem *can. 829. Licet sine culpa illius qui onere celebrandi* cum vel sine applicatione (can. 825, 4°) *gravatur* ex iustitiae obligatione ad instar contractus praedicti ob acceptum stipendium, *Missarum eleemosynae iam perceptae*, proindeque in sucustodiam translatae per contractus impletionem ab altera parte, *perierint, obligatio* applicandi vel solum celebrandi (can. cit.) exinde contracta *non cessat.*

144. **Obligationis quoad missas applicandas interpretatio.** — Cum ex can. 828 « tot applicandae sint Missae, quot stipendia accepta fuerint », pro quodam casu subnectitur cum sequentibus hic *can. 830. Si quis pecuniae summam obtulerit* ad manum vel per testamentum, a) *pro Missarum applicatione*, b) *non indicans earumdem numerum*, nam hunc numerum praescribere pertinet ad offerentem vel testatorem, tunc congruenter iuri praecedenti in resp^{s}. ad dubia 2 et 5, ac per sequentem clausulam declarato, numerus *hic supputetur* ad normam can. sequentis, quem supponunt verba *secundum eleemosynam loci in quo oblator* etsi testator *morabatur* oblationis seu confecti testamenti tempore: equidem rationabiliter credendum est velle se conformari principio: « locus regit actum »: *nisi aliam fuisse eius intentionem* ex aequitate sequendam *legitime* scilicet: ad normam sacrarum legum *praesumi debeat*, quia haec praesumptio iuris utpote quae « ab ipsa lege statuitur » (can. 1825, § 1) et speciali, alteri normae generali derogaret, iuxta reg. iuris in 6° XXXIIII « Generi per speciem derogatur ».

145. **Taxa synodalis vel dioecesana**, quoad missas attinet, est: « eleemosyna pro Missae sacrificio determinata in singulis dioecesibus vel ab Episcopo in Synodo aut extra Synodum, vel a consuetudine ». Ex praec. iure huius taxae moderatio est penes Episcopum iuxta Dec. Conc^{i}. Trid^{i}. (sess. XXII) « de obser-

vandis et evitandis in celebratione missae », et confirmatur per resp^s. [1] ad quaesita : « Quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium? 2° Quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatore? S. Congr. Conc. reposuit: Ad 1^m et 2^m censuit attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit; sin minus, statuendam esse per episcopum eleemosynam eius arbitrio ». Et quoad regulares Sacra eadem Congr. in una Romana [2] edixit : « eleemosynam pro qualibet missa per regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis ».

Taxatum stipendium potest sacerdos exigere, ac nisi detur, Missae applicationem hac solum de causa recusare. Sed talis exactio non sit (solo etiam animo) tamquam de pretio, hoc enim esset simonia. Sacerdos nequit eleemosynam synodali taxa maiorem exigere, sed sponte oblatam acceptare utique potest, quod ultimum sicut etiam praedictam spontaneam oblationem laicorum « ab Episcopo prohiberi non posse » reposuit S. C. C. [3]. — E contra vero in c. S. Severini [4] postulante Episcopo « ... an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri iulii (0,54) pro qualibet missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate » ; S. C. C. respondit: « Affirmative quoad eleemosynam manualem ». Posita huiusmodi Episcopi prohibitione, pro minori eleemosyna nequit Sacerdos missam applicare; posset vero gratis, cum hoc nullius damni periculum aliis sacerdotibus praeseferat, nec tali prohibitione comprehendatur. Si vero praefata prohibitio non existat, a synodali taxa deficere in suscipienda eleemosyna recte fieri potest. In hoc vero casu servanda responsio S. C. C. ex Urbani PP. VIII auctoritate: « III. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum », (nam istae sunt circumstantiae in taxae determinatione ponderandae) « sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare? — Ad III teneri ».

Hoc « ius vetus ex integro referunt » duo canones sequentes : *Can. 831. Ordinarii loci* (can. 198, § 2) *est manualem Missarum stipem* notam ex can. 826, § 1, *in sua dioecesi*, « abbatia quoque vel Praelatura nullius » (can. 215, § 2), atque « Vicarii aut Praefecti Apostolici in suo territorio » (can. 294, § 1) *definire* quoad stipis quantitatem, forsan diversam pro civitate ac pro ruralibus parochiis, pro missis lectis vel cantatis, *per decretum* seu normam generalem obligatoriam, *quantum fieri potest*, atque sic praescriptum est Episcopo: *in dioecesana Synodo latum* eodem modo ac cetera decreta synodalia feruntur ad normam can. 360-362, et inde nomen « taxae synodalis ». Praescriptum celebrantibus impositum sequitur : *nec sacerdoti licet ea* constituta pro missis ibidem oblatis *maiorem exigere*, hinc taxam synodalem licet exigere, modo tamen supra dicto.

[1] 15 Nov. 1698. — [2] 15 Ian. 1639. — [3] 16 Ian. 1649. — [4] 16 Iul. 1689.

Praescriptum extenditur pro locis in § 2. *Ubi desit Ordinarii decretum*, etsi extrasynodale, *tunc*, iubente canone, *servetur consuetudo dioecesis*, hinc « taxa dioecesana » quae promiscue « synodalis » appellatur. Et in hac re nullam exemptionem iuvare meminit § 3. *Etiam religiosi* (can. 488, 7°), proinde sacerdotes novitii quoque, de illis autem subdit canon: *licet exempti* scilicet: « religionis sive votorum solemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subductae » (can. 488, 2°), et est circa exemptionem unus ex « casibus a iure expressis » (can. 615), *circa stipem manualem stare debent* a) *decreto Ordinarii loci*, etsi extra Synodum lato, b) *aut dioecesis consuetudini* pro diversa norma §§ 1, 2 sequenda in dioecesi, aut Abbatia vel Praelatura nullius, Praefectura vel Vicariatu Apostolico.

146. **Quid liceat Sacerdoti respectu taxae dioecesanae.** — Non obstante obligatione taxae dioecesanae supra declarata in can. praec., edicit *can. 832. Sacerdoti fas est*, seu in conscientia licet, religioso quoque exempto, *oblatam ultro* seu sponte ab offerente *maiorem* taxa synodali *stipem pro Missae applicatione accipere*, atque hoc absolute; *et*, sub conditione: *nisi loci Ordinarius prohibuerit*, quod ut supponitur potest prohibere, ac servandum foret, *etiam minorem*, et quamvis prohibitione lata non posset accipere minorem, posset absque ullo stipendio ad alterius voluntatem applicare cum obligatione quoque promissionis vel iuramenti.

147. **De conditionibus appositis ab offerente stipendium.** — In contractibus apponi posse conditiones seu modos servandos in eorum obligationum exsecutione dubium non est: propter hoc cavet *can. 833. Praesumitur* « contra quam praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio » (can. 1826), *oblatorem* eleemosynae Missae secundum eius notionem in art. inscriptione *petiisse solam Missae applicationem*, quae tamen celebrationem qua talem simpliciter includit; *si tamen oblator* praedictus *expresse*, aut verbis conspicuis vel in alia assertione subauditis, *aliquas circumstantias in Missae celebratione* ad applicationem necessaria *servandas determinaverit*, v. gr. quoad diem aut horam, quoad altare privilegiatum vel Ecclesiam particularem, etc., *sacerdos eleemosynam acceptans* praedicto modo oblatam, *eius* oblatoris *voluntati stare debet* equidem in conscientia.

148. De tempore adimplendae obligationis ex manuali stipendio. — Occasione conditionis temporis, quae designari potest, ut dictum est in can. praec., sequitur *can 834.* § 1. *Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est,* non solum diei designati ut continebatur supra, sed intra cuius intervallum celebrentur, *eo omnino tempore sunt celebrandae,* ut obligationi iustitiae satisfiat.

E contra statuit § 2. *Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripserit:* — 1° *Missae pro urgenti causa oblatae*, v. gr. sanitatis infirmi, optimae navigationis, felicis exitus examinis, dummodo sciatur, a) *quamprimum* pro causae urgentia et omnino b) *tempore utili* non ad normam can. 35, sed scilicet: quando offerentis intentio consequi potest adhuc effectum, *sunt celebrandae*, v. gr. dum infirmitas perdurat sananda, antequam examen fiat, etc. — 2° *In aliis casibus Missae sunt celebrandae infra modicum tempus* mensurandum non horis sed diebus, nec interpretandum « quamprimum », ut apparet ex gradatione in hoc canone adhibita quoad obligationis huiusmodi determinationem, et propter verba quae sequuntur mensurandum quadam cum amplitudine *pro maiore vel minore Missarum numero* determinanda, ita ut sensus sit: servanda sollicitudo adimplendi onus viro timorato ac prudenti propria. — Si quispiam desideret aliqualem determinationem, poterit recipere ex Dec°. « Ut debita » ut securam normam directivam: « 2° Utile tempus ad hoc esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum ». Quod maiorem adhuc determinationem rescripsit S. C. C [1], « Rem relinqui discreto iudicio et conscientiae sacerdotum iuxta Decretum et regulas a probatis AA. traditas, et (ad II) quod praefati termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem ». Sed in canonis praescripto non est inserta clausula Dec. « Ut debita », sed indefinita: « dummodo infra modicum tempus valeant omnibus Missis satisfacere » ex resp. ad 10 Dubium S. C. C. sub Urbano VIII, et quae confirmat interpretationem supra datam: « An novas valeant eleemosynas recipere ii Sacerdotes, qui acceptis non satisfecerunt; et quid si congruo tempore possint omnibus sa-

[1] Archiep. Leopolien. Ruthenorum, 27 Febr. 1905 ad I^m.

tisfacere? Respondit. Posse nova etiam onera Missarum suscipere, dummodo... » ut supra.

Ultimam hypothesim proponit § 3. *Quod si oblator arbitrio Sacerdotis tempus celebrationis*, intra quod adimpleatur onus, *expresse reliquerit;* tunc solum, sed evidenter *Sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit*, etiam longiori quam exigit contractus per se, *eas celebrare*, *firmo praescripto can. 835*, quod limitationem satis amplam huic normae § 3[1] assignat.

149. **Limes onerum Missarum licite recipiendorum.** — In Dec°. « Ut debita » legitur: « Iamvero de his omnibus (missis manualibus et ad instar manualium) S. C. decernit: 1° Neminem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius (in eo Decreto) statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari ». Quia ergo canon praecedens hos temporis terminos statuit loquens de missis receptis sine recipientis designatione, servandus est quoque a Superioribus religiosis et Ordinariis locorum respectu habito ad subditos eorum. — Prosequitur Dec. cit.: « 3° Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat », quod interpretari poterat per se vel per subditos, sicut supra. Quam interpretationem non admittit eidem n°. 3° aequalis primo aspectu *can. 835. Nemini licet*, seu prohibitum est, quamvis ad normam can. 834 liceret quandoque, *tot Missarum onera*, non quidem in fundatione, de quibus in tit. XXX, sed pro stipendiis manualibus vel ad instar manualium, quia subditur *per se* scilicet: recipientem ea *celebrandarum*, proinde non loquitur de Superioribus vel locorum Ordinariis qua talibus, *recipere*, *quibus* receptis *intra annum satisfacere nequeat* iuxta prudentem praevisionem, quia excedunt vel dies anni, vel dies sibi liberos ad applicationem, vel dies temporis utilis propter infirmitatem et cetera impedimenta probabilia celebrationis.

150. **Monitio facienda in quibusdam ecclesiis quoad recipienda stipendia Missarum.** — Consequens Decretis Urb. VIII de celebratione missarum in n. 6 et ad 14 Dubium latus est *can. 836. In ecclesiis* sive cleri saecularis sive religiosorum, *in quibus ob fidelium peculiarem devotionem*, etsi occasione concursus, peregrinationis, solemnitatis cuiusdam, *Missarum eleemosynae ita affluunt*

ordinario vel extraordinarie, *ut omnes Missae* illae affluentes *celebrari ibidem debito tempore* ad normam can. 834, loco clausulae « nisi post longum tempus », ut aiebat Dec. cit., *nequeant, moneantur fideles* publice, ac determinatur modus *per tabellam in loco patenti*, ut ab omnibus legi possit, *et obvio*, ut obtutus adeuntium Ecclesiam tabella non effugiat, *positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi*. Sic enim fideles eleemosynas offerentes consentiunt tacite in dilationem vel in celebrationem extra ecclesiam, dum contrarium ipsos velle praesumendum esset. Atque hoc pacto amplius non est opus ut [1] « capsulas auferant ab Ecclesia cum inscriptione *Eleemosyna pro missis*, aut quae apponi solent in die Commem. omnium Sanctorum et vulgo dicuntur *Casse de' morti* ».

151. **De distributione onerum Missarum**. — Cum can. 837 incipit series quinque canonum, de his qui missas per alios celebrandas habent, vel quia sunt Superiores religiosorum his providentes de celebratione, vel pariter Ordinarii locorum pro eorum subditis, vel eo quod sunt administratores locorum piorum, vel rectores quidem ecclesiarum, vel singuli sacerdotes qui missas legitime receptas nequeunt contra praevisionem intra debitum tempus ad normam can. 834, 835 celebrare, atque hi canones per ordinem praescribunt: de facienda distributione, quibus sacerdotibus, quousque non transeat obligatio, de quantitate stipendii transmittendi, ac de onerum Missarum depositione apud Ordinarium ab administratoribus locorum piorum. — Commentandus igitur primo *can. 837. Qui Missas per alios celebrandas habet* quocumque motivo, ut dictum est supra, *eas quamprimum distribuat*, socordia quacumque prudenter exclusa, *firmo praescripto can 841* quando iuxta ipsius tenorem ille canon servandus est. Sequitur comma valde notandum: *sed tempus legitimum* idest: ad normam can. 834 *pro earumdem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus*, nam celebraturis sunt saltem mediate distribuenda, *easdem* per distributionem *receperit* (non a die praecedenti in quo eidem remissae sunt), *nisi aliud constet*.

Ut normam praxis solum directivam iuvat referre quaedam praecedentia Decreta, nempe: S. Congr. Conc. [2] Archiep. Leopolien. Ruthenorum.

[1] Dec. Urb. VIII, 6, et 13 Dubium. — [2] 27 Febr. 1905.

« III. An in casu art. 7[i] pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Aplcae. Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit?

IV. An ista stipendia etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7[i] tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint?

V. An liceat Ordinario omnibus his missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuerint? Respondit S. Congr. Conc.

Ad III. affirmative: idest obligationem incipere a die quo sacerdotes missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.

Ad IV. Episcopus curet, ut quantum fieri potest. Missae a pluribus Sacerdotibus tempore debito satisfiant.

Ad V. Sufficere, ut Sacerdotes celebrent iuxta mentem Ordinarii, qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant Sacerdotibus intentiones praescriptae ».

Similiter utiles scitu putamus resp[s]. seq[s]. S. C. de Religiosis. Quaesitum est ab ea: « I. An Sacrum facere ad intentionem praefixam a superiore proprie actum internum constituat, qui minime subest voluntati Superiorum? » Negativa responsio data est implicita in resp. ad III.

« II. An religiosus votorum simplicium, vi suae professionis, teneatur *ex iustitia*, aut solum ex charitate, ad celebrandum iuxta intentionem a Superiore praefixam, sibi reservata facultate celebrandi iuxta propriam intentionem in limitibus a Constitutionibus admissis? » Videtur erui ex resp. ad III, quod teneatur ex sola obedientia sub limitibus ibidem positis; sed obligatio iustitiae consequenter ab eis etiam trasgrederetur, si Missis rite acceptis aliter Superior non posset satisfacere.

Emmi. autem PP. Cardinales praefatis dubiis responderunt: « Ad 1[m] et 2[m] Providebitur in tertio ».

Ad 3[m] Reformato dubio: « An Superiores Religiosi praecipere possint subditis suis etiam in virtute sanctae obedientiae ut ipsi celebrent secundum intentionem a Constitutionibus praescriptam vel ab ipsis Superioribus statutam, salvis exceptionibus a Constitutionibus vel a legitima consuetudine sancitis? respondere censuerunt: Affirmative ».

Ita in Suessonien. et aliarum [1].

152. Quibus sacerdotibus distribuenda missarum onera. — *Can. 838. Qui habent Missarum numerum*, quos recensuimus in can[s]. praec[s]. initio, *de quibus* missis *sibi liceat*, eo quod subditos non habent queis in hoc subvenire debeant, *libere*, quia illae non sunt in aliqua determinata ecclesia vel a determinatis sacerdotibus celebranda, vel ut dicitur in Dec[o]. « Ut debita » n. 5 « quin funda-

[1] 23 Mart 1914, CO. VI, 231.

torum vel oblatorum voluntati quod tempus et locum celebrationis missarum detrahatur », atque alio motivo non impediantur, *disponere* ut dictum est, *possunt eas* celebrandas applicandasque cum stipendio relativo *tribuere,* non laicis, clericisve quibuscumque, sed *sacerdotibus sibi acceptis* pro libitu, *dummodo,* non iam « certe ac personaliter sibi noti » sint, ut dicebatur in num cit. Dec[i]. « Ut debita », sed *probe sibi constet* idest: ex prudenti ac sufficienti ratione sacerdotes *eos esse* a) *omni exceptione maiores*, scilicet: in fidelitate adimplendorum onerum non pati exceptionem contrariam, b) *vel testimonio proprii Ordinarii commendatos*, etsi authentico scripto, quamvis distribuenti ignotos. Unde implicite conceditur praedictis « qui habent Missarum munerum », ut queant ipsis Ordinariis aut religiosorum sacerdotum Superioribus committere ipsas missas praefatas eorum subditis tribuendas, ut iam concessum fuerat in n. 7° cit[i]. Dec[d]. « Ut debita ».

Ex Dec[o]. « Cum plures Praelati », S. C. de Prop. F. [1] « 1° Si qui velint Missas quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc praestare possunt non modo per hanc S. Congr., uti praecipitur in Dec[c]. « Recenti » S. C. Conc. » [2] in quo generaliter statuitur: (Si quis vel Episcopi vel Sacerdotes... ad Antistites aut presbyteros Ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt) « sed etiam per Rdmos. Delegatos Aplcos. in regionibus orientalibus constitutos. — Ut eas distribuant dumtaxat Praelatis et Sacerdotibus Delegationis suae »: additur in resp. ad I. S. C. C. [3] — « Quo in casu, necesse est significare Delegatis Aplcis. quot Missae et quae stipendiorum summa tradi debeant Praelatis orientalibus intra cuiusque Delegationis ambitum existentibus ». Dec[m] S. C. de Prop. F. loquitur de Ecclesiis rit. orient[m]., alia vero S. C. C. de quocumque ritu in illis regionibus. Hoc ultimum probabilius saltem.

« 2° Nullatenus licet eleemosynas mittere ad viros laicos qui postea eas distribuant sacerdotibus Missas celebraturis.

3° Neque licet celebrationem Missarum directe committere presbyteris orientalibus.

4° Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores congregationum religiosarum orientalium ». — S. vero Congr. Conc. [4] interrogata « II. Se i Superiori degli Ordini ed Istituti religiosi possano mandare direttamente ai loro soggetti esistenti in Oriente intenzioni di messe con le rispettive elemosine. S. Congr. respondit... Ad II. Affirmative et taxative pro Religiosis subditis suis, non vero pro ceteris ».

« 5° Immo neque licet Missas directe committere Praelatis Orientalibus, qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

[1] 15 Iul. 1908. A. S. S. XLI, 460. — [2] 22 Maii 1907, A. S. S. XL, 344. — [3] Dubia, 9 Sept. 1907, A. S. S. XLI, 145. — [4] 9 Sept. 1907.

6° Si vero agatur de Antistitibus habentibus iurisdictionem Ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab Episcopis et Sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subditorum, uti declaravit S. C. C. [1]. Ne autem ex pluribus locis simul multae eleemosynae confluant in unam et eamdem Dioecesim,... ideo qui committit eleemosynas alicui Praelato orientali, certiorem faciat de numero Missarum etiam Delegatum Aplcum. regionis ad quem spectat vigilare ut Missae, ea qua par est sollicitudine celebrentur ».

Sequitur ergo ex dictis posse Missas mitti solum 1° vel nunc per S. Congr. pro Ecclesia Orientali, sine limitatione nec conditione.

2° vel per Delegatos Aplcos. sub limitatione et conditione expositis in n. 1°.

3° ad Episcopos cum iurisdictione ordinaria, item cum limitatione et conditione, ut supra n. 6°.

et 4° a Superioribus religiosis pro subditis suis existentibus in Oriente.

Et cum haec praescripta sint fere omnia pro Ecclesiis orientalibus, cum « ipse Codex unam respicit Latinam Ecclesiam », nec de iis agitur « quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt »; sequitur illa vigere adhuc, quousque S. Congr. pro Ecclesia Orientali aliter disponat.

153. **De translatione oneris missarum**. — *Can. 839. Qui* a) *Missas a fidelibus receptas,* ergo manuales, b) *at quoquo modo suae fidei commissas* ut applicentur, sive per testamentum, sive ut administratori piarum fundationum, sive per alium quemcumque modum v. g. quae Ordinariis traduntur ad normam can[s]. 841, *aliis* adhuc *celebrandas tradiderint, obligatione* sicut ante traditionem *tenentur*, non quemadmodum decretum fuerat sub n. 6° « Ut debita », « usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut, si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur », quod nunc facere solum debet *usque dum* a) *acceptatae* (non tantum cognitae) *ab eisdem obligationis* celebrandi et applicandi b) *et recepti* relativi *stipendii*, seu utriusque *testimonium obtinuerint*, verbotenus, scripto aut nuntio, quod parum refert.

154. **Quantitas stipendii missarum traditarum**. — Congruenter n. 3° Decreti et IX Dubio soluto per S. C. Conc. sub Urbano VIII praescribit *can. 840.* § 1. *Qui Missarum stipes manuales ad alios trasmittit* verbotenus, scripto, nuntio, etc., *debet acceptas integre transmittere*, sic translato huc Dec[1]. « Ut debita »

[1] 18-III-1908.

num°. 9. *nisi aut* a) *oblator* stipendiorum *expresse permittat aliquid* eorum *retinere*, b) *aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam*, qui esset etiam transmittendus, *datum fuisse intuitu personae* recipientis stipem a fidelibus manualem. Huc pertinet prop. ab Alex. VII damnata [1] « 9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta ».

Sequi potest doctrina quae asserit retineri posse stipendium vel stipendii pars ex *spontanea* remissione suscipientis obligationem applicandi. Tunc enim aequipollet traditioni iussae in canone, cui subsequeretur donatio de proprio nec per canonem nec alias prohibita. Dixi *spontanea;* ut excludatur quod vetitum manet ex const. « Quanta cura » Bened. XIV [2] de retentione partis stipendii « etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti et consentienti, se maioris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset ». — Cum etiam sit omnino ex aequitate debita solutio de qua loquitur 7 Dubium sequens, cum hoc canone vigere potest eius responsio: « An permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expressis manutentionis Ecclesiae, Altarium, inservientium, paramentorum, luminorum, vini, hostiae et similium? Respondit S. C. C. auctoritate Urb VIII. Permittendum non esse nisi cum Ecclesiae alios non habeant reditus in huiusmodi usum licite erogandos; et tunc portionem quam retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario subeundarum, et nihilominus curandum esse, ut tot Missae celebrentur quot fuerint praescriptae ». Nunc vero in Codice inveniemus in can. 1303 quandonam « potest id et quinam Ordinarius permittere ».

Idem declaratum est in Hildesien. [3] de « legatis missarum in aliqua ecclesia fundatis », prout refert atque confirmat Dec. « Ut debita » sub n. 15, qui transumptus est cum adnotanda infra mutatione in praesentis canonis § 2. *In Missis ad instar manualium* (can. 826, § 2), seu « stipendia Missarum fundatarum... de iure aut Sanctae Sedis indulto aliis Sacerdotibus tradenda, ut iisdem satisfiat », *nisi obstet mens fundatoris* ex fundationis tabulis cognoscenda, v. gr. de totali stipendio quod celebranti conferendum sit, *legitime* scilicet: secundum ss. canones *retinetur excessus* « supra taxam dioecesanam » (§ 1), *et satis est* pro utroque foro *remittere*, sacerdoti cui traduntur missae ad instar manualium, *solam eleemosynam manualem* ad normam can. 831 de taxa synodali *dioecesis*, non « loci in quo beneficium est erectum », ut praescripserat Dec.

[1] 24 Sept. 1665. — [2] 30 Iun. 1741. — [3] 21 Ian. 1898.

cit., aut loci in quo sita est fundatio, *sed in qua* dioecesi *Missa* remissa *celebratur*, sub conditione: *si pinguis eleemosyna* praedictam taxam excedens, « et quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata » (Dec. cit. n. 15), *locum pro parte* excedente *teneat dotis beneficii*, quam explicat can. 1410 [1], *aut causae piae*, de cuius dote loquuntur can. 1545, 1489, § 2 [2], quae videlicet dos in beneficiarii sustentationem aut illius causae utilitatem a fundatore constituta est. Hoc videtur esse praesumendum ac sine difficultate ex tabulis erui poterit.

Ad huius can^{s}. §^{m} 1^{m} et ad can. 827 pertinet Resolutio S. Cong. Conc., [3] quae « rescribendum super relatis precibus censuit: (in Montisvidei et aliarum) Propositam consuetudinem remunerandi coadiutores vicarios tolerari posse. Et ad mentem ». Quae mens Administratorem Aplcum. ibi designatum respicit.

154. **De obligatione remittendi Ordinariis missarum onera.** — Ex n. 4° Dec^{i}. « Ut debita » (can. 6, 2°) « ius praecedens ex integro referunt » sequentes paragraphi, quorum primus continet statutum Dec^{i}. « Vigilanti » [4] et secundus declarationem additam in num^{o}. cit.^{o} Dec^{i}. « Ut debita ». *Can. 841.* § 1. *Omnes et singuli* a) *administratores causarum piarum* idest: piarum fundationum, quarum « nomine significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi... » (can. 1544, § 1), *aut* b) *quoquo modo ad Missarum onera implenda* per se ut beneficiarii, vel per alios *obligati*, nam additur: *sive ecclesiastici sive laici*, quatenus his « partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum

[1] Can. 1410. Dotem beneficii constituunt sive bona quorum proprietas est penes ipsum ens iuridicum, sive certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis, sive certae et voluntariae fidelium oblationes, quae ad beneficii rectorem spectent, sive iura, ut dicitur, stolaeintra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, sive chorales distributiones, exclusa tertia earumdem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent.

[2] Can. 1545. Loci Ordinarii est normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de eius fructibus rite distribuendis.

Can. 1489, § 2. Loci Ordinarius haec instituta ne approbet, nisi finis fundationis utilis reapse sit, et talis constituta fuerit dos, quae, omnibus perpensis, sufficiat vel sufficiens fore prudenter praevideatur ad illum assequendum.

[3] 10 Ian. 1920. CO. XII, 73. — [4] 25 Maii 1893.

competere possunt » ad normam can. 1521, § 2, qui cum seqq^s. de illis decernunt administratoribus, a) *sub exitum cuiuslibet anni*, quae clausula declaratur in seq. §°, b) *Missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum* quacumque de causa, cum culpa vel sine ea, c) *suis Ordinariis* ad normam can. 198, § 1, quo « nomine intelliguntur quoque Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis », pro aliis vero religiosis Ordinarii locorum, *tradant* d) *secundum modum ab his definiendum* quoad circumstantias exequutionis.

§ 2. *Hoc autem tempus* praescriptum in §° praec. sub littera a), *ita est accipiendum ut* a) *in Missis ad instar manualium* (can. 826, § 2), quae supponunt eas esse fundatas, *obligatio eas deponendi* propter paragraphum primum *decurrat* incipiens *a fine illius anni*, quo « nomine venit spatium 365 dierum », quamvis ex sequentibus implicite « dicatur sumendus annus prout est in calendario » (can. 32, § 2) scilicet: a die 1 Ianuarii ad 31 Decembris, proindeque post hunc diem illius anni, *intra quem onera impleri debuissent*, iuxta fundationis tabulas; b) *in manualibus vero* (can. 826, § 1), obligatio praedicta urget *post annum* nempe: « spatium 365 dierum » (can. 32, § 2) *a die suscepti oneris*, scilicet; quamvis omissa fuerit, subintelligenda est clausula Dec. « Ut debita »: « si agatur de magno missarum numero » non residuo sed licite suscepto, quia numerus missarum receptarum magnus iuxta interpretationem can. 837 non debet post annum inadimpletus esse, atque canon explicit: *salva diversa offerentium voluntate*, forsitan implicita propter numerum extraordinarium huic sacerdoti oblatarum missarum, ac ex verbis clausulae sola stipendia manualia respiciuntur, prout constat quoque ex contextu. — Ac demum declaratum est a S. C. C. [1]: « contra transgressores (canonis huius) Episcopum procedere posse in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris », quod etiam post Codicis vigorem valet.

156. **De vigilantia circa missarum onera ut adimpleantur.** — Post. cit. num. 4 Dec. « Ut debita » in eo additur: « Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum, quae tum in hoc art°. tum in praecedentibus (scilicet: can. 834, 835, 841) statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter onera-

[1] 19 Dec. 1904.

tur ».. Sunt ergo praecepta per se gravia in omnibus eorum determinationibus, etsi admittant revera parvitatem materiae ac leve peccatum. — Hanc « observantiam tum Episcopi urgeant » et advigilent (can. 366) tum Superiores religiosi quoad proprios utrorumque subditos, attamen quia de competentia eorum singulorum in ecclesiis circa rem hanc posset dubitari, opportunus est *can. 842. Ius*, quo ceteri excluduntur, *et officium* seu obligatio *advigilandi ut onera Missarum adimpleantur* per eos ad quos spectat et secundum canones praecedentes, a) *in ecclesiis saecularium,* quas sacerdotes saeculares regunt, *pertinet ad loci Ordinarium ;* b) *in religiosorum*, etsi non exemptorum ac iuris dioecesani, *ecclesiis* per illos nempe rectis, *ad eorum Superiores* immediatos quoad exequutionem onerum, nam de superiori vigilantia loquitur can. sequens.

157. **De libris onerum Missarum.** — Ad praefatam vigilantiam ordinantur eamque faciliorem reddunt sequentia praescripta. *Can. 843.* § 1. *Rectores ecclesiarum* « secundum propriam verborum significationem in contextu consideratam » (can. 18), scilicet: heic ampliorem significatione iuridica capitis postremi primae partis Libri I, *aliorumque piorum locorum*, nempe: ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis ordinatorum, a) *sive saecularium* ad normam Tituli XXVI, Libri III, *sive religiosorum*, quia illa sint domui religiosae adnexa, vel ab his gubernentur, *in quibus eleemosynae Missarum recipi solent*, proinde manuales vel ad instar manualium, *peculiarem* ad hoc *habeant librum, in quo accurate* (negligentia exclusa) *notent Missarum receptarum*, quas declaravimus, a) *numerum*, b) *intentionem* pro qua sunt illae applicandae, c) *eleemosynam* respectivam, d) *celebrationem* seu adimplementum obligationis. — § 2. *Ordinarii* ad normam can. 198, § 1 scilicet: locorum *tenentur obligatione singulis saltem annis* intra « spatium 365 dierum » (can. 32, § 2) *huiusmodi libros* de quibus in § 1°, (exceptis « ecclesiarum aliorumque piorum locorum » libris « religiosorum » clericalium exemptorum, circa quos illa obligatione tenentur Superiores maiores): alterutri ergo Ordinarii *sive per se sive per alios recognoscendi,* sic exercendo vigilantiam, ne abusus irrepant.

Relativa huic canoni sunt in Codice alia praescripta similia circa missas fundatas in Tit. XXX. Videlicet: « Can. 1549... § 2.

Pariter praeter librum de quo in can. 843 § 1, alter liber retineatur et apud rectorem (Ecclesiae fundationum piarum) servetur, in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur saltem visitationis tempore ». Congruens interpretationi § 2 can[s]. 843 sequitur in « can. 1550. Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, iura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545-1549, exclusive competunt Superiori maiori ». Qui « canones ius vetus ex integro referunt » (can. 6, 2°) contentum in Dec°. « Nuper » S. C. C. sub Innocentio XII [1].

158. **De adnotatione Missarum ab Ordinariis, Superioribus et sacerdotibus gerenda.** — Ex Decreto « Ut debita », in quo primum haec praescriptio facta est, brevius transfertur in *can. 844.* § 1. *Ordinarii quoque locorum et Superiores religiosi,* etiam locales et non exempti, *qui* a) *propriis subditis* primum providendis, quos missarum intentionibus indigere noverint, b) *aliisve* Sacerdotibus vel Ordinariis, Superioribusque *Missas celebrandas committunt;* supponitur ergo licitum esse in hunc finem quaerere et accipere eas, quod animadvertimus in canonum praecedentium interpretatione; illi singuli *quas acceperint Missas,* praesertim ex annuali depositione ad normam can. 841, a) *cum suis eleemosynis* b) *cito* c) *in librum* distinctum a memoratis prius d) *per ordinem* acceptionis *referant, curentque* a) *pro viribus ut* cum observantia prudenti canonum de tempore dilationis b) *quamprimum celebrentur,* omissa et abrogata (can. 6, 6°) Dec[1]. « Ut debita » clausula sequenti: « ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt ».

Novum omnino praescriptum exhibet § 2. *Imo omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi* (can. 488, 7°), scilicet: quando hi non debeant cito ad constitutionum suarum normam tradere Superiori aut Sacristae stipendia recepta, v. gr. quia legitime morantur extra propriam domum religiosam causa studiorum, ministerii, indulti exclaustrationis, *debent accurate adnotare* a) *quas quisque Missarum intentiones receperit,* ne illae, oblivione, inopinata morte, omittantur aut illegitime differantur celebrari, b) *quibusve satisfe-*

[1] 23 Nov. 1697, n. 4.

cerit, et haec in conscientia observanda sunt, quamvis nihil istorum timendum sit; adnotationem autem unius alteriusve missae receptae, dum non eveniat earum cumulatio propter diligentem celebrationem, omitti posse indubium est, iuxta regulam iuris XL in 6°. « Pluralis locutio (sicut in canone) duorum numero est contenta ».

159. **Complementum huius Art. IV.** – Circa Decreta S. C. C. tum « Ut debita », tum aliud cum responsionibus sub Urb. VIII, tum aliud « Nuper » sub Innoc. XII, oportet quaedam animadvertere praeter dicta in Articuli decursu quoad mutationes et confirmationes ipsorum. Videlicet: omnes latae sententiae poenae ac censurae, utpote « quarum in Codice nulla fit mentio eae tamquam abrogatae habeantur » (can. 6, 5°). Praeter hoc, quia « si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est » (can. 6, 6°) cum exceptionibus quae in casu non existunt, consequitur habendas uti abrogatas praescriptiones illorum Decretorum sequentes: ex Dec. Urb. VIII num. 8 et 9 « de non augendo numero familiae religiosae ut ibi praefinito », et de « Domo religiosorum nullibi recipienda nisi duodecim saltem Religiosi competenter sustentari valeant »; et resp. ad Dubia 16-19; ex Dec°. « Nuper » Innoc. XII, num. 5 « de reponendis eleemosynis missarum per Regulares in capsa particulari et de exigendis ac reddendis rationibus quolibet mense », num. 7 « de exponendis Decretis in Sacrario et omnibus legendis apud Regulares », num. 8 « de exhibendis attestationibus quoad missarum onerum satisfactionem in Provincialibus Capitulis seu Congregationibus », ac num. 9 « de ostensione in forma probante Superioribus generalibus exhibenda in fine regiminis a Provincialibus etc. quoad executionem illorum Decretorum ». Aliae ipsorum particulae supra non memoratae, vel sub hoc Articulo vel Tit. XXX « de piis fundationibus » saltem « implicite sunt comprehensae in Codice » (can. 6, 6°).

CAPUT. II.

De sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Art. I. — *De ministro sacrae communionis.*

Can. 845. – § 1. Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos.

§ 2. Extraordinarius est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.

Can. 846. – § 1. Quilibet sacerdos intra Missam et, si privatim celebrat, etiam proxime ante et statim post, sacram communionem ministrare potest, salvo praescripto can. 869.

§ 2. Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus.

Can. 847. – Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat.

Can. 848. — § 1. Ius et officium sa-

cram communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium.

§ 2. Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii.

Can. 849. - § 1. Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est.

§ 2. Quando privatim sacra communio infirmis ministratur, reverentiae ac decentiae tanto sacramento debitae consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis.

Can. 850. - Sacram communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam can. 848, salvo praescripto can. 397, n. 3 et can. 514, §§ 1-3.

Can. 851. - § 1. Sacerdos sacram communionem distribuat azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum.

§ 2. Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.

Can. 853. - Sanctissima Eucharistia sub sola specie panis praebeatur.

160. **Inscriptiones capitis et articuli.** — Sequitur *Caput II. De sanctissimo*, eo quod in eo continetur Iesus-Christus, qui ut Deus est ipsa Sanctitas, *Eucharistiae sacramento*, quod inquantum huiusmodi est institutum a Iesu Domino ad modum cibi et potus, dicente « Accipite et comedite » [1], « Bibite ex hoc omnes ». — Et quamvis ex illis verbis, ac secundum eius sacramenti naturam permanentem post eius consecrationem per Dei ministros, videretur ab unoquoque sumendum, tamen Ecclesia vetuit hoc ipsum ab antiquo, ut patet in Decreto Gratiani [2]: « Pervenit ad notitiam nostram quod quidam presbyteri laico aut feminae corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis. Igitur interdicit Synodus ne talis praesumptio ulterius fiat, sed presbyter per semetipsum infirmos communicet ».

Hinc. *Art. I.* inscribitur *De ministro sacrae*, utpote singularis ac sanctae, *communionis*, quod verbum connectitur illis Apostoli [3]: « Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? », cuius participationis naturam Iesus-Christus expressit ut veram communionem, quando ait [4]: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo ».

161. **Ordo articulorum atque canonum art. I.** — Post art. I de ministro, agi oportuit *de subiecto communionis* in *Art. II*, re-

[1] Matth. XXVI, 26, 27. — [2] De consecrat. dist. 12, cap. 29 — [3] I ad Cor. X, 16. — [4] Ioan. VI, 57.

missa *Art. III* legislatione *De tempore et loco quo sacra communio distribui potest.* Circa ministrum vero scire oportet: quisnam ille sit, quod ex can. 845 discitur, sequens can. 846 de communionis respectu ad Eucharistiae consecrationem loquitur, et can. 847-850 moderantur delationem communionis ad infirmos, ita ut designato deferendi modo per can. 847, pro illius diversitate reservetur parocho in can. 848, 850, vel adiudicetur cuilibet sacerdoti circa reverentiam ac decentiam servandam monito in can. 849; de ritu vero servando in sacra communione distribuenda can. 851 disponit, ac ult. can. 852 cavet sub qua specie communio praebeatur.

162. **Minister ordinarius et extraordinarius.** — *Can. 845.* § 1. *Minister ordinarius,* seu cui ratione ordinis suscepti reservatur facienda regulariter distributio *sacrae communionis est solus sacerdos* sive Episcopus sive presbyter; nam ut ait D. Thomas[1] « ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi propter tria: primo quidem, quia, sicut dictum est, ipse consecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in coena, ita et aliis sumendum dedit. Unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo, quia Sacerdos constituitur medius inter Deum et populum; unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Tertio, quia in reverentiam huius Sacramenti a nulla re contingitur nisi consecrata: unde et corporale et calix consecrantur (idest: benedicuntur benedictione constitutiva), et similiter manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum: unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu ». Et in Conc. Trid. sess. XIII, c. VIII legimus: « In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos, tamquam ex traditione apostolica descendens, iure ac merito retineri debet ».

§ 2. *Extraordinarius* supple « minister », cui scilicet characteris ratione competit per exceptionem administratio praefata, *est diaconus*, eo « quod ille quasi propinquus ordini sacerdotali aliquid participat de eius officio, ut scilicet dispenset sanguinem (in anti-

[1] 3a P. q. LXXXII a 3 corp.

qua disciplina) non autem corpus, nisi (antiquitus) in necessitate, iubente episcopo vel presbytero »[1]; sed iuxta canonem: a) *de Ordinarii loci vel parochi licentia*, quod intelligatur etiam de diacono religioso exempto, sed tantum b) *gravi de causa*, v. gr. necessitate ministerii cogente in parochi subsidium, vel hoc deficiente aliove sacerdote ad communionem quoque ex devotione, est *concedenda*, *quae* licentia *in casu necessitatis*, v. gr. urgentis administrationis viatici, etiamsi recursus fieri posset ad solum Episcopum, vel quandocumque gravis datur causa et recursus fieri nequeat ad parochum nec ad Episcopum, semperque presbytero deficiente, *legitime* idest vi huius canonis *praesumitur* obtenta ex eorum voluntatis interpretatione. Ad normam huius canonis intelligenda nunc resp. S. C. Rit.[2] « An Diaconus, in ordine tantum Diaconatus, constitutus, extra casum necessitatis possit distribuere fidelibus Communionem? Rescribendum censuit: Negative ».

163. **De ministranda communione in respectu ad consecrationem.** — *Can. 846.* § 1. *Quilibet sacerdos* rite celebrans eucharisticum sacrificium, *intra Missam* iuxta desiderium S. Tridentinae Synodi[3]: « ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent »; *et, si privatim celebrat*, idest: sine ministris diacono et subdiacono, et sine cantu, nec conventualem canonicis horis connexam, *etiam proxime ante et statim post*, quod iam ex consuetudine licebat, *sacram communionem ministrare potest*, equidem licite; nec discordat a Rit. Rom.[4], cui concordat Miss. Rom.[5] quoad ordinem administrandi s. communionem intra Missam. — Videlicet: « Communio autem populi intra Missam statim post communionem (sub utraque specie) Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda), cum orationes, quae in Missa post communionem dicuntur non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent ». Sed cum in capitis initio absque restrictione doceatur ordo administrandi communionem extra Missam, interpretenda videtur clausula intra parenthesim de causa rationabili ad differendam communionis distributionem finito Missae sacrificio.

[1] D. Th. l. cit. ad 1[m]. — [2] Ord. Min. Observ. 25 Feb. 1777, n. 2504. — [3] Sess. XXII. Dec. de sacrificio missae, Cap. VI. — [4] Tit. IV, Cap, II, n. 10. — [5] Ritus celebrandi Missam. X, 6.

Notandum hic Dec. generale S. C. R.[1] « Affirmative, seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, S. Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo Pyxidem a Tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem ». Placet integrum transcribere Dec^m., etsi alio spectet. « Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2 Nov. Ssmae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum ».

Item, propter scopum Ssmi Sacramenti patenter expositi videtur facta prohibitio sequens: in una Societ. Iesu[2] « Dub. I. Quid sentiendum de usu in dies semper invalescente celebrandi Missas coram Ssmo Sacramento publice exposito in Ecclesiis, in quibus non desunt alia Altaria; item et distribuendi sacram Communionem in iisdem Missis et extra Missas in eodem altari. Et quatenus tolerari possit talis usus. Dub. II... Ad I. Ad primam partem: Non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto; ad secundam partem: Negative ». Idest: « quoad communionem distribuendam » non toleranda consuetudo. Nec excusationis causa fuit admissa in seq. facti specie[3]: « IV... quaeritur: An huiusmodi responsum servandum etiam sit pro ruralibus parochialibus Ecclesiis, in quibus licet secundarium adest Altare, nimis incommodum et indecens esset ob Ecclesiarum ipsarum angustiam inibi sacram Synaxim administrare?... Ad IV. Affirmative; et ad mentem: Mens est; ut in hisce Ecclesiis Altari laterali apponatur parvum Ciborium amovibile; et si opus sit, loco transennae vulgo Balaustra, scamna circumponantur ».

Explicit sic §^us 1us can^s. 846: *salvo praescripto can. 869* scilicet: praescriptum paragraphi vigere « ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius (quoad hunc locum), iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit ».

Ampliatur potestas in seq. § 2. *Etiam extra Missam*, scilicet: absque illius paramentis, *quilibet sacerdos* ut supra *eadem facultate* « sacram communionem ministrandi « (§ 1) *pollet ex licentia* tacita, aut congruenter ad can. 484, § 1 *saltem* ex aliquo motivo *praesumpta rectoris ecclesiae* ad normam can. 479, sed ampliori propria significatione ad illius similitudinem officii, *si sit extraneus*, ad ecclesiam non pertinens, nec tacitam ex tactis possidens.

164. **De sacra communione ad infirmos deferenda.** — In domibus privatis tantum infirmis licet communicare, praeter modum viatici, etiam ad

[1] 27 Iun. 1868. n. 3177. — [2] 11 Mai. 1878. n. 3448. Idque confirmatum est in Marianopolitana. 17 Apr. 1919. CO. XI, 246. — [3] Papien. 23 Nov. 1880, n. 3525.

praeceptum paschale adimplendum aut devotionis causa. Idipsum liquet, tum ex Decreto « Post editum » S. C. C. infra referendo in can. 858, tum ex Rit. Rom.[1] « Hortetur Parochus infirmum, ut sacram communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit ». Immo Alex. VII C. « Sacrosancti »[2] ait: « aegrotis morti proximis cuiuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Eucharistiae viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit ». Deinde n. 6 statuitur modus; scilicet: « Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente ». Quoad haec oportet scire tamquam Declarationem sequens Dubium propositum S. C. de disciplina Sacram^m. [3] « III. An Ordinarii permittere possint, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et S. Communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab Ecclesia domum deferatur ». Et Emmi. PP. re mature perpensa, resposuerunt:... Ad III. Affirmative ex iusta et rationabili causa, servato saltem ritu proposito a Bened. XIV in Dec^o. « Inter omnigenas »[4] scilicet: « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in saeculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur ». — Loc. cit. Rit^e. Rom^m. addit: 5. « Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cuiusvis rei praetextu ad ostendendum non deferatur ».

His dictis congruit plene ac facile intelligitur *can. 847. Ad infirmos publice sacra communio deferatur,* nempe: ad normam citatam Rit^s. Rom^i., *nisi iusta et rationabilis causa*, sola etiam non requisito Ordinarii consensu, v. gr. consuetudo regionis, tempore commotionis popularis, aut permittente Ordinario, vel aliud motivum proportionatum et secundum rationem *aliud suadeat*, scilicet: ad illos ipsam privatim deferre.

165. **Ad quos pertineat publice infirmis deferre sacram communionem.** — De modo publice deferendi sacram communionem decernit *can. 848.* § 1. *Ius* prae sacerdotibus de quibus in §° 2°, *et officium*, seu obligatio erga infirmos, *sacram communionem* (causa ministrandi eam) *publice,* ut explicatum est in can. praec., *ad infirmos etiam non paroecianos*, quia non comprehensos in can. 94 respectu suiipsius, decumbentes vel impeditos *extra ec-*

[1] Tit. IV, C. IV, n. 2 — [2] 18 Ian. 1658. — [3] 20 Dec. 1912 in CO. IV, 725. — [4] Feb. 1744, § 23.

clesiam deferendi, pertinet ad parochum, illis constitutis *intra suum territorium* paroeciale.

Consequenter ait § 2. *Ceteri sacerdotes*, presbyteri vel Episcopi vel S. R.ª E. Cardinales *id possunt* a) *in casu tantum necessitatis*, v. gr. forsitan parocho absente, b) *aut de licentia saltem praesumpta*, v. gr. si Episcopus aut S. R. E. Cardinalis esset a familia invitatus, *eiusdem parochi* ac supra in § 1° declarati, *vel Ordinarii* descripti territorii, qui proinde non est designatus sub hoc §° sacerdos, sed propria potest auctoritate ut parochus ex §° 1°.

166. **Qui possit privatim deferre infirmis sacram communionem.** — *Can. 849.* § 1. *Communionem* ministrandam *privatim,* uti explicatum manet in can. 847, *ad infirmos* quoscumque, salva limitatione statim referenda in can. 850, *quilibet sacerdos* propter sacram paesbyteratus ordinationem *deferre potest* a) *de venia saltem praesumpta*, quae ob rationabile fundamentum coniicitur concedenda, *sacerdotis, cui custodia sanctissimi sacramenti commissa est*, scilicet: de qua in can. 1269 § 4 dicitur « onerata graviter conscientia sacerdotis, qui ecclesiae vel oratorii, ubi sanctissimum Sacramentum asservatur, curam habet ». Hinc implicite supponitur, solum ex his ecclesiis vel oratoriis, non ex aliis, v. gr. post missam in qua consecretur particula, hanc extra ecclesiam deferri posse

Cum respectu ad §ª 1ª praescriptum et seqª. canonis monet iubens § 2. *Quando privatim sacra communio,* etiamsi per modum Viatici, *infirmis ministratur,* tum in delatione implicite praesupposita, tum in administratione ipsa, *reverentiae* pro Maiestate summa *ac decentiae* idest: quae proportionata sit *tanto* scilicet: singulari prae aliis *sacramento debitae sedulo*, idest: omni cum sollicitudine *consulatur*, ac determinatur via: *servatis a Sede Apostolica* pro tempore *praescriptis normis;* scilicet: impraesentiarum quoad ipsius delationem Decº. « Inter omnigenas » Ben. XIV supra citatum ad can. 847, et circa ipsam administrationem sive ordinariam sive per modum viatici, Rit. Rom. [1].

[1] Tit. IV Cap. IV, n. 11 In huius praescripti respectu facultatem concedit S. Congr. de Prop. Fide in Formula utraque tertia solummodo: « 15. Permittendi suis missionariis (ratione subiectionis) ut administrare valeant christianis (notetur) *a*) graviter aegrotantibus *SSmam. Eucharistiam sine lumine* et sine superpelliceo et stola, dummodo constet (gravi probabilitate, quae morali certitudini aequipolleat) de periculo cui exponerentur si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur ». Quod in terris infidelium poterit facilius contingere.

167. **De viatico ministrando.** - *Can. 850. Sacram communionem* ministrandam *per modum Viatici* scilicet: quando « urgeat mortis periculum, ieiunio naturali non servato » (can. 858, § 1), et accidentaliter speciali formula ministrandi servata, *sive publice sive privatim,* ut in can. 847 explicatum est, *ad infirmos deferre, pertinet* per exceptionem praec^{a}. canonis, *ad parochum ad normam can. 848* scilicet: « intra suum territorium etiam ad non paroecianos », prout ibidem fuit declaratum, itamque ex eiusdem canonis paragrapho 2^{a} ad ceteros sacerdotes *a*) « in casu aut *b*) de licentia » iuxta ibi datam interpretationem; *salvo praescripto can. 397, n. 3,* scilicet: « nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est:... 3^{0} Episcopo decumbenti ministrare Sacramenta », *et can. 514, §§ 1-3,* videlicet: illud ius et officium est § 1 « Superioribus in religiosa domo religionis clericalis » (can. 488, 4^{0}, 5^{0}), § 2 « in monialium domo idem habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit », § 3 « In alia religione laicali illud spectat... ad cappellanum si quem Ordinarius parocho suffecerit », prout facere potest ad normam can. 464, § 2, atque (can. 675) « in omnibus societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis servetur, congrua congruis referendo, canon 514 », cuius praescriptum hoc in loco salvum dicitur.

168. **De ritu servando inter diversos.** - Motiva et intentio quae impulerunt Pium X ad condendam const. « Tradita ab antiquis » [1] *De Ssma Eucharistia promiscuo ritu sumenda,* sic exprimuntur in ea: « Itaque considerantibus Nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam esse apud omnes; insuper compertum habentibus complures esse, tum latinos tum orientales, quibus illa promiscui ritus interdictio et fastidio et offensioni sit,... visum est omnia illa antiquare Decreta, quae ritum promiscuum in usu Ssmae Eucharistiae prohibent vel coangustant; atque omnibus et latinis et orientalibus facultatem facere sive in azymo sive in fermentato apud sacerdotes catholicos, in ecclesiis cuiusvis ritus catholicis, secundum pristinam Ecclesiae consuetudinem augusto Corporis Domini Sacramento sese reficiendi ». Et paulo post: « Equidem confidimus, quae hic praescri-

[1] XVIII Kal. Octobris 1912, CO. IV, 609.

buntur a Nobis, ea dilectis filiis, quot habemus in Oriente, ex quovis ritu, admodum fore utilia, non solum ad inflammandum in eis pietatis ardorem, sed etiam ad mutuam eorum concordiam confirmandam ».

... « I. Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus ne liceat: propterea suae quisque Ecclesiae ritu Sacramentum Corporis Domini conficiant et ministrent ».

Hoc praescriptum, ad consecrationem quod attinet, translatum fuit in can. 816; circa administrationem vero in hunc *can. 851.* § 1. *Sacerdos sacram communionem distribuat* (eidemque praecipitur cuicumque etiam ritus orientalis ad normam exceptionis can. 1) consecratam ex *azymo pane vel fermentato*, *secundum proprium* sacerdotis *ritum*, quo eam consecrat ad normam can. 816.

Huius §[1] exceptionem depromptam de verbo ad verbum ex cit.[ae] const[s]. n. II exhibet § 2. *Ubi vero* a) *necessitas urgeat* v. gr. imminenie morte fidelis alterius ritus quoad panem illo in casu iam consecratum, simulque deficiat sacerdos eiusdam ritus ac fidelis, ad normam can. 866, § 3, aut etiam pro suscipienda eucharistia ex devotione, quando solus panis habeatur consecratus in diverso ritu quam sit ritus sacerdotis solius praesentis non ieiuni, b) *nec sacerdos diversi ritus* ac illius, quo sacerdos ministraturus utitur, *adsit*, in quocumque igitur casu duabus vestito conditionibus, *licet* a) *sacerdoti orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo* consecrato, *vicissim* b) *latino* c) *aut orientali qui* ut latinus *utitur azymo* consecrato, *ministrare in fermentato* supple consecrato; *at* servandum est a sacerdote sub a) b) et c) praescriptum sequens: *suum quisque ritum ministrandi* quoad preces et caeremonias, prout in propriis libris liturgicis probatis, *servare debet.*

169. **De communione sub una tantum specie.** — « Sancta Tridentina Synodus [1] declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret ». Hinc definivit in can. 2. « Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, A. S. ». Quas iustas causas nobis haurire liceat ex D. Thoma, qui [2] docet sic: « circa usum huius

[1] Cap. 2, sess. XXI de Ref. — [2] 3[a] P. q. LXXX, a. 12 corp.

sacramenti duo possunt considerari: unum ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte sumentium. Ex parte quidem ipsius sacramenti convenit quod utrumque sumatur, scilicet et corpus et sanguis, quia in utroque consistit perfectio sacramenti, et ideo quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia et cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tanti mysterii. Quod praecipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi christiani, in qua continentur senes et iuvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tantae discretionis, ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhibeant, ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur ».

« Hanc igitur consuetudinem sancta mater Ecclesia approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius Ecclesia auctoritate pro libito mutare non licet ». Ita Conc. Trid. (loc. cit.), quam legem retinuit *can. 852. Sanctissima Eucharistia* in Tituli inscriptione descripta *sub sola specie panis praebetur;* hic canon « tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat » (can. 1).

Art. II. — *De subiecto sacrae communionis.*

Can. 853. - Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem.

Can. 854. - § 1. Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur.

§ 2. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare.

§ 3. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior preparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant.

§ 4. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt.

§ 5. Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.

Can. 855. - § 1. Arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint.

§ 2. Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.

Can. 856. - Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod



si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat.

CAN. 857. - Nemini liceat sanctissimam Eucharistiam recipere, qui eam eadem die iam receperit, nisi in casibus de quibus in can. 858, § 1.

CAN. 858. - § 1. Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.

§ 2. Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

CAN. 859. - § 1. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.

§ 2. Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in albis; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum sanctissimae Trinitatis.

§ 3. Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

§ 4. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit.

CAN. 860. - Obligatio praecepti communionis sumendae, quae impuberes

gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum.

Can. 861. - Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem.

Can. 862. - Expedit ut feria V maioris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi Corpore in Missa sollemni seu conventuali reficiantur.

Can. 863. - Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent.

Can. 864. - § 1. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur.

§ 2. Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent.

§ 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet.

Can. 865. - Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur: et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur.

Can. 866. - § 1. Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas ut, pietatis causa, sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant.

§ 2. Suadendum tamen ut suo quisque ritu fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant.

§ 3. Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere.

170. **Inscriptio articuli eiusque coordinatio canonum.** - Sequitur *Art. II. — De subiecto sacrae communionis* diversae ratione ritus et administrationis, illoque considerato tum in se, tum in eius dispositionibus, ac etiam quoad ius et obligationes illius suscipiendae. Videlicet: can. 853-855 respiciunt in seipso subiectum, et in eius pueritia, et habituali indignitate; can. 856-858 de dispositionibus animae ac corporis tractant; can. 859-861 praeceptum exponunt ecclesiasticum, dum subsequentes 862, 863 edicunt potius consilium; attamen de sancto Viatico suscipiendo propter divinum praeceptum sunt can. 864-865, quibus adiungitur postremus circa ritus diversitatem ex respectu habito ad sacrae communionis subiectum.

171. **Admittendus ad sacram communionem.** - Cum hic loquendum sit « de subiecto » proprie dicto, huiusmodi non sunt res materiales in quibus deponitur vel continetur divinissimum sacramentum, v. gr. corporale, pyxis, ostensorium, etc. Quamvis hoc sacramentum eucharistiae materialiter a quocumque, animali vel homine, manducari possit, non tamen sacramenti res contenta propter rationis in illo, fidei defectum in isto; imo, nisi homo fuerit antea baptizatus et quidem viator, nec formaliter ut sacramentum

nec fructuose percipere potest, quod est vere tum sacram communionem recipere iuxta explicationem supra datam de illa, tum eiusdem subiectum esse.

Haec omnia exprimuntur in Rit. Rom. [1], ubi etiam prohibitiones subnectuntur. Videlicet: 8. « Fideles omnes ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur ». Idipsum aliis verbis expressit *can. 853. Quilibet baptizatus* congruenter canoni 87 [2], *qui iure* divino aut ecclesiastico, scripto vel consuetudinario *non prohibetur*, et quidem pro foro externo, prohibitio enim in hoc foro constans necessaria est, *admitti* a) *potest* licite a sacerdote vel diacono ministrante, b) *et debet* utpote ius habens *ad sacram communionem.*

172. **De pueris communicandis vel non.** – Has prohibitiones recensurus Codex incipit ab illa quam Rit. Rom. (loc. cit. n. 11) iisdem verbis exprimit ac *can. 854.* § 1. *Pueris* scilicet: aetatis septem annorum plus minusve, *qui* a) *propter aetatis* in hoc canone consideratae *imbecillitatem* scilicet: secumferentis rationis defectum, *nondum huius sacramenti* qua talis b) *cognitionem et* consequenter defectibus cognitionis ac aetatis nec c) *gustum habent*, ex hac prohibitione iuris ecclesiastici *Eucharistia ne ministretur*, quamvis propter baptismum, habitualem fidem, et gratiam, sint sacrae communionis fructuose suscipiendae subiectum.

Quia « in periculo mortis fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur » (can. 864, § 1), iuxta omnes Doctores divino, cui cedere debet ius ecclesiasticum; Ecclesia huius memor et can.[8] IV (sess. XXI de communione... Conc. Trid.) « Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, anathema sit »; statim ex Dec.[0] « Quam singulari » [3] subnexuit § 2. *In periculo mortis* « quavis ex causa procedat » (can. 864, § 1), *ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari* a) *possit* ob limitationem praec. paragraphi, b) *ac debeat* propter ius divinum, *satis est* ad « huius sacramenti cognitionem et gustum » quod attinet, a) *ut sciant Corpus Christi* sub

[1] Tit. IV, Cap. 1.

[2] Can. 87. Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura.

[3] S. C. de Sacramentis 8 Aug. 1910, n. III. CO. II, 582.

speciebus panis *a communi cibo discernere* pro eorum captu, b) *illudque reverenter adorare* utpote veri Dei.

Iure igitur ecclesiastico alia fidei cognitio non exigitur pro casu paragraphi praecedentis, prout implicite tradit § 3. *Extra mortis periculum* solummodo a) *plenior cognitio doctrinae christianae* b) *et accuratior praeparatio merito exigitur* propter sacramenti dignitatem, *ea scilicet* exponitur, *qua ipsi* a) quoad instructionem *fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem*, scilicet: Ss.mae Trinitatis atque Incarnationis Verbi, eo quod ignorantia eorum in adultis quacumque de causa privat ingressu in regnum coelorum, *pro suo captu percipiant*, b) *et devote pro suo aetatis modulo* quoad voluntatis affectus exterius exprimendos *ad sanctissimam Eucharistiam* recipiendam *accedat.*

Praecedentes paragraphi respiciunt necessariam puerorum dispositionem ad primam eorum communionem, iuxta mortis periculum vel huius absentiam, et circa illud memorari oportet (n. VIII) Dec.[i] cit.[i] « Quam singulari » sententiam: « Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis, eosque sepeliendi ritu parvulorum » — Illud Dec.[m] refert (n. IV): « Ad patrem vero aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Cathechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam communionem », seu ut habet § 4. *De sufficienti puerorum dispositione* iuxta normam §[i] praeced.[a] *ad primam communionem iudicium esto* a) pro eorum conscientia *sacerdoti a confessionibus* b) *eorumque parentibus* coram Ecclesia, *aut iis qui loco parentum sunt.*

Cum tamen hi omnes possint quandoque hac in re negligenter agere, subiungitur de illo qui Ecclesiae auctoritatem participat § 5. *Parocho autem est officium* seu obligatio vi muneris *advigilandi*, *etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit* illud, *ne pueri ad sacram Synaxim*, quod est nomen graecum communionis, *accedant* a) *ante adeptum usum rationis* contra § 1[m], b) *vel sine sufficienti dispositione*, quae in § 3[c] exigitur, et haec vigilantia ut patet est ad prohibendum. Additur pars praecepti positiva: *itemque* supple « parocho est officium » *curandi ut* a) *usum rationis assecuti* simul b) *et sufficienter dispositi quamprimum*, adverbium interpretandum cum aliqua amplitudine, de vitanda pro-

crastinatione notabili, sicut esset ultra tempus paschale, *hoc divino cibo reficiantur.*

173. **De indignis arcendis a sacra mensa**. — Clamat Apostolus de hoc sacramento corporis Christi: « Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini » [1]. Illa plena formidinis verba ius prohibens indignos insonant, sed « circa peccatores distinguendum est, ait D. Th. [2]: quidam enim sunt occulti, quidam vero manifesti, scilicet per evidentiam facti, sicut publici usurarii, aut publici raptores, vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum vel saeculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari... Si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet christianus, ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad dominicam mensam, non potest ei ius suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Unde super illud [3]: *Si is qui frater nominatur inter vos* etc., dicit Glossa Augustini: Nos a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico vel saeculari nominatum atque convictum. — Potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis poeniteant et Ecclesiae reconcilientur; nam post poenitentiam et reconciliationem etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, praecipue in articulo mortis ».

Hinc patet aequitas rubricarum Rit. Rom. (loc. cit. nn. 8 et 9), quas de verbo ad verbum refert *can. 855. § 1. Arcendi sunt* etiam auctoritative *ab Eucharistia,* seu eis haec deneganda, *publice indigni, quales sunt* a) *excommunicati,* b) *interdicti* proprie seu personaliter, utrique prohibiti (can. 2260, § 1, 2275, 2°) ob contumaciam in peccatum, c) *manifestoque infames* infamia facti de qua loquitur can. 2293, § 3, « ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii eius generis publici peccatores » [4], et cum agatur de habituali statu peccati, solum excipitur: *nisi* a) *de eorum poenitentia* per huius sacramenti susceptionem b) *et emendatione* sequuta vel praecedente *constet,* c) *et publico scandalo prius satisfecerint,* sicuti obligati sunt in conscientia.

§ 2. *Occultos vero peccatores,* etiam ob unum tantum peccatum non deletum in poenitentiae sacramento, *si occulte petant* supple Eucharistiam, *et eos non emendatos agnoverit* ceu manentes in peccato, *minister* sacrae communionis sciens eorum peccatum extra sigillum sacramentale, *repellat* a sacra mensa; *non autem* id

[1] 1 ad Corinth. XI, 29. — [2] 3a P. q. LXXX a. 6 corp. — [3] I Cor. V. 11. — [4] Rit. Rom. loc. cit. n. 8.

faciat, a) *si publice petant* praedicti peccatores s. eucharistiam, b) *et sine scandalo ipsos praeterire* saltem *nequeat*. Nam « licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quam infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi peius est peccare mortaliter, infamando iniuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato. Unde Augustinus dicit [1]: " Periculosissime admittitur haec compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat „. — Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere. Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratae; quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios praesentes, sive etiam ipsum sumentem,... unde (extra. De celebratione missarum, cap. de homine) dicitur: Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere qui fraudulenter illud praesumpserit simulare » [2].

174. **De dispositione animae.** - Conc. Trid. (sess. XIII) post canones dogmaticos, subiungit: « Et, ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat ». Quae excommunicatio nunc tenet solummodo « pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam » huiusmodi, praeter alias ferendae sententiae poenas ad normam can. 2317. - Postquam ergo ob praedictam indignitatem, quamvis consideratam praesertim in habituali peccati statu, canon praecedens normas dederit sacrae communionis ministro, nunc praescriptum ex Conc. Trid. proponitur subiecto sacrae communionis, aiente *can. 856. Nemo*, etiam sacerdote incluso, quem expresse a missae celebratione vetuit can. 807, a) *quem conscientia* seu certa scientia, ut hucusque id interpretabantur Do-

[1] Lib. Quaest. super Gen., q. 42. — [2] D. Th. loc. cit. ad 2m.

ctores, *peccati mortalis gravat,* eo quod istud fuit commissum post ultimam confessionem validam, non solummodo in ea inculpabiliter omissum, b) *quantumcumque etiam* perfecte *se contritum existimet* quamvis cum morali certitudine, c) *sine praemissa sacramentali confessione*, quam perficiat confessarii absolutio, d) *ad sacram communionem accedat* suscipiendam. Attamen cum in Con[i]. Trid[i]. textu exprimatur conditio: « habita copia confessoris », quam in praecedentibus canon praesens omisit, eius sequelam sic proponit: *quod si* a) *urgeat necessitas* communicandi, v. gr. ad vitandum scandalum vel infamiam, vel quia inter alios in mensa eucharistica iamiam connumeratur, b) *ac copia confessarii* scilicet: sacerdotis praediti sacramentali iurisdictione *illi desit*, quatenus ipsum adire nequeat, *actum perfectae contritionis prius eliciat*, quod brevissimo tempore fieri ac interne sufficit.

Ab huius canonis observantia vel transgressione derivatur, quod Conc. Trid. docet [1]: « Quoad usum autem, recte et sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se prius probant, et instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant ». Cuius doctrinae explanatio inveniri potest apud D. Thom. [2], et de gravitate illius sacrilegii doctrina (loc. cit. aa. 4, 5).

175. De sacra communione semel in die recipienda. – Cum alia necessaria dispositio ex parte corporis sit naturale ieiunium, circa nullam eucharistiae alteram sumptionem interseritur *can. 857. Nemini*, etiam sacerdoti in die Nativitatis Domini vel Commemorationis omnium fidelium defunctorum non celebranti, *liceat* ob huius canonis prohibitionem *sanctissimam Eucharistiam* sub panis specie, ut ex contextu canonum huius capitis intelligendum est, *recipere,* sub conditione *qui eam eadem die iam receperit* sacramentaliter, et hoc rationabiliter [3]: « quia enim Dominus dicit (Lucae XI): *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, non est pluries in die communicandum, ut saltem per hoc quod aliquis semel in die communicat, repraesentetur unitas passionis Christi ». Explicit canon sic: *nisi in casibus de quibus in can. 858,* § 1

[1] Sess. XIII cap. 8. — [2] 3ª P. q. LXXX, aa. 1-3. — [3] D. Th. q. LXXX a. 10, ad 4[m].

statim explicandis; scilicet: « nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum », quatenus in eis adest communicandi praeceptum divinum.

176. **De naturali ieiunio ante s. communionem.** — Concilium Constantiense [1] in hac re approbatum a Martino V per Bullam « In eminentis » (an. 1418) « declarat, decernit et definit, quod licet Christus post coenam instituerit et suis discipulis administraverit... hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso ». — Imo Rit. Rom. [2] habet : « Ceteris autem infirmis (non brevi morituris), qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet ». Sed ex D. Th. [3] « cum dicitur quod hoc sacramentum prius quam alii cibi debet in os Christiani intrare, non est intelligendum absolute respectu totius temporis, alioquin qui semel comedisset vel bibisset, numquam posset postea hoc sacramentum accipere; sed est intelligendum quantum ad eumdem diem ; et licet principium diei secundum diversos diversimode sumatur (nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam a media nocte) » prout nostris moribus est commune, « (quidam ab ortu solis diem incipiunt), Ecclesia tamen Romana diem a media nocte incipit. Et ideo si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum ; potest vero, si ante mediam noctem. Nec refert utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem praecepti ; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem vel indigestionem ; ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti ».

Omnibus relatis congruit ac ea complectitur *can. 858.* § 1. *Qui a media nocte* in qua supputanda « potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium » (can. 33 § 1), *ieiunium naturale*, quod sic iure vocatur (ut distinctum a ieiunio simpliciter dicto in tit. XIV) scilicet: abstinentiam illam cibi et potus etiam per modum medicinae completam *non servaverit*, ac ieiunium « naturale » proprie dicitur, eo quod a natura provenit dum media nox transit, *nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti*, si de hoc constaret, ac implicite prohibetur in conscientia ipsam recipere. Nam « aliquid impedit sumptionem huius sacramenti dupliciter : uno modo secun-

[1] Sess. XIII, 15 Iun. 1415. — [2] Tit. IV, C. IV sub. n. 4. — [3] 3a P. q. LXXX a. 8 ad 5.

dum se, sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significatum huius sacramenti, ut supra dictum est; alio modo propter prohibitionem Ecclesiae, et sic impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti post cibum et potum assumptum, triplici ratione (D. Th. l. cit. corp.): primo quidem, sicut Augustinus dicit, in honorem huius sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum; secundo propter significationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus, qui est res huius sacramenti, et charitas eius, debet primo fundari in cordibus nostris secundum illud [1]: " *Quaerite primum regnum Dei* „: tertio propter periculum vomitus et ebrietatis, quae quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, sicut et Apostolus dicit [2]. " Alius quidem esurit, alius autem ebrius est „ ». Et ideo (ib. ad 4) neque post assumptionem aquae, vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinae, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. Reliquiae tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti quia non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum salivae; et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest ».

A generali canonis regula duae dantur statim exceptiones: a) *nisi mortis urgeat periculum* generaliter dictum, non solum ex infirmitate, quam supponit Rit. Rom. [3] ubi dicit: « Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non ieiunis », sed etiam « quavis ex causa illud procedat, in quo fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur » (can. 864, § 1), b) *aut necessitas* supple: « urgeat » per talem sumptionem *impediendi irreverentiam in sacramentum* imminentem sive ex causa naturali sive ex hominum malitia.

Extra urgens mortis periculum, infirmis benigne concessit Pius X per Dec. S. C. C. « Post editum » [4] favorem ad quaesito satisfaciendum: « si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et Eucharistico Pane haud semel confor-

[1] Matth. VI, 33. — [2] I Cor. XI, 21. — [3] Loc. cit. num. 3, 4. — [4] 7 Dec. 1906. CO. II, 898.

tari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant ». Hanc concessionem, sublata distinctione, in illo Decreto apposita, « ex integro refert » (can. 6, 2°) § 2. *Infirmi tamen*, non comprehensi sub exceptionibus praedictis, sed a) *qui iam a mense decumbunt*, qua sub clausula ex authentica S. C. C. interpretatione [1] « comprehenduntur quoque qui quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt », b) *sine certa*, non tantum probabili, *spe ut cito convalescant*, c) *de prudenti* ex circumstantiis *confessarii consilio* circa hoc quod « naturale ieiunium servare non valeant », quae est conditio huius concessionis iuxta praedicta, sed huiusmodi consilium pro huius natura erit tantummodo in casibus dubiis requirendum, et ita vel alias absolute *sanctissimam Eucharistiam sumere possunt* quicumque praedicti d) *semel aut bis in hebdomada* ubicumque degant contra cit[1]. Dec[1]. distinctionem, e) *etsi aliquam medicinam*, quae verba utpote addita Dec[0]. cit[0]. intelligenda veniunt de ipsa etiam per modum cibi, ne inutilia dicantur, *vel aliquid per modum potus antea sumpserint* supple: post mediam noctem in §° 1° declaratam. Senes autem non infirmi, nec surgere e lecto valentes mane ad communionem suscipiendam, indigentes prius alimento non sunt comprehensi, eisque opus est dispensatione aplca [2].

177. **De obligatione sacram communionem recipiendi.** — Dominus dicit [3]: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis ». — « Neque ex sermone illo recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse », ut demonstrat

[1] 6 Mart. 1907.

[2] Facilius ex commentario huius canonis intelligitur facultas amplior data in omnibus quinque Formulis S. Congr. de Prop. Fide (Form. tertia 16 vel 17): « Concedendi a) *infirmis decumbentibus* (sensu canonis), b) de quibus certa spes non adsit (quando eis danda est communio) ut cito convalescant, c) etiam ante finem mensis, a quo decumbunt (in quo situs est favor contra ius), ut *s. Communionem* sumere possint bis vel ter in hebdomada (quomodocumque illam sani reciperent; ampliaturque quoad frequentiam concessio sic): et si agatur d) de sacerdotibus vel religiosis, (nempe: « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » can. 488, 7°), etiam quotidie, (omnibus sub a) et d) et sub aliis conditionibus), *non servato ieiunio* (praescripto in can. 858 § 1, explicaturque clausula intelligenda non aliter ac in cit. can. § 2) hoc est etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint ».

[3] Io. VI. 54.

Conc. Trid. [1], quod et definivit (ib. in can. 1): « Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, anathema sit ». — De hoc igitur iure divino explicando, D. Thomas respondet [2] « dicendum, quod, sicut supra dictum est, duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, ut supra dictum est. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus. — Frustra autem esset votum, nisi impleretur quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiae sed ex mandato Domini dicentis [3]: « Hoc facite in meam commemorationem ». Ex statuto autem Ecclesiae sunt determinata tempora exequendi Christi praeceptum ».

Sed « secundum statum Ecclesiae diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam [4] in primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei christianae, statutum fuit ut quotidie fideles communicarent, unde Anacletus Papa [5] dicit: « Peracta consecratione, omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus; sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia ». Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa [6] indulsit « ut si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, et Natali Domini ». Soter etiam papa in coena Domini dicit esse communicandum, ut habetur in Decreto [7]. Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innoc. III in Conc. Lateran. ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles communicent ».

Hoc statutum « ex integro refert » can. 6, 2°) et de verbo ad verbum *can. 859*, unde sine ulla difficultate verus manet can. 9 (sess. XIII) Conc. Trid.: « Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae, anathema sit ». — Videlicet: § 1. *Omnis* a) *utriusque sexus fidelis,* quod est intelligendum de singulis, qui praecepto divino directe afficiuntur, eo quod per validum baptismum Ecclesiae subiecti sunt, b) *postquam ad annos discretionis*, non maioris quam pro confessione, ut quibusdam placuit, et « quae consuetudo complurium extitit causa malorum » iuxta testimonium S. C. C. in supra cit. Dec°. « Quam singulari », ubi decernitur: « I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ra-

[1] Sess. XXI, cap. 1. — [2] 3ª P. q. LXXX. a. 11 c. — [3] Luc. XXII, 19. — [4] Loc. cit. a. 10 ad 5. — [5] Cap. 10, dist. II de Cons — [6] Cap. 16, dist. II de Cons. — [7] Cap. 17, dist. de Cons.

tiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam intra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis ». Quod confirmat canon addens: *idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno*, scilicet: « intra spatium 365 dierum » (can. 32, § 2), quod iuxta praxim non obligatoriam ab incoepto paschatis tempore computatur, *saltem in Paschate*, ad innuendum has duas temporis determinationes quas hoc praeceptum continet in §§ 2 et 4 explicandas non exigere necessario bis sacram suscipere communionem, *Eucharistiae sacramentum recipere,* (quod praeceptum, et palam est, adimplent Sacerdotes in Missae celebratione); *nisi forte* a) *de consilio proprii Sacerdotis*, quod recte intelligendum est de sacerdote, qui ordinariam vel delegatam iurisdictionem habeat in illum fidelem pro sacramentali foro, non tantum de proprio parocho vel Ordinario, quia praedicto modo erat interpretandum in statuto Conc. Lateranensis, ne diversum sensum continerent ea verba in una et eadem lege, b) *ob aliquam rationabilem causam,* quae potest esse indispositio propter quam sit omnino differenda absolutio, sed potest esse alia causa etiam extrinseca, c) *ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum*, unde praesertim dilatio temporis conceditur quoad limitationem se communicandi intra Pascha. — Nec parochi quoad parochianos generaliter possunt anticipare vel prorogare illud tempus ad praeceptum adimplendum, cum « haec potestas expresse eisdem concessa non sit » (can. 83), nec consuetudo legitima invocari potest, nisi « centenaria sit et immemorabilis, ac tolerata ab Ordinario » ad normam can. 5.

Hunc paragraphum illustrat cum respectu ad can. 854 responsum Commiss. Pontificiae ad Cod. cann. auth. interpretandos. quam frustra perquires in Commentario officiali, eo quod « verba legis in se certa declaret tantum (ac proinde) promulgatione non egeat » (can. 17, § 2) [1]. « Quaesitum est: Utrum pueri, qui etsi septimum aetatis annum nondum expleverunt, tamen, ob aetatem discretionis seu usum rationis, ad primam Communionem admissi iam fuerint, teneantur duplici praecepto confessionis saltem semel in anno (vi can. 906) et Communionis semel in anno, saltem in Paschate. — Responsum est (3 Ian. 1918): *Affirmative* ».

178. Aliter ac in § 1. sentiendum de ipsis Ordinariis. § 2. *Paschalis communio*, scilicet: in praecepti ex paragrapho praec[1].

[1] Ius Pontificium An. I pag. 5.

adimplementum *fiat* intra spatium temporis *a dominica Palmarum ad dominicam in albis*, prout declaravit Eug. IV in const. « Fide digna »[1]: « Intelligimus igitur optimo iure satisfactum esse Canoni, si in Hebdomada sancta », quae cum dominica incipit, « vel infra octavam Paschae Resurrectionis », quae cum dominica in octava Paschae clauditur, « secundum meliorem conscientiae dispositionem, et aptiorem mentis devotionem Fideles praeparatione debita S. Eucharistiae pignus accipiant, ut cum Domino pascha celebrent ad salutem, et huic sententiae omnes volumus acquiescere ». — *Sed locorum Ordinariis fas est*, utpote circa iuris divini determinationem, sub conditione prudenter aestimanda: *si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus* pro aliqua parochia, vel pro pluribus, quia dicitur *etiam pro omnibus suis fidelibus* iuxta reg. iuris XXXV in 6°: « Plus semper in se continet quod est minus », *anticipare*, cum limitatione: *non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae*, bene vero usque ad illam inclusive, *vel prorogare, non tamen ultra*, sed usque ad *festum sanctissimae Trinitatis* inclusive: ac etsi disiunctive concessum sit, non videtur intelligendum exclusive, sed etiam cumulative posse facultatem exerceri.

Quamvis Lateranensis canon de loco adimplendi praeceptum non loquatur, Rit. Rom. « De communione paschali » innuit fideles de manu parochi proprii vel in propria parochia illam recepturos esse; sed cum in Codice non sit hoc ius parochis attributum in can. 462 in quo « functiones parocho reservatae » enumerantur, edicit § 3. *Suadendum fidelibus* veluti non obligatis, *ut huic praecepto* de quo in canone *satisfaciant in sua*, ratione domicilii aut quasi domicilii, aut actualis commorationis quoad vagos (can. 94), *quisque paroecia*; sequitur praescriptum: *et qui in aliena paroecia satisfecerint*, unde sic queunt satisfacere, tunc dicitur verbo praeceptivo: *curent* modo eis beneviso *proprium parochum* ad normam can. 94 *de adimpleto praecepto certiorem facere*, v. gr. per schedulam receptam, vel alio modo qui certitudinem pariat.

Propter clausulam § 1 « debet semel in anno » recte adiungitur monens § 4. *Praeceptum paschalis communionis*, sic vocatum quia « saltem in Paschate » adimplendum, *adhuc urget, si quis illud praescripto tempore* ad urgendam obligationem, *quavis de*

[1] 8 Iul. 1440.

causa scilicet: culpabiliter vel inculpabiliter, voluntaria vel involuntaria, sive « per sacrilegam communionem » (can. 861), *non impleverit.*

179. **In quos recidit quoque obligatio paschalis communionis impuberum.** — Ex Dec°. cit°. « Quam singulari » (n. IV) est desumptum et ampliatum praescriptum *can. 860. Obligatio praecepti communionis sumendae* in canone praec. explicata, *quae impuberes* ipsos *gravat*, propter horum instabilitatem et ex canonis statuto *in eos quoque ac praecipue,* quia observatio multum ab eis pendet, *recidit, qui ipsorum curam habere debent* ratione patriae potestatis vel ratione muneris, *idest in parentes, tutores,* qui eos supplent, *confessarium,* cui conscientia impuberis est confisa, *institutores,* qui eius mores fingere debent, *et parochum* ad normam can. 464 § 1 [1], sed in solidum ita ut si unus adimplementum obtineat, ceterorum obligatio cesset, ut planum est.

180. **De sacrilega communione.** Conc. Lateranense ita expressit praeceptum : « suscipiendo reverenter... Eucharistiae sacramentum ». Ad hoc recte interpretandum deservit distinctio sanctum hoc sacramentum accipiendi, quam explicavit Conc. Trid. (loc. cit. ad can. 856). Videlicet: sacramentaliter dumtaxat, solum spiritualiter, sacramentaliter simul et spiritualiter. Atqui est indubium secundos non suscipere Eucharistiae sacramentum, sed rem sacramenti, et priores non suscipere illud reverenter. Ergo de tertio modo suscipiendi loquitur canon Lateranense, illamque ipsius Concilii clausulam exprimit *can. 861* verbis excludens propositionem 55 damnatam ab Innocentio XI: *Praecepto* cuilibet *communionis recipiendae non satisfit,* eo quod praeceptum actum bonum iubet, *per sacrilegam communionem,* scilicet: quando « quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, quia tunc falsitatem in hoc sacramento committit, et ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator, et propter hoc mortaliter peccat ». Ita D. Th. [2] ubi rationem affert falsitatis commissae in hoc sacramento indigne suscepto.

Tamen de aliquo non habente conscientiam sui peccati, explicat D. Th. (ib. ad 5) « quod potest contingere dupliciter: uno modo per culpam suam, vel

[1] Can. 464. § 1. Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime exempti.

[2] 3ª P. q. LXXX a. 4 corp.

quia per ignorantiam iuris, quae non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale; vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit[1]: « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat ». Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sine culpa ipsius, puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus; et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi, quia homo per certitudinem scire non potest utrum sit vere contritus; sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de praeteritis, et proponat cavere de futuris. Si vero ignorat hoc quod fecit esse actum peccati, propter ignorantiam facti quae excusat, puta si accessit ad non suam quam credebat esse suam, non est ex hoc dicendus peccator; similiter etiam si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis contritio, ut infra dicetur; unde iam non est dicendus peccator ».

181. **De communione a clero recipienda fer. V. in Coena Domini.** — Sic digestus est *can. 862. Expedit*, quod verbum consiliativum est, sed non correctivum legum liturgicarum, si quae sunt in hac re cultus publici, *ut feria V. maioris hebdomadae omnes clerici*, scilicet: « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati » (can. 108, § 1), *etiam sacerdotes qui ea die* iuxta explicationem exceptionum can. 820 *a Sacro litando abstinent*, a) *sanctissimo Christi Corpore* b) *in Missa sollemni*, quae cantanda est in ecclesiis non collegiatis ubi officia hebdomadae sanctae celebrantur, *seu conventuali* in ecclesiis collegiatis ac domuum religiosarum celebrata *reficiantur*. Sunt autem sequentes « liturgicae leges quae vim suam retinent » (can. 2). 1° In Coeremoniali Episcoporum[2] dicitur: « Deinde antequam se purificet (celebrans Pontifex) communicat primum Diaconum et Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, et alios Sacerdotes de Ecclesia, qui stolam e collo pendentem supra cottam habere debent, et denique omnes de clero... ». Et in Parvo Rituali Bened. XIII[3] legitur: « Fit communio Clericorum apud Altare, deinde Virorum et Mulierum ad cancellos, expansa Mappa ante pectus eorumdem ».

De vi praeceptiva et ipsorum amplitudine loquuntur seq^s^. Declar^s^. S. C. Rit. In Segutina[4], non obstante consuetudine: Ad 1. Resp.: « omnino servandum esse Coeremoniale Episcoporum; et pro eiusdem observantia posse ab Episcopo cogi Canonicos, et alios quoscumque de gremio Ecclesiae » Deinde in

[1] I ad Cor. XI, 28. — [2] L. II, c. XXIII, n. VI. — [3] Tit. de Fer. V in Coena Dom. c. II, n. 17. — [4] 19 Sept. 1654, n. 970.

Mutinen.[1] habetur Dub. I. « Quum ex Rubrica Fer. V in Coena Domini pateat omnes de Clero dicta die Communionem sumere debere de manu Celebrantis, nihilominus nonnulli Sacerdotes non dubitant asserere haec vero dicta esse ob merum consilium, non vero de praecepto: hinc quaeritur: An revera omnes de Clero inservientes Missae Pontificali, et praesertim Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi sacrorum Oleorum consecrationi assistentes, teneantur S. Communionem sumere de manu Celebrantis?... Ad 1. Affirmative; et iam provisum per Generale Decretum diei 12 Sept. 1716 et per Dec. in Seguntina » citatum antea.

Decretum generale praedictum (n. 2240) sequentis tenoris est, ad rem quod attinet: « tamen antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia Ssmae Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus observatus, nullo modo omittatur ». Ex dictis eruitur certo id servandum ex praecepto ab his qui sunt de gremio Ecclesiae cathedralis; imo id asserunt certo de Collegiatis inter alios Bened. XIV[2] et Wernz[3], de ecclesiis quoque in quibus officia hebdomadae sanctae celebrantur affirmat quoque ante Codicis publicationem clar[s]. Card. Gasparri[4].

182. De communione frequenti et quotidiana. — « Cum perspicuum sit (ait S. C. C.) ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco », ut ait eidem concordans *can. 863. Excitentur fideles* (populi) « crebris admonitionibus multoque studio », sed hic modus non est nunc praescriptus, « a parochis, confessariis et concionatoribus », *ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur*, idque « promoveatur etiam in religiosis institutis cuiusvis generis, et in clericorum Seminariis », quamvis de his peculiares canones loquantur, *ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas;* videlicet: errorem hic primo cavendum memorari oportet ex Dec°. Innocentii XI[5]: « Porro Episcopi et parochi seu confessarii redarguant asserentes, communionem quotidianam esse de iure divino ».

Attamen ad illam ius habent fideles, iuxta postremum ac vigens ex canone Dec. S. C. C. « Sacra Tridentina Synodus »[6], « ita ut meno, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit. 2° Recta autem mens in eo est, ut... non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius charitate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

[1] 23 Sept. 1837, n. 2769. — [2] Inst. eccles. XLV, n. 10. — [3] Ius Decretalium. Tom. III, n. 740 nota (54). Ed. 1. — [4] Tract. de Sma Eucharistia, n. 1159. — [5] 12 Febr. 1679. — [6] 20 Dec. 1905.

3° Etsi quam maxime expediat, ut... venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos... 4° ... curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia. 5° ut maiori prudentia fiat, uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat ».

Explicitque canon 863 iuxta optatum sacrosanctae Tridentinae Synodi [1], praescribens: *utque Missae adstantes* excitandi ut supra fideles, *non solum spirituali affectu*, prout decet ex natura adsistentiae ipsi Sacrificio, *sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione* simul cum affectu illo, quia subiungit: *rite dispositi, communicent.* Haec verba reminisci faciunt explicationem distinctionis circa communionem, quam ex Conc. Trid. [2] retulimus ad can. 856.

183. **De sacra communione suscipienda mortis causa.** — *Can. 864.* § 1. *In periculo mortis*, scilicet: proximo, seu ut ait Rit. Rom. [3] loquens de infirmis: « pro viatico autem (communionem Parochus ministrabit), cum probabile est, quod eam (infirmus) amplius sumere non poterit », *quavis ex causa* v. gr. ex infirmitate, vulnere, imminente pugna, puerperio difficili, etc. *procedat* periculum illud, *fideles* etiam religiosi et sacerdotes *sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur* iuxta omnes divino, quae obligatio per canonem edicitur.

Imo tunc propter exceptionem can. 857 sequitur § 2. *Etiamsi eadem die sacra communione* sani vel infirmi *fuerint refecti*, non tamen ut viatico ad normam § seq^s., *valde tamen suadendum*, supponit ergo canon illud praeceptum saltem certo non urgere amplius, *ut in vitae discrimen adducti*, scilicet: sub quo prius non erant, et nihil refert quavis ex causa in illud adducantur, *denuo communicent.*

Supposita exceptione ieiunium naturale servandi ex can. 858, statuit § 3. *Perdurante mortis periculo* secundum interpretationem § 1, *sanctum Viaticum* sic dictum, eo quod est validum nutrimentum transitus ad aeternitatem, et non tantum propter specialem communionis formulam ritualem, sed iuridice propter ex-

[1] Sess. XXII cap. 6. — [2] Sess. XIII c. 8 — [3] Tit. IV, C. IV. n. 3.

cusationem a ieiunio naturali, alias hic paragraphus vane conditus fuisset, a) *secundum prudens confessarii consilium* b) *pluries* ut Viaticum, c) *distinctis* (salvo ergo praescripto can[s]. 857) *diebus, administrari et licet*, sic statuitur tamquam certum quod prius a quibusdam dubitabatur, *et decet*, ut evidens est, tum ex parte Sacramenti roborantis animam, tum ex parte moribundi robore indigentis in tanto extremo agone. Atque propter hunc canonem sic corrigitur Rit[s]. Rom[i]. rubrica (loc. cit.): « Quod si aeger, sumpto viatico, *a*) dies aliquot vixerit (perdurante mortis periculo), *b*) vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, eius pio desiderio (sub *a*) etiam non ieiuni, sub *b*) tantum ieiuni) Parochus non deerit ».

184. **De Sancto Viatico ab infirmis suscipiendo.** — Valde connectitur praecedenti canoni ex materia *can. 865. Sanctum Viaticum* in praec § 3° declaratum *infirmis* sub mortis periculo *ne nimium*, quod innuit dari quandoque spatium plurium dierum intra quod ministrari queat, *differatur*, quoad petitionem ab eis qui gerunt infirmi curam, seu ab eius familia et ab ipso infirmo; quoad ministerium vero a parochis, cum statim addatur: *et qui animarum curam gerunt,* sive parochi, sive Superiores religiosi, sive confessarii monialium etc. *sedulo advigilent* ad obtinendum pro posse *ut eo* supple: Sancto Viatico *infirmi plene sui compotes,* prout tantum decet Sacramentum, ac infirmi spiritualis utilitas expostulat, *reficiantur.*

185. **De communione recipienda pro diversitate ritus.** — Respectu habito ad const. « Tradita ab antiquis » Pii X [1] conditus est *can. 866.* § 1. *Omnibus fidelibus cuiusvis ritus* latini vel cuiuscumque orientalis iuxta exceptionem can. 1, ut patet ex contextu can[s]. praec[s]. *datur facultas* omnino libera *ut, pietatis causa*, idest: quando non obligantur recipere communionem ex directo praecepto, *sacramentum Eucharisticum quolibet ritu* sacrificii Missae inter catholicos ritus *confectum* ex pane azymo aut fermentato *suscipiant.*

Congruenter dictis in can. 859, § 3, revocat obligationem ex cit. Const. § 2. *Suadendum tamen ut suo quisque ritu* inter diversos orientales, vel latino « ad quem pertineat », ad normam can. 98, *fideles*, etiam religiosi et sacerdotes non celebrantes, *praecepto*

[1] 14 Sept. 1912, CO. IV, 609, III, IV et V.

communionis paschalis satisfaciant, quo modo simul praeceptum divinum adimplent.

Sed quoad simile praeceptnm in articulo mortis adimplendum, praescribit § 3. *Sanctum Viaticum* in can. 864 § 3 declaratum *moribundis ritu proprio*, nempe: ad quem eorum unusquisque pertinet ex can. 98, *accipiendum est* scilicet: ex pane azymo vel fermentato et a proprii ritus sacerdote; *sed, urgente necessitate*, quia vel ex pane iuxta proprium ritum consecrato eucharistia. vel sacerdos proprii ritus haberi nequeat, *fas esto quolibet ritu* consecratum vel administratum etiam distincto, sive mutuo quoad utrumque, sive a ritu moribundi proprio, illud viaticum *accipere*. Const. citata sic expresserat statutum sub n. V correctum a canone: « Sanctum viaticum moribundis ritu proprio de manibus proprii parochi » (quod fuit in canone omissum, sed pro Ecclesia latina est vigens, tamquam « functio parocho reservata » in can. 462, 3°, ac pro ritibus orientalibus servanda uniuscuiusque disciplina vi can. 1) « accipiendum est: sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere, qui tamen ritu suo ministrabit »; seu iuxta canonem 851 ibi explicatum et observandum in casu, illae duae clausulae « sacerdote quolibet » et « qui tamen ritu suo ministrabit » brevius complexae sunt aequipollenter in illis canonis verbis « quolibet ritu » declaratis supra.

Art. III — *De tempore et loco quo sacra communio distribui potest.*

Can. 867. - § 1. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere.

§ 2. Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre.

§ 3. In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis.

§ 4. Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat.

§ 5. Sacrum tamen Viaticum quacumque diei aut noctis hora ministrari potest.

Can. 868. - Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat.

Can. 869. - Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.

186. **Inscriptio articuli et ordo canonum.** — Sequitur *Art. III* et ultimus Tituli huius: *De tempore* quoad diem et horam *et loco* sive sacro sive profano *quo sacra communio distribui po-*

test, eo quod ministratio pluribus facienda praecipue consideratur. Et can. 867 moderatur temporis circumstantiam, de loco can. 868 statuit quidquam speciale pro sacerdote celebrante, illius vero circumstantiam can. 869 designat generaliter.

187. **De die ac hora ministrandi sacram communionem ac S. Viaticum.** — Regulam generalem primo proponit *can. 867. § 1. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere.* Nam « hoc sacramentum est cibus spiritualis; unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Unde Dominus docet petere [1] *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* in cuius expositione Augustinus dicit [2]. Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit » [3]. Hinc pia Mater Ecclesia quotidianum offert panem supersubstantialem.

Teste Bened. XIV [4]: « Celebre est Dec. S. C. C. de quotidiana communione [5] quo mandatur Ordinariis, *ut curent, ut circa Communionem in fer. VI in Parasceve Missalis Rubricae, et Ecclesiae Rom. usus servetur* ». In Rubrica cit. legimus: (fer V, in Coena Domini) « Hodie Sacerdos... reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis », ex quo intelligitur non asservari pro sanis. — Sic ergo quoad communionem per modum viatici non excipitur ulla dies; pro communione ex praecepto vel devotionis causa dari non debet a missa fer. V in Coena Domini et per totam fer. VI in Parasceve; tum etiam quia iuxta Romanam consuetudinem in ea feria VI non tribuitur Eucharistia.

Hanc servans disciplinam breviter exhibet § 2. *Feria tamen*, verbum adversans regulae § 1, *VI maioris hebdomadae* a) *solum licet*, b) *sacrum Viaticum* declaratum ad canonem 864, § 3, c) *ad infirmos deferre;* hinc praeveniri deberet communio, pro iis quos probabiliter praevidetur in vitae discrimen praedicto tempore adducendos, propter pugnam, etc.

§ 3. *In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi* a) *inter Missarum solemnia,* ergo non in missa lecta. quae forsitan ex singulari privilegio in ecclesia post solemnem celebretur iuxta explicata ad can. 820, b) *vel continuo* simul *ac sta-*

[1] Lucae XI, 3. — [2] Lib. de verbis Domini serm. 28 circa med. — [3] D. Th. 3. P, q. LXXX a. 10 ad 1 et Sed contra. — [4] De sacrif. Missae. III. C. XVIII, n. 14. — [5] 12 Feb. 1679.

tim ab iis expletis, ergo non ante solemnem missam nec remote post eam, nec in aliis ecclesiis. Haec paragraphus explicat ius vetus, quod refert ex Dec°. S. Congr. Rituum in Tifernaten. [1] « ... An liceat in Sabbato Sancto inter Missarum solemnia Sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et num per eamdem sumptionem sacrae Communionis praeceptum Paschale adimpleatur? » Et S. R. C.... respondit: « Affirmative in utroque ». — Nullus alius dies excipitur in Ecclesia latina. Etenim de die Paschatis, nunc standum est Dec°. S. C. C. [2] ... « an... servanda adhuc sit lex, qua prohibetur quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis etiam causa, Ssmae Eucharistiae Sacramentum fidelibus administretur »; et « Ssmus D. Pius PP. X... responderi iussit: Negative, contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Quoad horam distribuendi sacram communionem, legitur in Rit Rom. [3], « noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat »; multo magis proinde vetatur communio sanis danda noctis tempore. Confirmatur id per resp. S. C. Rit. in Tuden. [4] sequentem: « 23. An in die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Iubilaeum, possit ministrari Sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem?... Ad 23. In casu de quo agitur. Affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missae celebrantur: vel ad formam Rubricae, vel ad formam Indulti eidem Ecclesiae concessi ». Hinc recte colligitur cum communi, horam ministrandae communionis in Ecclesia esse, quando Missae celebrantur ad formam Rubricae; et cum gravi causa praedicta vel aequali, etiam quando celebrantur in Ecclesia ad formam Indulti. Sine causa vero praedicta, indultum celebrandi extra horas liturgicas non secumferret facultatem ministrandi s. eucharistiam. — Et de nocte Nativitatis Domini sequitur specialis prohibitio ex generali privilegio concesso a Pio PP. X, quod vidimus in can. 821, § 3. Et expresse id habetur in Dec°. S. C. Rit. in Pisauren. [5]: « An liceat in nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam Missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles? Et S. R. C. respondit: Nullo modo licere, sed omnino prohibendum ».

Iuxta hanc praecedentem disciplinam videtur interpretanda § 4. *Sacra communio iis tantum horis distribuatur*, et cum supponantur determinatae, *quibus Missae sacrificium offerri potest*, haec clausula est interpretanda ad normam can. 821 ac etiam de communione ministranda intra Missam conventualem vel paroecialem in nocte Nativitatis Domini. Insuper tempore Missarum ex in-

[1] 22 Mart. 1806. n. 2561. — [2] 28 Nov. 1912. CO. IV, 726. — [3] Tit. IV, C. IV de communione infirmorum, n. 10. — [4] 7 Sept. 1816. n. 2572. — [5] 20 Ap. 1641. n. 752.

dulto idem valet propter sequentem adhuc ampliorem clausulam : *nisi aliud rationabilis causa suadeat* v. gr. volente communicari eo, qui valde mane iter arripere debet, vel dum longe a meridie idipsum desiderat ex dissitis veniens vel prius impeditus.

Libertas vero omnimoda exhibetur in § 5. *Sacrum tamen Viaticum,* scilicet : in mortis periculo propter ius divinum *quacumque diei aut noctis hora ministrari potest* etiam licite, sed id non adversatur Rit[1]. Rom[18]. loco citato in praeced. paragrapho, quia canon hic respicit solummodo eucharistiae administrationem quoad tempus.

188. **De sacrae communionis distributione per celebrantem quoad locum.** — *Can. 868. Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam,* bene vero immediate ante vel statim post eam etiam cum sacris paramentis, *distribuere fidelibus*, etiam religiosis mulieribus, *adeo distantibus, ut ipse altare* supple : celebrationis *e conspectu amittat*, equidem ratione ipsius Missae prosequendae. Concordat hic canon Dec°. S. C. Rit. in Florentina [1]: « An tempore Sacrosancti Missae Sacrificii in administratione Viatici, praesertim in Xenodochiis, liceat ab Altari recedere usque ad aegrotorum lectum recitando Psalmum *Miserere,* ut fieri solet extra Missam?... Et S. R. C... respondendum censuit: Ad 1 « Negative, quoad Psalmum *Miserere* recitandum. Insuper animadvertendum quod si celebrans pro viatici administratione intra Missam Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere ». Et videtur nunc temporis esse implicite revocatam resp. eiusdem S. C. in una Ord. S. Ioannis de Deo [2]: « Dub. II. An modo supradicto deferri possit sacra Communio (intra Missam) non solum in toto valetudinario sive a parte antea sive a parte postea Altaris ; sed etiam in aliquibus cubiculis, ex quibus, etsi Altare non videatur, tamen vox Sacerdotis celebrantis auditur?... « Ad II. « Nihil obstat ; dummodo tamen in delatione Ssmi Sacramenti umbella omnino adhibeatur ».

189. **Alia Dec^a. de distributione s. communionis.** — Praeterea ex Dec°. S. C. C. de communione quotidiana approbato ab Innoc. XI [3] habetur : « Episcopi, parochi, seu Confessarii insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores sed consuetas ».

[1] 19 Dec. 1829, n. 2672. — [2] 7 Feb. 1874, n. 3322. — [3] 12 Febr. 1679.

Denique [1]: « si Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit communio, iis (non ergo aliis viris ac mulieribus) ad gradus Altaris genuflexis praebeatur, vel si commode fieri potest, intra sepimentum altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent ». Huc pertinent duo Dec^a. S. C. Rit. sequentia [2]: « I. Utrum laico Missae inservienti ministrari possit s. communio intra Presbyterium et in ora suppedanei Altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali?... Ad I. Affirmative ». — Antibaren. et Scodren. [3] « Dub. II. An Diaconi accedentes privatim ad s. communionem debeant deferre super cottam Stolam transversam?... S. porro Rit. Congr... declarare censuit:... Ad II. Affirmative ».

190. De loco distributionis ssmae Eucharistiae. — Ultimus *can. 869. Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet*, ac etiamsi verbum « ubicumque » utpote admodum generale videatur interpretandum, sive in terra, sive in mari, sive ob privilegium altaris portatilis, sive in loco sacro, ad hunc esse restringendam clausulam « ubicumque Missam celebrare licet », scilicet: ad normam can. 822, § 1, suadent verba, quae limitem designant loci: *etiam in oratorio privato*, quamvis « nulla benedictione donetur » illud ad normam can. 1196, § 2, et adhuc illam clausulam maiori restrictioni obnoxiam ostendit id quod sequitur: *nisi loci Ordinarius* a) *iustis de causis* non pro libitu, b) *in casibus particularibus id prohibuerit*. Quoad hoc non obstante Dec^o. S. Congr. Rituum sub Pio X [4], quod vigens exprimitur illis verbis: « etiam in oratorio privato », eo quod « ille Pontifex s. m. statuere ac declarare dignatus est, ut in Indultis oratorii privati intelligatur inclusa facultas sacram communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui Sacrificio Missae adsistunt; salvis iuribus parochialibus ». — Sed iuxta interpretationem datam, quandoque in navi licet distribuere communionem in missa, eo quod in Vicen. [5] ad Dubium « V. Utrum cappellae navium aut altaria in ipsis navibus erecta pro sacro litando debeant considerari ut oratoria privata vel publica », respondit S. Rit. Congr. « Si cappella locum fixum habeat in navi, uti publica pro navigantibus habenda est », ibi proinde s. communio ipsis distribui licet, « secus neque publica est neque privata, sed habetur uti altare portatile ».

[1] Rit. Rom. Tit. IV, C. II, n. 4. — [2] Baionen. 8 Iun. 1911, n. 4271. — [3] 4 Iul. 1879, n. 3499. — [4] 8 Maii 1907. — [5] 4 Mart. 1901, n. 4069.

TITULUS IV.

De Poenitentia.

Can. 870. - In poenitentiae sacramento. per iudicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa.

191. Inscriptio Tituli et eius notio canonica. — Deinde iuxta sacramentorum ordinem considerandus est *Titulus IV* inscriptus *De poenitentia*, « quae est quodammodo de quolibet peccatorum genere, non tamen eodem modo: nam de peccato mortali actuali est poenitentia proprie et principaliter, proprie quidem, quia proprie dicimur poenitere de his quae nostra voluntate commisimus, principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est principaliter institutum. De peccatis autem venialibus est quidem poenitentia proprie, inquantum sunt nostra voluntate facta; non tamen contra haec principaliter est hoc sacramentum institutum. De peccato vero originali poenitentia nec principaliter est (quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum. sed magis baptismus), nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte inquantum voluntas Adae reputatur nostra, secundum modum loquendi quo Apostolus dicit [1]: *In quo omnes peccaverunt* » [2]. — Sed « in poenitentia [3] est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exterius exercitus tam per peccatorem poenitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem; res autem et sacramentum est poenitentia interior peccatoris; res autem et non sacramentum, est remissio peccati; quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem et secundum sunt quodammodo causa tertii ».

Illius poenitentiae notionem iuridicam tradit *Can. 870. In poenitentiae sacramento* de quo adest can. 1 in Conc. Trid. (sess. XIV): « Si quis dixerit in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere, et proprie sacramentum pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit ». — Ac revera « sicut Gregorius dicit: " sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ista fit ut

[1] Rom. V, 12. — [2] 3a Pars q. LXXXIV a. 2 ad 3m. — [3] Loc. cit. a. 1 ad 3m.

aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum est „. Manifestum est autem quod in poenitentia ita res gesta sit quod aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis; nam peccator poenitens per ea quae facit et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Unde manifestum est quod poenitentia quae in Ecclesia agitur est sacramentum ». Sic. D. Th. [1]. — In eo *per iudicialem absolutionem*, nam ex Conc. Trid. habetur (sess. XIV) can. IX: « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum,... anathèma sit ».

Quod ita ostendi potest ex D. Th. [2]: « Sacramenta novae legis non solum significant, sed etiam faciunt quod significant. Unde sicut sacerdos baptizando aliquem ostendit hominem interius ablutum per verba et facta, et non solum significative, sed etiam effective, ita etiam cum dicit: Ego te absolvo, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. Non tamen loquitur quasi de re incerta; quia sicut alia sacramenta novae legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis, ita etiam et in hoc sacramento ». Quia tamen sacerdos sicut minister Dei absolvit, iuxta illud [3]: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo », dignitas et indignitas in illis in quos actus exercetur pensanda est in iudicio sacramentali; nec sacerdos per absolutionem claudens iudicium « indiget speciali revelatione sibi facta; sed sufficit generalis revelatio fidei per quam remittuntur peccata ».

Subiungitur in canone *a legitimo ministro impertitam*, quia [4] « in sacramentis Ecclesiae qua habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiae, qui gerit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo. In sacramento autem poenitentiae, sicut statim dicam, sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante: sed complementum exhibet minister, dum poenitentem absolvit », et qui a legibus debet designari propter naturam iudicialem poenitentiae. Et clausula illa canonis deprehenditur implicita in 21 interrogatione Wicleffitis et

[1] 3ª P. q. LXXXIV a. 1. c. — [2] 3ª P. q LXXXIV a. 3 ad 5m. — [3] Matth. XVIII, 18. — [4] D. Th. q. cit. art. 1 ad 2m.

Hussitis proponenda ex Bulla « Inter cunctas » sub Martino V [1]: « utrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum a peccatis absolvere, et sibi poenitentiam iniungere ». — Hos actus peccatoris requisitos innuit canon addens: *fideli rite disposito*, nam « sunt quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur » [2]. Qui actus fidem praerequirunt atque hinc subiectum vocatur « fidelis ».

Ad illius textus explanationem « est attendendum » cum D. Thoma [3] « quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam, et in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quae provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in illis sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus sensibiles sunt loco materiae, ut accidit in poenitentia et matrimonio; sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria, quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam ».

Verbum superadditur in canone: *remittuntur peccata*. « Sane res, et effectus huius sacramenti quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo » [4]. Et quamvis [5] « solus Deus per auctoritatem et a peccato absolvit et peccatum remittit; sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium, inquantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis sacramentis. Nam virtus divina est quae interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res, sive verba, sicut ex supradictis patet. Unde et Dominus expressit utrumque, nam [6] dixit Petro: *Quodcumque solveris super terram*, etc., et [7] dixit discipulis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ideo tamen sacerdos potius dicit: *Ego te absolvo*, quam *Ego tibi*

[1] 22 Feb. 1418. — [2] Conc. Trid. sess. XIV, c. 3. — [3] Loc. cit. a. 1 ad 1m. — [4] Loc. cit. Conc. Trid. — [5] D. Th. loc. cit. a. 3 ad 3m. — [6] Matth. XVI, 19. — [7] Io. XX, 23.

peccata remitto, quia hoc magis congruit verbis quae Dominus dixit virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvunt, et insuper peccata sunt quaedam vincula, secundum illud [1]: « Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur ». — Peccata denique remittenda sic exprimit canon: *post baptismum commissa*, sicut dicitur in can. 1 Conc. Trid. supra citato et a D. Thoma exponitur quoad verborum proprietatem in textu relato ad Tituli inscriptionem.

De omnibus praedictis summarie a Rit. Rom. edocemur [2] ubi exponit doctrinam catholicam de hoc sacramento in hunc modum: « S. Poenitentiae sacramentum, ad eos qui post baptismum lapsi sunt in gratiam Dei restituendos a Christo Domino institutum ». Et quidem sine personarum exclusione. « Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma et minister: illius quidem remota materia sunt peccata », quod est intelligendum non eo sensu quod sicut materia in rebus corporalibus (unde sumuntur metaphorice haec vocabula) essentiam earum constituit partialiter cum forma, ita peccata sint pars huius sacramenti; sed alio modo, scilicet: quod sicut aqua, chrisma in sacramentis baptismi et confirmationis materia eorum remota dicuntur, cuius applicatio in illis sacramentis vocatur materia proxima, ita commissa peccata sunt obiectum actuum poenitentis, qui quasi materia proxima constituunt partialiter istud sacramentum. Prosequitur enimvero Rit. Rom.: « proxima vero materia sunt actus poenitentis, nempe: contritio », quae, ut innui, est de peccatis, « confessio », videlicet: peccatorum, « et satisfactio » utique pro peccatis. Animadvertendum autem, satisfactionem in voluntatis acceptatione uti materiam proximam computari, nam satisfactionis seu iniunctae poenitentiae adimpletio, utpote supponens sacramentum iam receptum cum effectu, integrare ipsum dicitur, sicut manus, pes, integrant corpus, quod existere posset sine ipsis. Constat ex propˢ. Petri de Osma damnatione a Sixto V in Bulla « Licet ea » anno 1579: « Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta ». Ex Rit.: « Forma autem illa absolutionis verba (sunt): *Ego te absolvo*, etc. Minister denique est sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam vel delegatam ». Heic exprimuntur dotes in ministro necessariae pro validitate sacramenti, nempe: potestas ordinis determinata, quia « sacerdos », et « potestas absolvendi », non quidem ea quae per sacram ordinationem confertur, utpote quae in ordinariam et delegatam non dispescitur, sicut hic determinatur; sed potestas iurisdictionis quae illam divisionem recipit. Postea enunciantur aliae ministri qualitates ut licite peragat hoc sacramentum: « In eius ministro requiritur etiam bonitas, scientia atque prudentia, cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio ». Et hoc ultimum, scilicet sigillum sacramentale, est una ex obligationibus queis ligatur minister ob poenitentiae administrationem. Sicut restitutio in Dei gratiam atque remissio poenae sunt praecipui sacramenti huius effectus in subiecto praeter alios.

[1] Prov. V, 22. — [2] Tit. III, cap. 1, n. 1.

Canon igitur 870, verbis « per iudicialem absolutionem » sonat formam huius sacramenti; addens: « a legitimo ministro impertitam », istum designat modo abstracto; per verba « fideli rite disposito » subiectum et materiam proximam sacramenti simul innuit; ac dicens « remittuntur », praecipuum effectum extollit sacramenti reconciliationis, cuius materiam remotam exprimunt verba postremo posita: « peccata post baptismum commissa ».

192. **Distributio tituli in capita.** — Concurrentibus ad poenitentiae sacramentum perficiendum ministro et subiecto supra cognitis, est consequens ut in duo capita disponantur quaecumque regulare oporteat; sed *Caput I, De ministro sacramenti poenitentiae*, in se valde prolixum, aliud exigit ad complementum legitimitatis eius, ac proinde est *Caput II, De reservatione peccatorum.* E contra brevius est *Caput III, De subiecto sacramenti poenitentiae,* cui ad similitudinem aliorum titulorum praecedentium, de circumstantiis additur *Caput IV* inscriptum *De loco ad confessiones excipiendas.*

CAPUT I.

De ministro sacramenti poenitentiae.

Can. 871. - Minister huius sacramenti est solus sacerdos.

Can. 872. - Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem.

Can. 873. - § 1. Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro Universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt.

§ 2. Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, ad normam can. 401, § 1, et Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum.

§ 3. Haec iurisdictio cessat amissione officii, ad normam can. 183, et, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.

Can. 874. - § 1. Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris, firmo tamen praescripto can. 519.

§ 2. Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur; iis vero qui a proprio Superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent, firmo tamen praescripto can. 877.

Can. 875. - § 1. In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1, iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis.

§ 2. In religione laicali exempta

Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur.

CAN. 876. - § 1. Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 1, 522, 523.

§ 2. Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525.

CAN. 877. - § 1. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant.

§ 2. Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario.

CAN. 878. - § 1. Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus.

§ 2. Caveant tamen locorum Ordinarii ac Religiosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent.

CAN. 879. - § 1. Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse concessa.

§ 2. Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest.

CAN. 880. - § 1. Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam.

§ 2. At graves ob causas Ordinarius potest etiam parocho aut poenitentiario confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam.

§ 3. Non tamen licet Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur, omnibus alicuius religiosae domus confessariis una simul iurisdictionem adimere.

CAN. 881. - § 1. Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

§ 2. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum.

CAN. 882. - In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2352.

CAN. 883. - § 1. Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

§ 2. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis.

CAN. 884. - Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae*, 1 Iun. 1741.

CAN. 885. - Etsi preces, ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae, ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur.

CAN. 886. - Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est.

CAN. 887. - Pro qualitate et numero peccatorum et conditione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere.

CAN. 888. - § 1. Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iu-



dicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat.

§ 2. Caveat omnino ne complicis nomen inquirat, ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget.

Can. 889. - § 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus poccatorem.

§ 2. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpres aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit.

Can. 890. - § 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo.

§ 2. Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt.

Can. 891. - Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant.

Can. 892. - § 1. Parochi aliique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant.

§ 2. Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes.

193. **Coordinatio canonum sub Cap. I.** — De ministro sacramenti poenitentiae scire opus est, qua duplici potestate praeditum esse oporteat, quod tradunt can. 871, 872; et cum altera sit iurisdictio, can. 873 edicit illos qui eam ordinariam habeant. Circa delegatam vero sunt tres canones, qui ostendunt Ordinarium a quo iurisdictio obtineatur, et quidem can. 874 pro quibuscumque poenitentibus, can. 875 pro religiosis viris exemptis, nam specialiter pro monialibus et sororibus cavet can. 876. In concedenda vero iurisdictione statuunt canones, 877 ut de idoneitate constet, 878 de circumscriptione ipsius iurisdictionis et 879 de concessione huius expressa et gratuita, quibus accedit can. 880 de illius revocatione aut suspensione. Sequitur determinatio subditorum poenitentium per can. 881-884, et quidem primo generaliter, secundo in mortis articulo, tertio in maritimo itinere, et ultimo quoad complicem in peccato turpi. De ipsius ministerii exercitio can. 885-888 loquuntur hoc ordine: circa preces ac formulam absolutionis, quoad hanc denegandam vel differendam, quoad satisfactiones iniungendas et interrogationes cavendas; can 889, 890 duas explicant obligationes consequentes ex confessionis auditione, demum postremi can. 891,

392 tum prohibitionem tum obligationem de quorumdam confessionibus audiendis continent.

194. **Ordinis potestas in ministro.** — *Can. 871. Minister huius sacramenti* ratione ordinis suscepti *est solus sacerdos,* presbyter vel Episcopus, exclusis aliis clericis, laicis etsi alterutri sint religiosi. Legimus enim in Conc. Trid. [1]: « circa ministrum autem huius Sacramenti declarat S. Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter Episcopos et sacerdotes clavium ministerium pernitiose extendunt », et in Can. 10 definivit: « Si quis dixerit, non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum " Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo „ [2]: et " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt „ [3]; A. S. ». Ex quorum textuum collatione patet praeditos clavium ministerio esse absolutionis ministros.

Ad cuius intelligentiam sciendum est ex D. Th. [4]: « quod ostium coeli, quantum est de se, semper est apertum (Apoc. VI, 1: « Vidi, et ecce in coelo ostium apertum »; quod Christus est, qui de se ipso dicit Io. X, 7: « Ego sum ostium » Ex obiect. 1); sed alicui clausum dicitur propter impedimentum intrandi in coelum, quod in ipso est. Impedimentum autem totius humanae naturae ex peccato primi hominis consecutum, per passionem Christi amotum est; et ideo Ioannes post passionem vidit in coelo ostium apertum. Sed adhuc quotidie manet alicui clausum propter peccatum originale quod contraxit, vel actuale quod commisit; et propter hoc indigemus sacramentis et clavibus Ecclesiae [5]: quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt (in signo, ut videtur). ex quibus Ecclesia fabricatur (vere, atque figurata in Evae formatione ex Adamo) ideo in Sacramentis Ecclesiae efficacia passionis manet. Et propter hoc etiam ministris Ecclesiae, qui sunt dispensatores Sacramentorum, potestas aliqua ad praedictum obstaculum removendum est collata, non propria, sed virtute divina et passionis Christi, et haec potestas metaphorice clavis Ecclesiae dicitur, quae est clavis ministerii ». Huius definitio est: « potestas ligandi et solvendi, qua iudex ecclesiasticus dignos recipere, indignos excludere debet a regno », quae a D. Th. (loc. cit. a. 2 initio) optime defenditur cum explicatione. — Imo ib. a. 3 c.) ait: « distinguuntur duae claves: quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius qui absolvendus est, et alia ad ipsam absolutionem. Et hae duae claves non distinguuntur in essentia auctoritatis, quia utrumque ex officio eis competit; sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit ».

[1] Sess. XIV, cap. 6. — [2] Matth. XVIII, 18. — [3] Io. XX, 23. — [4] Suppl. q. XVII a. 1 ad 1$^{m.}$ — [5] Ib. c. et ad 1$^{m.}$

Clavium potestas antedicta intime connexa est cum sacerdotali charactere, ac conficiendi potestate, unde conspicitur Conc[i]. Trid[i]. definitio in can. 10 (Sess. XIV): « Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere... anath. sit ». Quod apparet attente consideranti sequentem D. Th. explicationem [1]: « ad duo, quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur; sicut in igne calor ad calefaciendum et dissolvendum. Et quia omnis gratia et remissio in corpore mystico ex capite suo provenit, ideo eadem potestas esse videtur per essentiam, qua sacerdos conficere potest, et qua potest solvere et ligare, si iurisdictio adsit; nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus comparatur; sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactivus et liquefactivus. Et quia nihil est aliud character ordinis sacerdotalis quam potestas exercendi illud ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur (sustinendo quod sit idem quod spiritualis potestas), ideo character et potestas conficiendi et potestas clavium est unum et idem per essentiam, sed differt ratione ».

195. **Iurisdictionis potestas in ministro.** — Conc. Trid. ait [2]: « Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem ». Idipsum exprimit *can. 872. Praeter potestatem ordinis* sacerdotalis, ut vidimus in can. praec., *ad validam peccatorum absolutionem* scilicet: sacramentalem, utpote « iudicialem » (can. 870) *requiritur in ministro* sacramenti poenitentiae *potestas iurisdictionis* saltem « fori interni sacramentalis » (can. 196), *sive ordinaria sive delegata*, utraque definita in can. 197, § 1 [3], *in poenitentem* seu singularis sacramenti subiectum. Huius alterius requisiti explicationem nobis offert D. Th. [4] dicens: « quod omnis potestas spiritualis (ad effectum scilicet supernaturalem gratiae causandae) datur cum aliqua consecratione. Et ideo clavis cum ordine datur; sed executio clavis indiget debita materia, quae est plebs subdita per iurisdictionem; et ideo antequam iurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium. » Et concludit ad solutionem argumenti oppositi statuentis: « ergo non debuit de ecclesiastico iudice in definitione clavium, ut supra, mentio fieri »: « et quia clavis

[1] Loc. cit. a. 2 ad 1[m]. — [2] Sess. XIV, c. 7.
[3] Can. 197. § 1. Potestas iurisdictionis ordinaria ea est quae ipso iure adnexa est officio; delegata, quae commissa est personae.
[4] Loc. cit. ad 2[m].

per actum definitur, ideo in definitione clavis ponitur aliquid ad iurisdictionem pertinens ».

Insuper directe probatur iurisdictionis necessitas in confessario praeter ministerii claves seu potestatem sacerdotii [1], eo quod « ad poenitentiae sacramentum accedens aliquid agat, quod est de substantia sacramenti ».

196. **Quinam sint ministri cum ordinaria iurisdictione.** — *Can. 873.* § 1. *Ordinaria* idest: « quae ipso iure adnexa est officio » (can. 197), *iurisdictione ad confessiones excipiendas,* scilicet: « fori interni, seu conscientiae sed sacramentalis » (can. 196) *pro universa Ecclesia* videlicet: « ubique terrarum et erga singulos clericos, religiosos utriusque sexus et laicos », *praeter Romanum Pontificem* de quo iam dictum est amplissime in Commentario Textus ad can. 218, *potiuntur S. R. E. Cardinales*, quorum dignitati, quae « stricto sensu est officium ecclesiasticum » (can. 145), adnexa est ipso iure, quamvis ex privilegio vi can. 239, § 1°, 1°; quam tamen delegare nequeunt, etsi contrarium videretur sequi ex can. 199, § 1 [2]; alias inutiliter concederetur eis tamquam privilegium (loc. cit. 2°) facultatem « eligendi sacerdotem, qui si iurisdictione aliunde obtenta careat, eam ipso iure obtinet » ac limitatam quoad personas, nempe: Cardinalem eligentem suosque familiares. — Sequitur enumeratio in canone: *pro suo quisque territorio* cum loci determinatione non personarum, a) *Ordinarius loci,* b) *et parochus* c) *aliique qui loco parochi sunt,* saltem qui « parochis aequiparantur et parochorum nomine in iure veniunt » (can. 451, § 2), nam de aliis vicariis paroecialibus ad cap. X, tit. VIII, lib. II late tractatum est in Commentario Textus.

§ 2. *Hac eadem iurisdictione* scilicet: « ordinaria ad excipiedas confessiones » (§ 1) *gaudent etiam*, idest: cumulative cum Ordinario loci et respectivo parocho, 1° *canonicus poenitentiarius* a) *ecclesiae quoque collegiatae* tantum et a fortiori b) cathedralis, *ad normam can. 401*, § 1 scilicet: « absolvendi *a*) etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis *b*) in dioecesi extraneos quoque *c*) et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis », sed notanda

[1] Suppl. q. VIII, a. 4 c.

[2] Can. 199. § 1. Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.

bene clausula inserta ibidem: « quam tamen a iure potestatem ordinariam aliis delegare non potest » quilibet ex illis, II° *et Superiores religiosi* etiam locales *exempti*, sed non religionis laicalis, etsi casu sint sacerdotes [1], tantum a) *pro suis subditis*, hinc etiam pro monialibus, quae Superioribus regularibus subsunt, b) *ad normam constitutionum* quoad eam obtinendam, exercendam forsitan erga religiosos hospites eiusdem religionis sed alterius domus, aut cum reservatione casuum, quae in religione vigeat, et demum quoad eam amittendam.

§ 3. *Haec iurisdictio* scilicet: « ordinaria ad confessiones excipiendas », sed totaliter in singulis enumeratis sub §§ 1 et 2 *cessat* a) *amissione officii* cui adnexa est in unoquoque eorum, *ad normam can. 183* [2], quoad diversos modos quibus « amittitur officium ecclesiasticum », etiam quandoque ut ibidem § 2 nempe; si lex ita caveat, « resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum », *et*, *post sententiam condemnatoriam*, qua infligatur una ex sequentibus censuris, *vel declaratoriam* censurae iam incursae, b) *excommunicatione* ad normam can. 2264 [3], c) *suspensione ab officio*, quam explicat can. 2279, § 1 [4], ad normam can. 2284 [5], d) *interdicto* particulari personali de quo in can. 2275 [6], et hoc adnotetur ad illum canonem in quo non exprimitur.

Ex dictis infertur, inter eos quibus ordinaria iurisdictio sacramentalis adiudicatur in canone adesse diversitatem respectu can. 199, § 1 statuentis: « Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare », quae norma generalis applicatur in can. 874 et seq., postquam statutum est

[1] Can. 501. § 1.

[2] Can. 183. § 1. Amittitur officium ecclesiasticum renunciatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti.

[3] Can. 2264. Actus iurisdictionis... fori interni positus ab excommunicato est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, salvo praescripto can. 2261, § 3.

[4] Can. 2279. § 1. Suspensio ob officio simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis,...

[5] Can. 2284. Si incursa fuerit... censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo, actus est invalidus ex gr. absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2.

[6] Can. 2275. Personaliter interdicti:... 2° Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere, ad normam can. 2260, § 1, 2261.

(can. 873, §§ 1 et 2): «Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas... praeter Romanum Pontificem, potiuntur... pro suo territorio Ordinarius loci, et Superiores religiosi exempti religionis clericalis pro eorum subditis ad normam constitutionum»; exceptio autem can. 199, § 1: «nisi aliud expresse iure caveatur», applicata est «S. R. E. Cardinalibus et canonicis poenitentiariis». Restat igitur quaerere «de parochis aliisque qui loco parochi sunt», an comprehendantur sub norma generali can. 199, § 1, vel potius sub exceptione; ac respondendum puto sic: nequeunt illi delegare iurisdictionem sacramentalem nec ad casum, eo quod de huiusmodi delegatione specialiter dantur canones immediate sequentes, in quibus eis non adiudicatur, ac ex altera parte necessarium non est pro paroecianis, tum propter clausulam «aliique qui loco parochi sunt», tum quia pro necessitatibus aut opportunitate, Ordinarius potest statuere iurisdictionis delegationem consequentem expressae designationi sacerdotis per parochum. Conclusio certa est propter resp^m^. Commissionis Pont. ad Cod^s^. canones auth. interpretandos [1]. Ad Dubium enim «3. Utrum ad normam canonum 199, § 1, et 874, § 1, Parochi, Vicarii Parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, possint sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas. aut saltem iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam can. 878, § 1 fuerit circumscripta; an ad id egeant speciali facultate seu mandato Ordinarii loci. — Responsum fuit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam». Atque de facultate seu mandato «speciali» est intelligendum respectu ad ordinariam illorum sacramentalem iurisdictionem vel ad universitatem causarum delegationem, non de speciali pro singulis casibus, secus talis facultas seu mandatum esset inutile, loco enim eius danda esset iurisdictio ab Ordinario loci.

197. **A quo iurisdictio sacramentalis delegatur pro quibuslibet poenitentibus.** — *Can. 874.* § 1. *Iurisdictionem delegatam,* «quae commissa est personae» (can. 197, § 1) *ad recipiendas confessiones* perfectas per absolutionem, (ideoque «fori interni, seu conscientiae, sacramentalis» can. 196), quorumlibet

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI, 477.

subiectorum sacramenti poenitentiae, a) *sive saecularium* clericorum et laicorum utriusque sexus, b) *sive religiosorum* pariter clericorum et laicorum utriusque sexus, exemptorum etiam, utpote « revocato quolibet contrario privilegio » in hac re (can. 519, 522) *confert sacerdotibus* veluti « ministris huius sacramenti » (can. 871) a) *tum saecularibus* b) *tum religiosis* (can. 488, 7°), « qui vota nuncuparunt in aliqua religione », omnibus illis ac singulis, proinde novitiis quoque religionum sacerdotibus, si qui sint, *etiam exemptis*, sublata expresse pro praxi controversia, num religiosi exempti iurisdictionem sacramentalem directe a Papa obtinerent ex privilegio, *Ordinarius loci* (can. 198, § 2) *in quo confessiones excipiuntur*, etsi domus vel Ecclesia ibi sita exempta fuerit, quae Ordinarii loci designatio iam vigebat in iure praec.; ac praescriptum quibusdam datum sequitur: *sacerdotes autem religiosi* ut supra, sed etiam non exempti, quibus illa iurisdictio collata fuerit, *eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta* ex rationabili motivo, *sui Superioris* localis vel maioris, *firmo tamen praescripto can. 519*, vi cuius etiam contradicente solum Superiore posset ipsius subditus sacerdos licite uti eadem.

Ut vero concordia mutua foveatur inter Ordinarios locorum et Superiores religiosos, statuit § 2. *Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter*, scilicet: non solum ad casus vel aliquot dies, sed saltem ad diuturnum tempus, *ne concedant religiosis* destitutis sequenti conditione: *qui a proprio Superiore* etsi locali *non praesentantur*, quod est intelligendum: non praecise de corporali praesentia, sed de personae designatione ad hoc facta ipsi Ordinario; e contra praescriptum est quoque: *ii vero qui a proprio Superiore* religioso forsan locali *praesentantur* modo explicato, *sine gravi causa* ab Ordinariis locorum perpendenda, « iurisdictionem ad audiendas confessiones » etiam habitualiter, nam dicitur: *eam* (ergo de qua supra) *ne denegent*, *firmo tamen praescripto can. 877*, scilicet: « ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint » cum exceptione ibi declaranda.

198. **Delegatio iurisdictionis sacramentalis pro religione exempta.** — Ex can. 488... « veniunt nomine:... 4° *Religionis clericalis*, religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur: secus est *laicalis* »; de his ergo sunt duo diversi paragraphi *can. 875*, dummodo illae sint exemptae. § 1. *In religione clericali exempta*,

sive regularium ad normam can. 615, « in qua nempe vota sollemnia nuncupantur » (can. 488, nn. 7°, 2°), sed virorum utpote « clericali », sive « votorum simplicium cui (Congregationi) specialiter fuerit concessum » exemptionis privilegium (can. 618, § 1), in qualibet ergo earum *ad recipiendas confessiones* a) *professorum,* etiam qui temporaria vota emiserunt, b) *novitiorum*, scilicet: « qui novitiatum inceperunt susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto » (can. 533), c) *aliorumve de quibus in can. 514,* § 1 videlicet: « in religiosa domo diu noctuque degentium causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis », *iurisdictionem* de qua nunc agitur, nempe: « fori interni seu conscientiae sacramentalis » (can. 196) *delegatam confert quoque*, hoc addito adverbio, quia non solum sequens, sed illam etiam « confert Ordinarius loci » ut fuit explicatum (can. 874, § 1), et alterutra sufficit, *proprius eorumdem*, quos canon nominavit « professorum, novitiorum », *Superior*, quo verbo designatur sive localis, sive provincialis, sive generalis, sive Abbas, quisnam vero inter illos sit ad hoc competens atque circa conditiones in delegationis actu servandas reliquit canon ius in praecedenti statu, dicens: *ad normam constitutionum*; quidquam insuper expresse statuens: *cui* nempe: Superiori ut supra determinato *fas est eam concedere* « iurisdictionem delegatam » *etiam sacerdotibus,* quia hi « soli sunt ministri huius sacramenti » (can. 871), *e clero saeculari aut alius religionis* etsi laicalis. Et quia « regulae et particulares constitutiones singularum religionum, quae canonibus huius Codicis opponuntur, abrogatae sunt » (can. 489), postremum statutum canonis praevalet ipsis constitutionibus in contrarium forsan disponentibus, dummodo id non disponatur in eis, vel singulae religiones simile quid obtinuerint, ex « privilegio a Sede Apostolica directe singulis concesso » (can. 613, § 1), quod maneret in suo vigore, quia in calce § 1 explicati non revocatur.

§ 2. *In religione laicali exempta,* prout in §^{1} 1^{1} initio manet explicatum, servata si malumus clausulae universalitate ad moniales extensa « quae Superioribus regularibus subsunt » (can. 615), (quamvis de his ceterisque mulieribus religiosis can. sequens loquatur), eo quod huius §^{1} praescriptum perfecte invenitur uniforme canonis 525 praescripto citato ad calcem can. 876. In illa ergo « exempta religione », *Superior*, etiam localis ex vi canonis, nisi Constitutio-

nes aliter statuant, attamen domus infra designandae, *proponit confessarium* sive proprii Ordinis aliquem sacerdotem, «sive e clero saeculari aut alius religionis», prout explicatum fuit in praec. §°, *qui tamen iurisdictionem obtinere debet* vi huius canonis asserentis implicite, tum non sufficere, ut Superior designet confessarium, tum nec posse huiusmodi Superiorem fortassis sacerdotem aut clericum etsi religionis exemptae laicalis illam iurisdictionem tribuere; (sed non revocatur privilegium contrarium, si «a Sede Apostolica directe eidem religioni concessum fuerit») (can. 613, § 1), *ab Ordinario loci, in quo religiosa domus* de qua agitur *reperitur*, nec opus est memorari poenitentium distinctionem adhibitam in §° 1°, quia quamvis supponatur «in eadem domo confessiones excipi», nihil novi quoad hoc statuitur habito respectu ad can. 874, § 1.

199. **Peculiaris iurisdictio pro religiosarum confessionibus.** — Specialis de religiosarum confessariis circa horum iurisdictionem sacramentalis fori est *can. 876.* § 1. *Revocata qualibet*, quod adiectivum demonstrativum universaliter intelligendum est de *contraria* huius §¹ praescripto a) *particulari lege*, sive Apostolicae Sedis data pro determinata regione vel peculiaribus coetibus personarum aut personis, sive per inferiorem auctoritatem constituta, b) *seu privilegio*, quod ex natura sua est particulare, quamvis fuerit alicui religioni directe concessum, quia per hanc canonis revocationem demonstrat Codex velle sequuturam normam esse omnino universalem, ac veluti clausulam specialem respectu can. 613, § 1, qui proinde per hanc revocationem limitaretur, si huiusmodi privilegium existeret, secundum reg. iuris XXXIV in 6°. «Generi per speciem derogatur».

Norma igitur vigens absque ulla exceptione quae fortassis Codicem praecesserit, talis erit: *sacerdotes tum saeculares tum religiosi*, ergo utriusque cleri ac proinde novitii quoque sacerdotes cuiuslibet «religionis» ad normam can. 488, 1°, *cuiusvis gradus* etsi Episcopalis *aut officii* (etiam parochi aut poenitentiarii collegiatae vel cathedralis) quae verba cum statu antea dicto constituunt generalem distinctionem accidentalem omnium sacerdotum, exceptis Ordinariis tum loci, tum Superioribus quoad moniales eis subiectas, quia de habentibus potestatem ordinariam egit can. 873 sine ulla limitatione simili, *ad confessiones quarumcumque* (verbum universale) *religiosarum* scilicet: quae vota nuncuparunt in aliqua

religione » (can. 488, 7°), sive simplicia sive solemnia, etiam monialium regularibus subiectarum, *ac novitiarium* item « quarumcumque », non vero postulantium vel aliarum mulierum in domibus religiosis degentium vel sub religiosarum cura, nec etiam mulierum in communi degentium sine votis, quamvis has aequiparare religiosis possent Ordinarii in concedenda ad confessiones excipiendas delegatione ad normam can. 878, § 1, *valide et licite recipiendas*, et hac clausula edicitur tum iurisdictionem fori sacramentalis sine limitationibus expressam vi huius canonis ad praefatas religiosas et novitias non extendi, tum prohiberi quominus contrarium fiat, addente canone: *peculiari iurisdictione indigent*, scilicet: quae aliquatenus exprimatur pro illis personis determinate dari, *salvo praescripto can. 239, § 1, n. 1*, hoc est « salvo » S. R. E. Cardinalium privilegio, quod sub verbis: « etiam (veluti a fortiori) religiosorum utriusque sexus » novitias quoque omnes comprehendere non est dubium, nam in hac re locum habet reg 35 iuris in 6°: « Plus semper in se continet quod est minus »; pariter canonum *522, 523*, pro casibus in quibus sufficit generalis iurisdictio, seu ut ibidem dicitur: « confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum », « quilibet sacerdos ad mulierem confessiones excipiendas approbatus, etsi non destinatus religiosis », ac bene notandum est commentati § 1[1] praescriptum validitatem attingens respicere directe personas ipsas seu poenitentiae sacramenti subiectum, non locum ubi earum confessiones audiantur, de quo cavent exceptiones citatorum canonum.

§ 2. *Hanc iurisdictionem* de qua in praec. §°, scilicet: « ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarium valide et licite recipiendas peculiarem » *confert*, proinde iurisdictio delegata erit ad normam can. 197, § 1, *loci Ordinarius, ubi religiosarum*, quarum earumve novitiarum confessiones sint excipiendae, *domus sita est*, equidem congruenter can. 874, § 1, nam pro confessionibus in domo illa peragendis ut plurimum est necessaria iurisdictio peculiaris, iuxta exceptiones praedictas, conferenda vero *ad normam can. 525*. — Scilicet: « si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios », quibus conferat iurisdictionem peculiarem supra dictam; « si Superiori regulari » subiecta sit domus seu monasterium monialium, « hic con-

fessarios Ordinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare », et vi commentati §[1] iurisdictionem necessariam conferre, « et Superioris negligentiam » in praesentando, « si opus sit, supplere ». Hinc evidenter colligitur Ordinarios regulares quoad moniales ipsis subiectas respectu sacramenti poenitentiae ius solum praesentandi confessarios retinere, relicta sub Episcopi rationabili iudicio auctoritate confessarios instituendi ad normam huius canonis ac sequentis et amovendi ad normam can. 527.

200. **De idoneitatis examine.** — Conc. Trid. [1] edixit: « Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus ». Haec approbatio ad validitatem absolutionum necessaria, et quae tot declarationibus SS. Congregationum et Summorum Pontificum fuit elucidata, in Codice sub notabili mutatione fuit quoad substantiam praescripta. Videlicet: considerandum est in Poenitentiae ministro idoneitatem ad iudicandum maxime requiri, atque animarum Pastoribus confessarios sibi adsciscentibus in earum sanationem debitum officii impendere, ut seligant huiusmodi operarios idoneos quod scientiam, prudentiam et virtutem; ac idipsum ad eos pertinere absque ulla diversitate poenitentium eis subiectorum et ministrorum quibus sacramentalem iurisdictionem committant.

His consideratis, optime Codex, omissa nullitate absolutionum ex solius approbationis defectu, retinuit ac determinavit PP. Tridentinorum mentem in *can. 877. § 1. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem* ad normam can. 874, § 1 et 876, § 2, *tum Superiores religiosi iurisdictionem* ad normam can. 875, § 1 *aut licentiam* ad normam can. 874 necessariam *audiendarum confessionum ne concedant* eorum singuli, (et consequenter canonis praescriptum viget solum pro iurisdictione sacramentali delegata, urgetque concedentes ipsam aut licentiam), *nisi iis qui idonei* ad illud munus exercendum *per examen* taxative, quod prudentia suadet in re tanti momenti, (multi autem diversis praetextibus volebant se subtrahere ab ipso, si attendebatur mitior statuti modus ex Conc. Trid.), *reperti fuerint*, quin addatur verbum explicite de approbatione danda.

[1] Cap. 15 sess. XXIII de Ref.

ut ibi dicebatur; haec tamen implicite requiritur in can[s]. praescripto, cum sequenti exceptione illius examinis subeundi tamquam evidenter inutilis: *nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam*, non merum academicum titulum, *aliunde*, forsitan ex illo titulo, sed qualitercumque extra examen praedictum *compertam habeant*, scilicet: de tali doctrina moraliter certi sint. Unde sequitur qualis debeat esse materia examinis praescripti ad hanc moralem certitudinem consequendam ordinati: theologica nempe doctrina, prouti nunc in manualibus moralibus solet continere ipsius partem praecipue moralem ac ius canonicum de obligationibus statuum, de matrimonio, de censuris, etc. Ceterae dotes necessariae in confessario opportunius aliter quam per examen proprie vocatum comperiri queunt.

Cum ex una parte sufficiat iurisdictione donandum per examen idoneum reperiri, ac ex altera saepe humanum queat falli iudicium, scientiaque theologica semel adepta progrediente tempore amitti possit; subnectitur consequenter § 2. *Si post concessam iurisdictionem* ab Ordinario loci vel Superiore regulari ut supra, *aut* ab ipso *licentiam*, *prudenter dubitent* ob graves rationes praedictorum singuli *num probatus a se antea sacerdos* per examen aut absque eo iuxta explicata in §° 1°, *pergat adhuc idoneus esse*, quia huiusmodi dubium ex debito erga subditorum animas ipsis Ordinariis commissas deponendum est, praescribit canon *eum* nempe: sacerdotem praefatum *ad novum doctrinae periculum* fortassis primum ex dictis supra (quia de aliis dotibus per convenientem inquisitionem procuranda est prudens certitudo) *adigant*, quod verbum etiam coercitiva media posse adhiberi significat. Imo cum motiva huius novi periculi evenire possint circa illos, qui ratione officii gaudent iurisdictione fori interni sacramentalis, addit canon idipsum esse servandum, *etsi agatur de parocho*, sicut vigebat in praecedenti iure secundum Dec. S. C. C. [1] apud Bened. XIV [2], *aut canonico poenitentiario*, quod ultimum est novum in iure, quamvis tam hic quam ille non subiiciantur huius canonis primo paragrapho, iurisdictionem ordinariam obtinentes ad normam can. 873.

201. Circumscriptio iurisdictionis aut licentiae audiendarum confessionum. — Dotes scientiae, prudentiae ac virtutis

[1] 15 Ian. 1667. [2] Inst. LXXXVI, n. 10.

confessario necessariae, nec eodem gradu possidentur, nec potiores semper opus erunt illi, sed pro diversis personarum ac locorum adiunctis maiores vel minores, propter quod recte sequitur *can. 878.* § 1. *Iurisdictio delegata*, quia ordinaria ex iure definitur, *aut licentia*, eo quod requiratur ob religiosorum dependentiam in suis actibus a Superiorum voluntate, atque alterutra *audiendarum confessionum concedi potest* pro rationabili arbitrio a) *certis* seu bene designatis *quibusdam circumscripta finibus*, temporis v. gr. ad sex menses, ad annum, fortassis postea renovanda sine alio examine, personarum v. gr. pro viris, pro mulieribus quoque, locorum v. gr. in pagis, in quibusdam ecclesiis. Et haec sunt praecedenti iuri conformia.

Attamen abusus praecavere oportet, sicut sollicitus est § 2. *Caveant tamen* proprium libitum advigilantes *locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam* respective, a) *sine rationabili causa* limitationem fundante, b) *nimis* scilicet: moderatione non servata, molestiam inferendo *coarctent.*

202. De modo concedendi iurisdictionem fori sacramentalis. — Verba Conc. Trid. (loc. cit.): « approbationem quae gratis detur, obtineat », mutans Codex de approbatione in iurisdictionem constituit in *can. 879.* § 1. *Ad confessiones valide audiendas* generaliter, quarumcumque personarum etiam religiosarum ad normam can. 876 et in quibuscumque locis, *opus est* non solum *iurisdictione*, quod iam statutum fuerat in can. 872, sed quod huius can^s^. proprium est, quae concedatur sub hac forma: a) *scripto* v. gr. per litteras patentes cancellariae, per litteras missivas, aut privatas ad manum traditas, *vel verbis*, alterutro modo b) *expresse*, nec sufficit tacite ex factis seu circumstantiis etiam evidenter deducta seu coniecturata, c) *concessa*, quod verbum innuit praescriptum esse intelligendum de iurisdictione delegata. Moneri oportet talem expressionem de concessione iurisdictionis fieri posse implicite in scripto aut verbis aliud exprimentibus; v. gr. supposito scripto statuto dioecesano vel alicuius religionis, quod sacerdos approbatus ab examinatoribus ipso facto iurisdictionem illam consequatur; quando talis approbatio candidato nota fiat « verbis vel scripto », revera canon adimpletus est perfecte. Similiter concessio iurisdictionis verbotenus facta per loci Ordinarium non directe confessario, sed indirecte v. gr. Superiori religioso in favorem huius subditi sufficiens est, quamvis requiratur eius notificatio subdito tantummodo, ut hic licite secun-

dum propriam conscientiam confessiones audiat. E contra si Episcopus interrogatus an iurisdictionem interroganti sacerdoti velit concedere, affirmativam voluntatem sola capitis inclinatione patefaceret, non esset sufficiens concessio, quia etsi « expressa », non fuit « scripto vel verbis » concessa.

Alterum servare oportet: ut haec iurisdictionis delegatio gratis detur, quod sic enuntiat § 2. *Pro concessione iurisdictionis*, utpote « rei intrinsece spiritualis », *nihil* « pretii temporalis » *exigi potest*, quia esset « simonia iuris divini » ad normam can. 727, § 1.

203. **Revocatio et suspensio iurisdictionis ac licentiae pro sacramentali foro.** — *Can. 880.* § 1. *Loci Ordinarius*, qui ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, et 876, § 2, *vel Superior religiosus* religionis clericalis exemptae, qui etiam ad normam can. 875, § 1, concedunt *iurisdictionem vel* Superior religiosus religionis cuiuscumque in qua sint sacerdotes, qui dat eis *licentiam* ad normam can. 874, § 1, illam et istam *ad audiendas confessiones*, alterutram respective *ne revocent* id est: proprie loquendo, ne auferant complete, ita ut circumscriptio amplioris praeviae concessionis minorem ob causam fieri posset, *aut suspendant* nempe: ad tempus alterutram, vel ne iurisdictionis usus licitus sit, etiamsi propter simplicem prohibitionem, absque poena vel censura homonyma, *nisi gravem ob causam*, cuius gravitas prudenti eorum iudicio relinquitur, sed non existeret, si cum tali confessionum ministerio nullam haberet connexionem. Notetur vero canonem continere prohibitionem, atque non addita irritante clausula, supponitur legitima regulae I iuris applicatio: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », seu posse praefatam revocationem ac suspensionem fieri semper valide, ac servandam esse, quamvis ob causae defectum alterutra iniusta fuerit.

Quia iurisdictio delegata ad recipiendas confessiones confertur ab Ordinariis locorum pro poenitentibus quibuslibet etiam religiosis ac monialibus iuxta can. 874, § 1, et 876, § 2, illamque « iurisdictionem delegatam in religione clericali exempta ad recipiendas quorumdam poenitentium confessiones confert quoque proprius eorumdem Superior » (can. 875, § 1); quaeri potest: num alteruter praedictorum vi can. 880 queat alterutram iurisdictionem praedictam tum revocare, tum suspendere; nam in eo canone videtur praesupponi quando dicitur: « Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant ». — Ut liqueat responsio, distinctione opus est; ac praemittendum oportet ab hac quaestione Superiores religiosos non

exemptarum vel non clericalium religionum excludi, quia cum ipsi iurisdictione sint expertes, nequeunt subditos confessarios suspendere, cum suspensionem infligere sit actus iurisdictionis, nec revocare iurisdictionem ad ipsis non delegatam. Distinctio revocationem inter ac suspensionem iurisdictionis posita est in hoc quod illa sit velut vocatio iurisdictionis ad originem unde profluxit delegata seu ablatio iurisdictionis, dum « suspensio a iurisdictione, vetat omnem actum illius potestatis » (can. 2279, § 2, 1°), sed iurisdictio delegata ut plurimum permanet, ita ut actus iurisdictionis sit invalidus seu in casu « absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam can. 2261, § 2 », quia tunc etiam est licitus (can. 2284). — Nunc vero revocatio iurisdictionis delegatae tantum fieri potest ab eo, qui iurisdictionem delegavit, proinde Ordinarius loci vel Superior religionis clericalis exemptae quoad iurisdictionem a se concessam, non ab altero. — Ad suspensionem infligendam sufficit quod sacramentalem iurisdictionem possidens sit ei subditus, hinc Superior religiosus praedictus poterit eius subditum suspendere ab audiendis confessionibus ex iurisdictione delegata ab Ordinario loci, ac vicissim iste poterit suspendere religiosum confessarium exemptum, ast in casibus tantum a iure expressis, vel a iurisdictione per semetipsum concessa, quia ex principio reg. XXXV iuris in 6°. « Plus (nempe: iurisdictionis revocatio) semper in se continet quod est minus », scilicet: suspensionem ad tempus a iurisdictione, sed extra casus a iure expressos non esset censura proprie dicta, sed mera prohibitio vi can. 880, § 1.

Hinc vigent adhuc declarationes S. C. EE. et RR. in una Ord. Praedicatorum [1]: « 2. An Superiores regulares iurisdictionem habeutes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium (eadem ratio urget de confessionibus religiosarum, Episcopo subiectarum quoad ius praecedens, et quarumcumque vi can. 876, § 2) ex informata conscientia?... ad 2 affirmative, ita tamen ut Religiosus suspensus illicite, non tamen invalide confessiones excipiat... — 3. An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enunciata?... — Ad 3 affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis... — 4. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus sit valida?... Ad 4 affirmative ». — Nec interest illas resolutiones fuisse datas Procuratori Ord. Praed., quia mota fuit quaestio ob diversas sententias de origine iurisdictionis pro dictis confessionibus excipiendis, ac soluta iuxta eam, quae in Codice fuit inserta et secundum communia regularium privilegia.

Norma praec. §[1] attingit evidenter iurisdictionem delegatam pro foro sacramentali. Ad eos, qui ordinaria iurisdictione potiuntur, illam normam extendit § 2. *At graves ob causas* in §° 1° declaratas *Ordinarius*, equidem loci *potest etiam* et omnino licite *parocho*, atque huic religioso exempto etiam Superior maior ad normam can. 198, § 1, *aut poenitentiario* cathedralis aut collegiatae canonico *confes-*

[1] 2 Martii 1866

sarii munus i. e. ministerium illud *interdicere*, quin sacramentali iurisdictione alteruter vi huius canonis privetur, *salvo recursu* ad infirmandam illam interdictionem *in devolutivo*, scilicet: quia servanda est interdictio non obstante illo recursu *ad Sedem Apostolicam*.

Sequitur limitatio § 1 desumpta ex const. « Superna » Clem. X[1], sed moderata per ampliationem ad religiosos quoscumque, ac per restrictionem quoad religiosas domos. En textus const[e]: « Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Aplca., nullatenus posse ». — Sequentis vero tenoris est § 3. *Non tamen licet Episcopo*, qui valide oppositum faceret a religiosis servandum, et a fortiori nec Ordinario loci cuicumque, *inconsulta Sede Apostolica* scilicet S. Congr[e]. de religiosis, *si de domo formata agatur*, nempe: « in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes » (can. 488, n. 5°), nam de aliis domibus religiosis etiam regularibus non urget canon, quoad formatas vero domos, etsi non sint regularium conventus, nulla excipitur, sic loquente canone: *omnibus alicuius religiosae domus confessariis una simul*, aliter dicendum si eorum maiori numero vel successive omnibus sine morali continuitate, *iurisdictionem adimere*, quamvis per inflictam suspensionem, pro eodem namque habendum est ac si iurisdictione carerent.

Hoc tamen vetitum iuri praecedenti congruens quoad substantiam, ac differens tantum quoad domos, est intelligendum iuxta seq. Declar[m]. in Angelopolitana [2]. ad 1: « Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii vel collegii (nunc temporis: domus formatae) confessariis adimere facultatem confessiones audiendi personarum saecularium, etiam inconsulta S. Congregatione... cum decretum ab ea editum (et confirmatum a Clem. X)... ex intentionis defectu, et convenientia morali, non extendatur ad regiones illas, tam longe ab Urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quae vix sine scandalo et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo S. Congregatio illorum conscientias graviter voluit esse oneratas ».

204. **Norma subiectionis erga singulos sacramenti poenitentiae ministros.** — In praecedentibus ss. canonibus actum est de concessione tum valida tum licita iurisdictionis ac licentiae, quae

[1] 21 Iul. 1670. — [2] S. C. EE. et RR., 20 Nov. 1615.

sunt diversimode necessariae ministro huius sacramenti. Illae proinde normae, sicut postrema can[s]. 880 de illarum revocatione aut suspensione, respiciunt Ordinarios ac Superiores religiosorum, qui eas servare tenentur in huiusmodi eorum potestatis exercitio. Ab hoc *can. 881* incipiunt regulae datae ipsis poenitentiae ministris, quorum interest ante omnia limites noscere suae iurisdictionis sacramentalis, sive ordinarie sive extraordinarie ipsis ab Ecclesia praestitutos.

Congruenter igitur ad iurisdictionem Episcoporum territorialem statuit § 1. *Omnes utriusque cleri*, ac proinde saeculares et religiosi *sacerdotes* eo quod agitur de « ministro sacramenti poenitentiae » (can. 871), *ad audiendas confessiones approbati*, tum ad normam can. 877, tum iuxta declarationem nunc etiam vigentem S. C. C. citatam a Bened. XIV [1], nempe: « An provisus de parochiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi, in qua illam parochialem obtinet: — hoc responsum tunc editum est: Censeri dumtaxat in ea civitate, vel oppido, ubi sita est parochialis, non autem per totam Dioecesim », sed notetur modus provisionis praefatae, cui aliis in locis nunc ad normam can. 459 § 3, 3° praemittitur examen et subsequens approbatio, vel dispensatio illius ob certam idoneitatem. Sic igitur caute canon prosequitur: « approbati » *in aliquo loco*, vel ecclesia vel oppido vel civitate, quod et in delegata iurisdictione accidere potest ad normam can. 878, ut supra declaratum fuit, vel ad summum in dioecesi approbati *sive ordinaria*, ut parochi et canonici poenitentiarii (can. 873) *sive delegata iurisdictione instructi* sint, *possunt etiam vagos ac peregrinos*, quorum definitiones inveniuntur in can. 91, quia de habentibus domicilium aut quasi-domicilium in eo loco dubium non est vi can. 94 [2], tum *ex alia dioecesi*, a cuius Ordinario poenitentium proprio iurisdictionem non obtinuerint, *vel* ex *paroecia* alia subiecta quidem Ordinario qui approbavit, sed ad quam non se extendit confessarii

[1] Instit[s]. eccles[s]. LXXXVI, n. XIV.

[2] Can. 94. § 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur. — § 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur. — § 3. Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.

iurisdictio obtenta, dum hi omnes *ad sese* ut confessarios sint *accedentes*, ac sine ulla limitatione personarum, quia canon « respiciens sacerdotes Latinae Ecclesiae » (can. 1) subiungit clausulam extensivam: *itemque catholicos,* nam « vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus » etc. (can. 731, § 2), *cuiusque ritus orientalis* congruenter ad ius « cuivis fideli » recognitum in can. 905, *valide et licite absolvere* ad potestatem iurisdictionis sacramentalis respectu subditorum quod attinet. Quoad forum ergo sacramentale locus in quo illius iurisdictio possessa exercetur determinat subiectionem vi can. 201, § 1 [1] necessariam.

Sed cum sacramentalis praedicta potestas sit iudicialis, quae iuxta illius canonis § 2 « exerceri nequit extra territorium », praescriptum quod ibidem salvum esse dicebatur, refert § 2. *Qui ordinariam habent absolvendi potestatem* quamvis territorio coarctatam, illi nempe qui recensentur in can. 873 praeter Romanum Pontificem et S. R. E. Cardinales, ac inter quos numerantur « Superiores religiosi exempti », *possunt subditos*, qualitercumque illos sortiantur, *absolvere ubique terrarum,* proinde sub hoc respectu non indigent alterius Superioris facultate, quamvis de liceitate actus canon hoc in loco taceat. Et absolutio intelligenda est ex inscriptione tituli quoad forum internum seu coram Deo, quia pro impertiendis absolutionibus poenarum in foro externo, cum agatur de iurisdictione voluntaria seu non iudiciali, standum est can. 201, § 2 [2].

Ius praesens canonis congruere praecedenti quoad modum determinandi poenitentium subiectionem palam fit duobus seqq[s]. documentis — S. C. C. ad quaesitum [3]: « An curati unius Dioecesis vocati a parochis alienae Dioecesis possint in ista audire confessiones tam suorum subditorum, quam alienorum absque licentia Episcopi »; respondit: « Affirmative, quoad subditos; negative, quoad alios ». Bened. XIV in const. « Apostolica Indulta » [4] normam tradit ea intelligendi, quae etiam nunc servare oportet, ut legenti patebit. « § 2. Innoc. PP. XII per Aplcas. Litteras incipien. " Cum sicut „ [5] decrevit ac declaravit: Bullam Cruciatae, quoad approbationem Confessariorum, nihil novi iuris induxisse,

[1] Can. 201. § 1. Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri.

[2] Can. 201 § 3. Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non iudicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum, aut extra territorium existens, aut in subditum e territorio absentem.

[3] 3 Dec. 1707 apud Bened. XIV, loc. cit. n. VII. — [4] 5 Aug. 1744 §§ 2 et seqq. — [5] 19 Ap. 1700.

nullumque privilegium continere contra formam Conc. Trid., et Const^m^ Aplcarum. (Pauli V, Urbani VIII et Clem. X); adeo ut Confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciatae... electi, nullatenus confessiones huiusmodi audire valeant, sine approbatione Ordinarii... loci, in quo ipsi poenitentes degunt, et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem... ab Ordinariis aliorum locorum... obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui confessarios electos approbassent, subditi forent; subindeque statuit confessiones aliter in posterum factas et respective auditas,... invalidas fore... : Opinionem autem quamcumque contrariam, tamquam falsam, temerariam, scandalosam et in praxi perniciosam damnavit...

§ 3. Has litteras... approbavit Innoc. XIII...[1] editis similibus Litteris incipien. "Apostolici ministerii,, quibus... inter alia declaravit, Sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad tempus vel quoad genus personarum, non posse Sacram. Poenit. administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum; quocumque privilegio, etiam in vim Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, competente, nullatenus suffragante: Necnon Sacerdotibus praedictis... ex quocumque privilegio electis, minime suffragari, quod approbati alias fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiendae sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat,... sed necessarium esse omnino illius, qui actualiter, et pro tempore ordinariam iurisdictionem in ea Dioecesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere etiam tacitam, (quod nunc temporis intelligi oportet, quoad perseverantiam obtentae in antecessum iurisdictionis cum approbatione iuxta can. 61), eamque tamdiu durare, quamdiu praecedens licentia sive approbatio expresse revocata non fuerit, in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit; sicut etiam quando prior approbatio, tempore praefinito elapso, expiraverit» (vel per posteriorem revocationem sublata fuisset).

§ 5. Quia vero... Innocentius XII et XIII in suis respective Litteris, Indultum per Bullam Cruciatae concessum tantummodo nominatim expresserunt: idcirco Nos... non modo relata superius... confirmamus... verum etiam eadem... potestatis plenitudine statuimus et declaramus, quod idem omnino ius,... etiam quoad reliqua eiusdem generis Indulta pariformiter valere debeat et obtinere: Volumus etiam reprobationem dictarum opinionum (oppositarum)... locum similiter habere, quatenus easdem opiniones et sententias in medium proferri contingeret circa similia etiam Indulta, sive universis per Ecclesiam Christifidelibus, sive alicui Regioni, aut Loco, Universitati, aut Coetui particulari Sodalium seu Confratrum, quandocumque et ubicumque concessa vel concedenda».

Opportunitas determinationis per canonem statutae de Episcopo in hac re competente apparet, si consideretur hic agi de quadam conditione absolutionis validitati necessaria, proindeque oportet ut faciliter dignosci queat eius concessio absque magna sollicitudine, atque ut ita dicam ad oculum appareat, utpote quod

[1] 18 Maii 1723.

Superiori ac poenitentibus latere nequeat. Sed quando haec approbatio concedenda sit ab Ordinario loci ubi confessiones audiuntur, eo quod haec auditio est res communiter publica, facile dignoscitur ab Episcopo, atque poenitentes moraliter certi fiunt de obtenta iurisdictione ab huiusmodi sacerdote confessario.

E converso non esset facilis scitu pro confessario, si penderet approbatio ab Ordinario poenitentis, nec pro poenitente si penderet ab Ordinario confessarii forsitan incognito, et absente a loco ubi confessio peragenda sit; exceptis parochis respectu parochianorum. — Item: Ordinarii loci est curare ut administratio sacrorum in Dioecesi rite secundum ss. canones fiat.

205. **Commissio iurisdictionis a iure pro poenitente in articulo mortis.** — Conc. Trid.[1] ait:... « Pie admodum, ne hac ipsa occasione (reservationis nempe casuum) aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ». Tantum advertere oportet in praefato textu expeditam potestatem absolvendi attribui omni sacerdoti; ergo etiam sacerdoti, qui numquam fuit approbatus, etiam irregulari vel suspenso, et cuilibet alii. Immo a S. C. Inq. responsum fuit[2]: « Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; nec qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter, sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem ».

Rationem theologicam praedictae praxis, quam meminit approbans Rit. Rom.[3], affert D. Thomas[4] his verbis: « quilibet sacerdos quantum est de virtute clavium (ministerii), habet potestatem (ordinis) indifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata; sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem Ecclesiae habet iurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Sed quia necessitas legem non habet, ideo quando necessitatis articulus imminet, per Ecclesiae ordinationem (quae tendit in aedificationem, non in destructionem) non impeditur quin absolvere possit, ex quo habet claves (ministerii), etiam sacramentaliter, et tantum consequitur (poenitens tunc temporis) ex absolutione alterius (cuiuslibet sacerdotis), sicut si a proprio (ob iurisdictionem) sacerdote absolveretur. Nec solum a peccatis tunc potest a quolibet sacerdote absolvi, sed etiam ab excommunicatione, a quocumque sit lata, quia haec absolutio etiam ad iurisdictionem pertinet (a Christo datam in

[1] C. 7 sess. XIV. — [2] 29 Iul. 1891. — [3] Tit. III, C. I, n. 1. — [4] Suppl. q. VIII, a. 6.

aedificationem), quae (in genere) per ordinationem Ecclesiae coarctatur » sensu antea dicto.

Obiici posset quod vi canonis propugnati 872 « ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis...., in poenitentem », atque vi can. 2236, § 1 « remissio poenae per absolutionem, si agatur de censuris, concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, etc., vel ab eo cui haec potestas commissa est ». Sed diluitur difficultas dicendo, « aliquem posse uti iurisdictione alterius (ordinaria) ex eius voluntate, quia ea quae iurisdictionis sunt, committi possunt. Unde quia Ecclesia acceptat, ut quilibet sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis secundum quid usum iurisdictionis habet (seu ut aiebant theologi et canonistae antiqui: delegatam iurisdictionem a iure), quamvis iurisdictione (habituali) careat » [1].

Haec doctrina implicite approbatur in Codice, dum expresse dicit *can. 882. In periculo mortis* sive ex infirmitate, sive ex vulnere, aut chirurgica imminente operatione, sive aequipollenter ex bellica convocatione, iuxta resolutum a S. Poenitentiaria [2] dubium sequentis tenoris: « utrum miles quicumque in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilitationis, constitutus, ipso facto aequiparari possit iis qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi ». Resp. « Affirmative, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas ».

Igitur in explicato periculo mortis, nec articulus mortis seu imminentia exigitur, *omnes sacerdotes* iuxta can. 871, quia « vis sacramentalis poenitentiae consistit in sanctificatione ministri (per characterem sacramentalem); et ideo ille qui laico confitetur (in periculo mortis), quamvis impleat quod ex parte sua est de sacramentali confessione (absque obligatione huiusmodi), tamen sacramentalem absolutionem non consequitur;... nec diminutionem illam poenae, quae est vi clavium: et ideo oportet quod iterum sacerdoti confiteatur » [3]. — In canone autem, quem commentamur, nulla ponitur distinctio vel limitatio quoad sacerdotes, imo additur: *licet ad confessiones* excipiendas *non approbati*, et consequenter ad can. 877 iurisdictione non pollentes habituali, *valide*, ut antea iuxta cit. Declarationem S. Officii, *et licite* ad potestatem iurisdictionis quod attinet libere exercendam de qua statim, *absolvunt quoslibet poenitentes*, etiam religiosas et novitias in propriis earum domibus, pro quibus alias « peculiari iurisdictione indigent » (can. 876, § 1),

[1] Loc. cit. ad 1m. — [2] 29 Maii 1915, CO. VII, 282 — [3] D. Th. loc. cit. ad 3m.

a quibusvis peccatis, quae verba ob relationem ad ius praecedens iuxta can. 6, 2° nullum peccatum vel quandoque turpe complicitatis, de quo tamen postea, excluderent, idemque asserendum de sequenti verbo: *aut censuris*, sed propter canones 894 quoad peccatum reservatum Sanctae Sedi, 2253, 3° rememorandum quoad absolutionem reservatarum censurarum, additur opportune *quantumvis reservatis*, scilicet: quorum absolvendorum facultas etiam specialissime impetranda esset, ratione tum auctoritatis reservantis, tum ipsius decretae reservationis, tum modi censuram infligendi, atque propter can. 2237 quoad absolutionem publicarum censurarum caute subditur: *et notoriis*, ut sic reservatio a iure quaelibet vel ab homine statuta cesset ad normam doctrinae cit. cap. Conc. Trid. — Est tamen diligenter animadvertenda sequens clausula: *etiamsi praesens sit sacerdos approbatus*, quae salvam decernit declarationem cit. S. Officii quoad validitatem absolutionis, sed insuper quoad liceitatem « expresse corrigit » (can. 2) Rit. Rom., ubi ait[1]: « Sed si periculum mortis immineat, (ac notetur): approbatusque desit Confessarius, (hoc ergo casu) quilibet sacerdos potest (licite ob Declarationem S. Officii concordandam cum Rit. Rom. ante Codicem) a quibuscumque censuris et peccatis absolvere ». — Correctio autem ista non est absque exceptione, quia etsi absolutionis validitas in periculo mortis absolute et quocumque in casu sit asserenda iure, non sic dicendum de liceitate absolutionis peccati turpis cum complicitate, qua de causa est additum: *salvo praescripto can. 884* in quo explicando res magis patebit, et *can. 2252* de his, qui ut dictum est « receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, si postea convaluerint »; eo quod tenentur obligatione ibi praescripta iuxta cap. « Eos qui » de sententia excommunicationis in 6°, nempe: « si cessante postea periculo (mortis)... se illi, a quo his cessantibus absolvi debeant, quam cito commode poterunt, contempserint praesentare (iuxta can^m.: « non recurrerint »), mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, et satisfacturi (hoc ultimum sine poena sequenti iuxta canonem) prout iustitia suadebit, decernimus, ne sic censurae illudant ecclesiasticae, in eamdem sententiam recidere ipso iure ».

[1] Tit. III, C. I, n. 1.

206. **Commissio iurisdictionis a iure sub itineris maritimi conditione.** — Memor pia mater Ecclesia scriptum esse in Conc. Trid.[1]: « Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipsum baptismum », et considerans nullibi fuisse in Codice tributam Ordinariis iurisdictionem in naves, unde pro navigantibus poenitentibus insufficienter provisum foret in praeced[s]. ss. canonibus, delegatam a iure sacramentalem iurisdictionem confert in *can. 833*, cuius § *1* refert decretum S. C. Inquisitionis approbatum a Pio X die 24 Augusti 1905; videlicet: *Sacerdotes omnes* a) *maritimum iter arripientes*, longum aut breve et quocumque motivo, licite vel illicite, qualibet ex causa, *dummodo* b) disiunctive *vel a proprio Ordinario*, ratione domicilii forsan retenti vel quasi-domicilii a quo alterutro non retento ultimo recedunt, aut perdurantis incardinationis, omissa enim est clausula cit. Dec.: « ex cuius dioecesi discedunt » (iuxta Dec. eiusdem Congr[s]. 4 Aug. 1900), et si agatur de religioso, Ordinarius intelligatur loci ubi sita est religiosa domus ad cuius familiam ultimo pertinebat, *vel ab Ordinario* (etsi non proprio ipsorum) *portus in quo navim* primo inde solutam (iuxta Dec. eiusdem Congr. 17 Martii 1869) vel aliunde in illum appellentem *conscendunt* ipsi, *vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti*, quo navis ingrediatur etsi parum sistat vel non, nam dicitur *per quem* portum *in itinere transeunt, facultatem* adhuc vigentem quando « conscendunt » *rite acceperint confessiones audiendi*, ad normam videlicet canonum praecedentium, nec refert quanam temporis limitatione illa fuerit concessa, e contra puto attendendam coarctatam ratione sexus potestatem, *possunt* vi huius canonis ex concessa « iurisdictionis potestate requisita » (can. 872), c) *toto itinere* maritimo eorum durante, d) *quorumlibet fidelium* etiam regularium exemptorum ac religiosarum *secum navigantium confessiones* quoad conditionem poenitentium, sed quoad locum c) *in navi excipere*, ac ne posset cuiquam obrepere dubium, subinfertur clausula: *quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu* v. gr. per aliquot dies fortassis propter reparationes *consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis*, quando nempe posset urgeri can. 874, § 1, aut aliquis ex seqq.

[1] Cap. 2, sess. XIV De Poenitentia.

Extensio Decreti supra relati sub §° 1° concessa fuit per Pium X ad supplicationem eiusdem Congr^s.[1], quam ita servat vigentem § 2. *Quoties vero navis in itinere consistat*, antequam ergo ad illius finem pertingat, *possunt* praedicti sacerdotes cum una ex conditionibus sub littera b), *confessiones excipere* a) *tum fidelium*, etiam religiosorum exemptorum secundum can. 519, atque religiosarum, sed ad normam can. 522, ac proinde si altare fixum locum habeat in navi iuxta Dec. S. Congr. Rit. in Vicensi[2], tunc certo prope illud, quia ut oratorium semipublicum habendum est secundum Codicem quoque, uti hoc definitur in can. 1188, 2°[3]; *qui* fideles praefati *quavis de causa ad navim accedant* v. gr. ad eam introspiciendam, ad visitandum navigantes quosdam, ad merces vehendas vel vendendas, motivo demum solo peragendi confessionem, b) *tum eorum*, sive secum vel in alia navi navigantium, vel in civitate portus degentium actu, *qui ipsis* sacerdotibus de quibus supra *ad terram obiter*, id est: brevi tempore post ad navem redituris, *appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere* per quod fit exceptio can. 881. Et cum sacerdotes illius loci confessarii forsan limitata quoad casus potiantur iurisdictione, additur: *etiam a casibus Ordinario loci reservatis*, qui ab ipsis appellentibus ignorari certo praesumuntur, sed hoc statutum est congruenter ad reservationis naturam in sequenti capite explicandam, cum sacerdotes navigantes, ut diximus, non ab Ordinariis eos approbantibus, sed ab hoc canone iurisdictionem hanc sacramentalem nanciscantur, posita praedictae in §° 1° facultatis confessionis audiendi conditione.

Hic §^us plene congruit citato Decreto, sed facta est ampliatio per omissionen clausulae finalis istius, nempe: « dummodo tamen, quod ad secundum casum spectat, (scilicet: sub littera b), nullus in loco, vel unicus tantum sit sacerdos adprobatus, et facile loci Ordinarius adiri nequeat ».

[1] 13 Dec. 1906. — [2] 4 Mart. 1901 ad V. n. 4069.

[3] Can 1188. § 2. Est vero oratorium:... 2° *Semi-publicum*, si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire.

Imo, non secus fiat, ac observatur respectu mulierum in qualibet navi, arguendo ex declaratione authentica ad can. 522 citata: « aut in loco ad audiendas mulierum confessiones legitime destinato ».

207. Iurisdictionis limitatio relativa ex iure. — Postquam in duobus praecedentibus ss. canonibus iurisdictio fuit a iure delegata, in praesenti *can. 884* limitatio relativa iurisdictionis sacramentalis forsan possessae statuitur, equidem congruenter iuri antiquo, tum propterea quod « illud ex integro refert » canon iste simul cum. can. 2367, tum quia praescriptiones illius ceterae in his duabus normis non explicitae « continentur implicite » ob clausulam finalem istius canonis; igitur ad normam can. 6, 2° et 6° « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt hi canones aestimandi » — Vocavi eam limitationem relativam, quia ut statim patebit, sacramentalis iurisdictio habita non aufertur nisi quodam in casu peccati et quoad determinatam personam ab eodem absolvendam.

Primo invenimus illam decretam in C. « Sacramentum Poenitentiae » Bened[1]. XIV his verbis: « omnibus et singulis sacerdotibus (nemine excepto, propter adiectas clausulas) tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis... Auctoritate Aplca... prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit (clausula bene notanda velut ad sensum constitutionis utilis) confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam; ergo comprehendit tum poenitentem huiusmodi sine ulla exceptione, tum et iurisdictionem qualitercumque vel a quocumque pastore obtentam, non totam, sed quoad illud peccatum) adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione,... ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes... adimere intendimus ».

Ab hoc ultimo incipiens canon ait: *Absolutio*, nempe: humanus actus proferendi absolutoriam formulam sacramenti Poenitentiae, quacumque intentione aut vere absolvendi aut ficte agendi ponatur, data a sacerdote personae *complicis*, sive vir fuerit, sive foemina, sive impubes quoque, etiam quocum confessarius ante Sacerdotium peccavit, uti constat ex declaratione S. Poenitentiariae [1], *in peccato turpi* de quo sic edocemur ex resp. S. Officii [2]: « an prohibitio absolvendi complicem in materia turpi restringi debeat ad tactus; an vero comprehendat omnia peccata gravia contra castitatem

[1] 22 Ian. 1879. — [2] Ad dubium 28 Maii 1873.

exterius commissa?... — Comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata (et notentur singula verba) *a*) gravia, *b*) et exterius commissa *c*) contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui *d*) complicitatem important». Ex quibus ultimis verbis, quae in Bulla cit. et in canone sub complicis vocabulo veniunt, arguunt Auctores probati conditiones peccati verificandas ex utraque parte, atque talem casum debere esse non dubium.

De absolutione sic explicata decernitur in canone: *invalida est:* de qua invaliditate S. Poenitentiaria [1] ita respondit: «Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, (notaudumque) et adnexam excommunicationem (de qua est positus in Codice can. 2367) quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit». — Unica est addenda exceptio sic expressa in canone: *praeterquam in mortis periculo*, prout ipse Bened. XIV declaraverat mentem suam in alia Const. «Apostolici muneris» [2] his verbis «§ 4. Non intendimus enim pro formidando mortis articulo, eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam iurisdictionem (vi saltem can. 882 obtentam) auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat». Hucusque de absolutionis validitate.

De moralitate illius absolutionis statuit secunda canonis pars: *et etiam in periculo mortis*, a fortiori ergo ratione quando illud non existat, ac in quibusdam etiam praefati periculi circumstantiis, sicuti Bened. XIV in ultimo cit[a]. const[e]. «declarat... eadem Constitutione (scilicet: Sacramentum Poenitentiae)... ita interdici re ipsa et prohiberi praedicto modo (idest cum poena excommunicationis, ut exprimitur in can. 2367) tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi... alias pro audiendis confessionibus non approbatus, possit nihilominus ipse simplex sacerdos confessionem excipere ac absolutionem impertiri».

Clausula excludens a canonis norma ita sequitur in eo: *extra casum necessitatis*, quam necessitatem pro mortis periculo sic a Bened. XIV explicatur in cit. const. «Apostolici muneris»: «§ 3. Porro, si... concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in

[1] 16 Maii 1877. — [2] 8 Febr. 1745.

mortis articulo personae confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi... posse, ac si revera abesset...; (idemque affirmandum iuxta can. 2367, de « casu quo moribundus recuset alii confiteri », si absque influxu sacerdotis complicis id fiat); ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri ». Ergo non tantum valide ob can^{s}. 884 primam partem, sed etiam licite ob partis secundae exceptionem, hoc est: ob « casum necessitatis », si observaverit sacerdos dicenda statim ex const. ead.: « Sciat autem complex eiusmodi sacerdos,... fore se re ipsa coram Deo... reum gravis adversus praedictam constitutionem (et hunc canonem) inobedientiae, (ac notetur) latisque in ea poenis obnoxium, (scilicet: excommunicationi latae sententiae, quod tamen perpendere oportet in Libri V.[1] commentario ad can. 2367), si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro confingat ubi non sunt; imo intelligat, se teneri graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere, opportunis adhibitis mediis... Ita enim ipsum teneri... declaramus; et nunc quoque ipsi faciendum... praecipimus ». Demum ex contextu canonis, quia expressa mentio fit solum de « periculo mortis », ita ut implicite tantum respiciat absolutiones extra ipsum ob particulam « etiam », clausula excipiens « extra casum necessitatis » relativa ac restrictiva est alterius clausulae explicitae, nempe: « in periculo mortis »; proindeque puto excidere illas opiniones quorumdam invenientium necessitatis casus extra mortis periculum ad permittendam ut licitam complicis absolutionem saltem indirectam.

Salva ergo declarata exceptione, ait canon: *est ex parte confessarii*, quod caute notandum, *illicita* absolutio de qua in canonis initio. Sic intelligenda dictio prout eam declaravit S. Poenitentiaria in resp. ult. cit., ubi prosequens edocet: « Tenetur nihilominus confessarius (non complex) sacerdoti, qui hac ratione (supra dicta in quaesito: « An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem, qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit? ») complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, (valide proinde, suppositis debitis actibus poenitentis) omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui, et abominabilem abusum Sacramenti Poenitentiae; nec aliter ei beneficium absolutionis im-

pertiri, (et haec est obligatio sacerdotis absoluturi sacerdotem qui complicem, ut dictum est paulo ante, absolvit), quam praemissa gravissima adhortatione, (non ergo agitur de praecepto imponendo) ut officium confessarii dimittere studeat, necnon imposita obligatione, ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat; (nempe: ob periculum et propter prohibitionem generalem in Bulla Benedictina); monita eadem persona (sacerdotis absolvendi) complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et ceteris invalide confessis: apud alium confessarium se accuset ».

Explicit canon sic: *ad normam constitutionum apostolicarum*, quas commentando illud retulimus, *et nominatim constitutionis Benedicti XIV « Sacramentum poenitentiae » 1 Iun. 1741*, utpote quae fundamentalis est in hac legislatione.

208. **Absolutionis formula,** in Rit. Rom. [1] constat tribus partibus. Prima incipit: « Misereatur... etc. Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit: Indulgentiam... etc. », et de his precibus ait D. Thomas [2]. « Huiusmodi autem absolutiones in publico factae (nempe: sicut in Prima et in Completorio et in coena Domini) non sunt sacramentales, sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere: *Misereatur tui omnipotens Deus,* vel *Absolutionem et remissionem tribuat Deus,* quia per haec verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat. Praemittitur tamen etiam in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte poenitentis, cuius actus materialiter quodammodo se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo vel confirmatione ». De his praecipue mentionem facit *can. 885*, dum ait: *Etsi preces, ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae*, quales sunt etiam priora verba secundae partis in Rit. Rom., videlicet: « Dominus noster Iesus Christus te absolvat », quamvis integrent formulam absolutoriam prosequentem « et ego auctoritate ipsius... » etc. constantem absolutione a censuris et « Deinde » absolutione a peccatis per haec verba: « ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

Defensio convenientiae huius formulae sic exprimi potest cum D. Thoma [3]: « Hoc sacramentum, scilicet poenitentiae, non consistit in consecratione alicuius

[1] Tit. III, cap. 2. – [2] Suppl. q. LXXXIV a. 3. ad 1[m]. — [3] Suppl. q. LXXXIV, art. 3 corp.

materiae, (sicuti Eucharistia), nec in usu alicuius materiae sanctificatae (sicut baptismus et confirmatio), sed magis in remotione cuiusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae, ut ex supra dictis patet. Talis autem remotio significatur a sacerdote cum dicitur: Ego te absolvo. Nam peccata sunt quaedam vincula, secundum illud [1]: « Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur ». Unde patet quod haec est convenientissima forma huius sacramenti. Ego te absolvo ». Alii vero dicunt etiam ad illius formae substantiam pertinere verba saltem « a peccatis », ut determinetur obiectum absolutionis, quod esse possent censurae, quamvis ex confessione ac circumstantiis deprehenditur evidenter agi de peccatorum absolutione.

Quoad haec verba iterum et cetera formulae praedictae, ne displiceat eiusdem Angelici responsio [2]: « Ideo sacerdos potius dicit: *Ego te absolvo*, quam *Ego tibi peccata remitto* (sicut Dominus dixit discipulis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*), quia hoc magis congruit verbis quae Dominus dixit (Petro: Quodcumque solveris super terram, etc.) virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvunt; quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, scilicet, ut dicatur: Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel per virtutem passionis Christi, vel auctoritate Dei, sicut Dionysius exponit. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis » nunc ablato propter Rituale Romanum semper praescribens talem appositionem.

Recte igitur ex dictis canon 885, quem commentamur, ait de precibus adiunctis ut supra: quod *ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus*, subiungit: *nisi iusta de causa*, videlicet: proportionata, non pro libitu, *ne omittantur*. Praeceptivum est hoc verbum, sed potest sustineri cum Doctoribus illarum omissionem non constituere peccatum grave, dummodo servetur « formula absolutoria » seu ritus absolvendi, non solum absolutionis forma seu necessaria verba, quam formulam cognoscere possumus ex his quae habet Rit. Rom. sub n. « 4. In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus (et ecce " iusta causa „ cuius canon meminit) omitti potest *Misereatur*, *etc.*, et satis erit dicere (secundam supra dictam integram partem): *Dominus noster Iesus Christus, etc.* ut supra usque ad illud: *Passio domini nostri*, *etc.* — De qua tamen tertia parte ait D. Thomas [3] « et haec (opera) quae praeter iniunctionem expressam (poenitens) facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpae praeteritae ex illa generali iniunctione, qua sacerdos dicit: *quidquid boni feceris*, etc. Et quantum ad hoc talis

[1] Prov. V, 22. — [2] Ib. ad 3[m]. — [3] Quodlibet. III. art. 28.

satisfactio est sacramentalis, in quantum virtute clavium est culpae commissae expiativa ».

Demum nec integra illa « formula absolutoria » semper recitanda est, dum Rit. Rom. inquit sub. n. « 5. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: " Ego te absolvo ad omnibus censuris, et peccatis in nomine Patris ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen „ ». Quae liturgica lex vim suam retinet, cum " in Codice expresse non corrigatur „ (can. 2).

209. Quandonam est absolutio concedenda. — Cognito ritu substantiali atque accidentali absolutionis, sponte sequitur norma quoad concedendam absolutionem servanda. Hoc praestat *can. 886* praescribens: *Si confessarius*, scilicet: sacerdos iurisdictione praeditus, post exceptam fidelis sacramentalem confessionem *dubitare nequeat de* illius *poenitentis dispositionibus*, videlicet: circa veram confessionem, supernaturalem attritionem cum emendationis sincero proposito, quatenus illae dispositiones sive oretenus sive factis ac ex circumstantiis patefiunt, *et hic* scilicet: poenitens confessus *absolutionem petat*, seu explicite seu implicite v. gr. illam expectans, confessione rite peracta, tunc sive peccata gravia nondum remissa confessus fuerit, sive gravia iam remissa peccata aut venialia, *absolutio nec deneganda est,* tum quia huiusmodi fidelis « ius habet recipiendi » ob peractam rite confessionem ab illo confessario per absolutionem consequentia « spiritualia bona, et potissimum » si propter peccati mortalis statum sit illi haec absolutio « adiumentum ad salutem necessarium » (can. 682); imo *nec differenda est* absolutio, tum vi huius canonis, tum quia damnum privationis inferretur poenitenti sub canonis hypothesi, aut ille maneat in statu peccati mortalis, aut privetur augmento gratiae postea consequendo dubie vel non sine incommodo.

Quandonam vero et quibus « deneganda vel differenda sit absolutio » potest videri tum apud Auctores probatos, tum consulto Rit. Rom. (loc. cit. n. 22) ubi recenset quales sunt « qui talis beneficii (absolutionis) sunt incapaces ». — Quoad absolutionem differendam, uti remedium ad poenitentis emendationem, puto solummodo esse id admittendum, quia in illis casibus confessarius prudenter dubitare poterit saltem de sinceritate propositi, aut de supernaturali dolore; secus Auctorum sententiam canoni esse contrariam puto ac reliquendam.

210. Satisfactiones iniungendae. — Ex Dec°. doctrinali Conc[i]. Trid[i]. in sess. XIV cap. 8 et ex Rit. Rom. (loc. cit. nn. 18-21) desumptus est, ac illis completur et explicatur sequens *can. 887*. *Pro qualitate* scilicet: specie ac consequenti gravitate *et numero* maiori, minorive seu multitudine *peccatorum*, quae poenitens confessus fuerit, *et* simul attenta *conditione poenitentis* (Rit. Rom. loc. cit. 18), seu « habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis et item dispositionis poenitentium », *salutares*, « quia poenae satisfactoriae infligendae, medicinae sunt, et sicut medicinae in arte determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae; ita poenae satisfactoriae... determinatae non competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur, ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat ». Ita D. Thomas [1].

Adiungit vero canon: *et convenientes*, quia Syn. Trid. (loc. cit.) monet sic sacerdotes Domini: « Habeant prae oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem: nam claves sacerdotum, non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui patres et credunt, et docent ». Vocanturque praeterea in canone « convenientes », quatenus sint contrariae peccatis poenitentiae, « veluti avaris eleemosynae, libidinosis ieiunia, vel aliae carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia » [2]. — Tale ergo sint, ut praefatum est, *satisfactiones* erga divinam iustitiam, quia « Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur ». (Conc. Trid. loc. cit.).

Caute valdeque notanda est clausula, quae circa explicatarum satisfactionum modum adhibent Conc. Trid. simul et Rit. Rom. sequentibus iisdem verbis « quantum spiritus et prudentia suggesse-

[1] Suppl. q. XVIII, a. 4 corp. — [2] Rit. Rom. loc. cit. n. 19.

rit » *confessarius iniungat;* nam « Sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei », proinde arbitrium illius in satisfactionibus iniungendis « debet esse divino instinctu regulatum, et etiam de hoc laudatur villicus iniquitatis debitoribus Domini sui remittens largiter, quod prudenter fecit. Et ideo in remissione poenae debitae discretio adhibenda est » [1].

Alio sub respectu « operatio sacerdotis in usu clavium est conformis Dei operationi, cuius minister est. Deus autem habet operationem et in culpam et in poenam... sed in poenam habet operationem directe... quia et poenae parcit, et poenam infligit. Similiter ergo et sacerdos, etsi in absolvendo ex vi clavium habeat aliquam operationem ordinatam ad culpae dimissionem... sed in poenam habet potestatem et ligandi et solvendi. Solvit enim a poena quam dimittit (v. gr. a poenis inferni per absolutionem gravis peccati), sed ligat quantum ad poenam, quae remanet. Sed... considerando poenam hanc vel illam determinate, sic ligat ad poenam imponendo eam » [2].

Hucusque protractum est canonis huius praescriptum a confessario servandum, qui tamen [3] « meminerit, aegris non esse iniungendam gravem et laboriosam poenitentiam »... etc. Sequitur illius pars poenitentis obligationes denuntians circa satisfactiones iniunctas, dicens: *quas* scilicet: vestitas qualitatibus, ut praefatum est, atque tales esse praesumere oportet, nisi contrarium certo moraliter appareat, *poenitens* ante recipiendam absolutionem *volenti animo*, nempe: voluntatis positivo actu, qui patefit eo quoad ipsas exequi non renuat, *excipere*, vel in casu oblivionis quoad satisfactionum iniunctionem, implicitus est ille expresse in voluntatis actu, quo hoc sacramentum in suis partibus cognoscens vult rite suscipere illud, atque huiusmodi poenitentis obligatio est iuris divini ad poenitentiae sacramenti validitatem, iuxta canonem dogmaticum Conc. Trid. in sess. XIV, « 4. Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet, contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres partes poenitentiae dicuntur,... anathema sit ».

Attamen quasi materia sacramenti coexistere debet formae, et in hoc sacramento absolutioni. Ergo satisfactio de qua in dogmatico canone, iuxta generalem Ecclesiae praxim eiusque magisterium ordinarium, est voluntatis actus de adimplenda satisfactione iniuncta;

[1] Suppl. q. XVIII, a. 4 ad 1[m] et 2[m]. — [2] Ib. art. 3 cop. — [3] Rit. Rom. n. 25 loc. cit.

proindeque illius exequutio integrat solum sacramentum, seu iam praevie quoad essentiam constans reddit perfectum. Hinc Codicis canon ita explicit: *atque ipse* « poenitens » *per se*, non per alium, et est fallentia regulae iuris utpote ecclesiastici LXVII in 6°, *debet implere*. Nec mirum quia ius divinum clamat: qui peccat et ipse puniatur, seu unusquisque onus suum portabit. Huc pertinet prop. ab Alex. VII damnata: « 15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat ».

211. Officium ministri in audiendis confessionibus. — Conc. Trid. in Dec°. doctrinali[1] ait: « Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio », nam quis potest peccata dimittere auctoritative, nisi solus Deus?; « tamen non est (illa) solum nudum ministerium, vel annuntiandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut a iudice, sententia pronuntiatur ». De qua postea definit sub « can. 9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem...; aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit, anathema sit ». Propterea non abs re sic incipit *can. 888.* § 1. *Meminerit sacerdos* iurisdictione sacramentali praeditus eamque exercens *in audiendis confessionibus* sacramentalibus ordinatis ad absolutionem obtinendam, cui praerequiruntur, *se iudicis* coram /Deo, seu in foro interno sacramentali, quod verbum iustitiam strictam sonat servandam, tamen ab eo non solam, sed *pariter et medici* animarum *personam sustinere*, cuius proprium est sanare clementer ipsas quoad vitam voluntatis supernaturalem, quae praesupponit erga illam vitam rectitudinem conscientiae, proinde illa medici persona implicat doctoris alteram circa eos, qui necessaria sibi ipsis ignorant, *ac divinae iustitiae*, scilicet: ad iudicandum de peccatis et de peccatore secundum divinam legem et poenitentis allegata, *simul et misericordiae*, quae patris est propria ad medelam tribuendam peccatoribus per veram ligaminum solutionem, *ministrum a Deo constitutum esse*, cui rationem reddere debeat, cum hoc scopo ipsi iniuncto: *ut honori divino* per veram poenitentiam, necessariae confessionis ruborem, et satisfactionem de peccatis exigendam *et animarum saluti* benignitate superna pro-

[1] Sess. XIV, cap. 6.

curandae *consulat*. Hic §^us confert confessarii animo informationem ad hoc, ut recte se gerat positive in munere suo.

Quae a confessario vitanda sunt, eum edocet vetans § 2. *Caveat omnino* a) *ne complicis nomen inquirat*, ceteroquin plane innecessaria inquisitio, et cuius praxis damnata est a Benedicto XIV in constitutionibus [1] suis, quamvis explicita non inveniatur in Codicis Lib°. V excommunicatio Rom Pont^i. reservata contra docentes et defendentes tamquam licitam praefatam praxim, prout inflicta erat sub n. I in const. « Apostolicae Sedis » Pii IX. — Sequitur in canone congruenter Rit. Rom. [2]: b) *ne curiosis* ob necessitatis defectum *aut inutilibus quaestionibus* id est: « interrogationibus », *maxime* propter obiecti labilitatem et sacramenti sanctitatem *circa sextum Decalogi praeceptum*, in quo theologi recte permittunt melius integritati aliquid defuturum, quam interrogationes non certo necessarias nectere, *quemquam detineat* accusationis tempore, *et praesertim*, quia in sequentibus facilius contingit ignorantia, c) *ne iuniores* « utriusque sexus » *de iis quae ignorant* cum eorum animarum utilitate *imprudenter interroget;* « ne, ut ait Rit. Rom. (loc. cit.), scandalum patiantur, indeque peccare discant », quod summe cavendum Salvatoris clamat sententia: « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris » [3].

212. **De sigillo sacramentali.** — Obligationes a confessario servandas post exceptam confessionem enuntiant duo sequentes canones. *Can. 889.* § 1. *Sacramentale sigillum* sic dictum, sive propter eius originem, « quia de necessitate sacramenti (scilicet: huic necessario iure consequens) est quod confessionem celet » illius minister, nam « sacerdos debet Deo, cuius minister est, conformari, et tamquam violator sacramenti peccat qui confessionem revelat », ut bene ratiocinatur D. Th. cum omnibus theologis [4], sive propter eius obiectum, nam « sigillum confessionis directe non se extendit nisi ad illa de quibus est sacramentalis confessio », videlicet: sacerdoti facta in ordine ad absolutionem, sive inchoata sit solum, vel completa, valida vel sacrilega v. gr. ob tacitum voluntarie peccatum, sive cui sequatur absolutio vel haec denegetur: « sed indirecte id

[1] « Suprema » 7 Iulii 1745, — « Ubi primum » 2 Iunii 1746, — « Ad eradicandum » 28 Septembris 1746. — [2] Loc. cit. n. 16. — [3] Matth. XVIII, 6. — [4] Suppl. q. XI, a. 1. Sed contra et corp.

quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa per quae posset peccator vel peccatum deprehendi », ut inquit D. Th. [1].

De tali sigillo vel secreto ait canon: illud *inviolabile est*, scilicet: semper, etiam mortuo poenitente, ac in quocumque possibili supposito, quia « illud quod sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. Et sicut praeceptum de confessione sacramentali facienda est de iure divino, et non potest aliqua dispensatione vel iussione humana homo absolvi ab eo, ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi vel licentiari. Unde si praecipiatur sub poena excommunicationis iam latae, quod dicat si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere, quia debet existimare quod intentio praecipientis est, si sciat ut homo; hoc autem non scit ut homo. Et si etiam exprimeret de confessione interrogatus, non deberet dicere; nec excommunicationem incurreret, quia non est subiectus superiori suo, nisi ut homo; hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus » [2] — Sed violatio sigilli sacramentalis non adesset, seu « non irritatur illud quod est institutum propter bonum commune, cum dicitur quod alio modo scitur. Duo enim sunt propter quae tenetur sacerdos peccatum occultare (in confessione auditum): primo et principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti (poenitentiae, nempe illi necessario consequens iure divino), inquantum scit illud ut Deus, cuius vicem gerit in confessione; alio modo propter scandalum vitandum. Potest autem confitens facere ut sacerdos illud quod sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum, (sicut potest peccatum suum quod fecit, per se alteri revelare); et ideo si dicat (cum eius licentia sacerdos), non frangit sigillum confessionis; tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli praedicti reputetur » Ita D. Th. [3].

Posito iuris divini principio ex confessionis naturae institutione, sequitur in canone determinatio prohibitionis ut enuntiatur in Conc. Lateran. IV [4]: *quare caveat diligenter*, videlicet: studium adhibens opportunum *confessarius* sic vocatus propter auditam confessionem, praescindendo an cum iurisdictione sic operatus fuerit vel eadem

[1] Loc. cit. art. 2 corp. — [2] Loc. cit. a. 1, ad 1[m] et 2[m] — [3] Loc. cit. art. 4 ad 2[m] et in corp. — [4] Cap. Omnis utriusque sexus 12, de poenitentiis et remissionibus (V. 38).

careat pro tempore urgentis sequentis praecepti: *ne verbo aut signo* (verbis aequipollente) praeter se faciente in alterius rei cognitionem venire, *aut alio quovis modo* v. gr. se gerendi aliter ac prius cum poenitente, aliquas cautelas coram aliis adhibens, vel monitiones dans, *et quavis de causa,* scilicet: etiamsi ad vitandum gravissimum malum confessarii, poenitentis, boni publici etiam fidei et morum, ad correptionem, ad conscientiae propriae satisfactionem in gerendis propriis obligationibus; « quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ipsum defertur (id quod vitare oportet, vel remedio curari). Unde in his quae ad ipsum deferuntur in foro poenitentiae, debet in eodem foro, inquantum potest, adhibere remedium »; non extra illud prout patebit in can. sequenti, etsi « omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione » [1]. « Ne » igitur *prodat*, quod verbum sic proprie designat manifestationem adversus fidelitatem servandam ex quasi-contractu cum eo qui peccata confitetur, *aliquatenus*, ita ut probabilis aliorum cognitio et fundata suspicio excludantur quoad *peccatorem,* scilicet: subiectum sacramenti poenitentiae quoad confessionem, et formaliter ut actorem materiae sigilli sacramentalis, quia « non obligatur audiens confessionem ad hoc quod non revelet peccatum simpliciter, sed prout est in confessione auditum; nullo enim casu dicere debet se audivisse in confessione » (cum periculo prodendi peccatorem). « Et ideo illud quod homo alias scit, sive ante confessionem, sive post, non tenetur (vi sacramentalis sigilli) celare quantum ad id quod scit ut homo; potest enim dicere: scio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud, inquantum scit ut Deus; non enim potest dicere: Ego audivi hoc in confessione », sicut declaratum est supra. « Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas ». Regula valde prudens. Haec ex D. Thoma [2].

Optime arguit D. Th. [3] « sigillum confessionis competit sacerdoti, inquantum est minister huius sacramenti; quod nihil aliud est quam debitum confessionem celandi, sicut clavis est potestas absolvendi. Tamen sicut aliquis qui non est sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem, ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis,

[1] D. Th. loc cit. art. 1 ad 3[m]. — [2] Loc. cit. art. 5 ad 2[m] et in corp. — [3] Ib. art. 3 corp.

et tenetur celare, quamvis proprie loquendo, sigillum confessionis non habeat ». — Hic apparet quam recte ac proprie dicat § 2. *Obligatione servandi sacramentale sigillum* sic dictum eo quod eumdem originem repetit, nempe: confessionem sacramentalem eademque cum explicatis extensione ac modo, *tenentur quoque*, hinc etiam erga confessarium sicut ille erga eos, *interpres* forsitan adhibitus licite ex concessione can. 903 infra explicandi *aliique omnes* scilicet: viri vel mulieres, etsi non catholici, *ad quos notitia* non iam peccati confessi quomodolibet habita, sed formaliter *confessionis* peccati seu ex confessione, *quoquo modo* v. gr. dum circumstantes confessionali quidquam voluntarie vel involuntarie audierunt, *pervenerit*. — Hinc etiam confirmatur D. Thomae doctrina [1]: « quod ille, ad quem notitia peccati devenit mediante sacerdote de voluntate confitentis, participat in aliquo actu sacerdotis, et ideo simile est de eo et de interprete, nisi forte peccator velit, quod ille absolute sciat et libere ».

213. **Obligationes Ordinariorum ac Superiorum religiosorum hac de causa** edictae sunt in S. Congr.[s] S. Officii Instructione « Naturalem et divinam » [2] ad eos missa, quia ipsos directe, sacerdotes autem indirecte obligat etiam post Codicis vigorem, eo quod in can[s]. praec[s]. perfectam observantiam ducat, fundataque sit in confessionis sacramentalis natura. Transcribere illam utilitate non vacat. « Non desunt nihilominus quandoque salutaris huius sacramenti administri qui, reticitis quamquam omnibus, quae poenitentis personam quomodocumque prodere queant, de submissis in sacramentali confessione clavium potestati, sive in privatis collocutionibus sive in publicis ad populum concionibus (ad auditorum, ut aiunt, aedificationem) temere sermonem facere non vereantur. Cum autem in re tanti ponderis et momenti nedum perfectam et consummatam iniuriam sed et omnem iniuriae speciem et suspicionem studiosissime vitari oporteat, palam est omnibus quam mos huiusmodi sit improbandus. Nam etsi id fiat salvo substantialiter secreto sacramentali, pias autem audientium aures haud offendere et diffidentiam in eorum animis haud excitare sane non potest. Quod quidem ab huius sacramenti natura prorsus est alienum, quo clementissimus Deus, *quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisimus, misericordissimae suae pietatis venia penitus abstergit* atque omnino obliviscitur.

Haec animo reputans Supr. haec S. Congr. S. Officii muneris sui esse ducit omnibus locorum Ordinariis Ordinumque Regularium et quorumcumque Religiosorum Institutorum Superioribus, graviter onerata eorum conscientia, in Domino praecipere ut huiusmodi abusus, si quos alicubi deprehendant, prompte

[1] Suppl. q. XI, art. 4 ad 4[m]. — [2] 9 Iun. 1915. *Monitore ecclesiast.*, XXIX, 199.

atque efficaciter coercere satagant; utque in posterum tam in scholis theologicis quam in casus moralis, quas vocant conferentiis et in publicis et in privatis ad Clerum allocutionibus, et adhortationibus sacerdotes sibi subditos sedulo edoceri curent, ne quid unquam, occasione praesertim Sacrarum Missionum et Exercitiorum Spiritualium, ad confessionis sacramentalis materiam pertinens, quavis sub forma et quovis sub praetextu, ne obiter quidem et nec directe neque indirecte (excepto casu necessariae consultationis iuxta regulas a probatis auctoribus traditas proponendae) in suis seu publicis seu privatis sermonibus attingere audeant; eosque in experimentis pro eorum habilitatione ad confessiones excipiendas hac super re peculiariter examinari iubeant.

S. Congr. confidit neminem ex confessariis huiusmodi praescriptionibus contraventurum: quod si secus acciderit, praedicti Ordinarii et Superiores, transgressores graviter moneant, recidivos congruis poenis percellant, ac in casibus gravioribus Supremo huic Sacro Tribunali rem quamprimum deferant ».

214. **Usus scientiae ex confessione habita.** – Sequens error fuit damnatus in Dec. S. Officii [1]: De propositione: « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione (ad can. praec.^{m} explicata) et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur, addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo maius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu sequeretur ».

Statutum est, « dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione ».

Praefatae damnationi ac eodem in sensu congruit *can. 890* cuius connexio cum praecedenti patet. § 1. *Omnino* seu totaliter *prohibitus est* vi etiam huius canonis, *confessario* sic dicto, quia confessionem sacramentalem recepit, *usus* quilibet *scientiae* seu cognitionis cuiuscumque *ex confessione* tanquam origine *acquisitae*, non aliunde habitae; sed bene adnotanda est conditio sub qua motivumque constituens prohibitionis: *cum gravamine* quocumque *poenitentis*, qui confessionem illam peregit, scilicet: sive gravamen redundet in bona eius animae vel corporis, rerumve exteriorum, sive tantum illud sit morale incommodum displicentiave, ex tali usu eidem consequens; unde confessarius potest uti praefata scientia, ut

[1] 18 Nov. 1682.

prudenter se gerat in ministerio, ut libros consulat, alios adiuvet opportunis consiliis, indemnes se et alios reddat, dum gravamen explicatum absit; alias transgressor esset canonis, *excluso etiam quovis revelationis periculo* contra sacramentale sigillum supra declaratum.

Postquam prohibitionem generalem edixit canon, specialem quorumdam confessariorum subnectit § 2, referens ampliansque ius vetus contentum pro Regularibus in Dec.° Clem. VIII [1] incipiente « Sanctissimus ». *Tam superiores*, sive cleri saecularis, sive religiosi, *pro tempore* praesenti ac futuro quocumque *existentes* cum potestate saltem dominativa super alios, *quam confessarii* idest: tale ministerium poenitentiae etsi raro exercentes, *qui postea Superiores*, ut declaratum est antea, *fuerint renuntiati* scilicet: « ad Superioritatis gradum (quemlibet) postea promoti », *notitia quam de peccatis* praecise, non loquitur canon de alia, *in confessione* utpote origine, vel peccatoris ipsius sint peccata, vel alterius, quando ille ad suam confessionem notitiam illam dederit, etsi non necessariam confessioni, quia non dicit canon ex confessione sed « in confessione » *habuerint, ad exteriorem gubernationem* nempe: subditorum in Superioris munere *nullo modo*, scilicet: abstrahere respectu illius notitiae se debent ac si ea carerent, sive patefiat externe, sive non, illius notitiae influxus, hoc est « nullo modo » *uti possunt*. Oppositum ergo « caveant diligentissime », uti expressit Clem. VIII.

215. **Prohibitio Superiorum quorumdam circa propriorum subditorum confessiones.** – Ut facilius servetur § 2[us] praec[s]. canonis et ob rationes allatas in Dec.° Congr. S. Officii pro alma Urbe [2], scilicet: « Ex una enim parte *a*) minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integritas periclitatur; *b*) ex alia vero Superiores minus liberi esse possent in regimine communitatis, *c*) ac suspicioni exponuntur, aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, quorum confessiones excipiunt ». Ob praedicta extensum fuit idem Decretum ad Orbem et ad novitiorum Magistros in religionibus etiam votorum sollemnium per sequentem *can. 891. Magister novitiorum* nempe: eorum qui ante primam professionem experiuntur religionem, *eiusque socius*, de quibus loquuntur can. 559, 560,...

[1] 23 Maii 1593. — [2] 5 Iulii 1899.

non « Magister spiritus » de quo statuit can. 588, ac praeter illos duos *Superior* a) *Seminarii* sive maioris, sive minoris, b) *collegiive* cuiuslibet ex verborum vi, sed praesertim se disponentium ad ordines suscipiendos ad modum Seminarii, hi singuli, etsi sacerdotes iurisdictione fori sacramentalis praediti, a) *sacramentales confessiones* (materiam vetiti) b) *suorum alumnorum* tantum erga quos habent potestatem, c) *secum in eadem domo commorantium* diu noctuque, ut fieri solet, ac ex consequenti excluduntur Episcopus aliique vere Superiores, sed non immediate gubernantes Seminarium collegiumve, *ne audiant,* quae constituit gravem prohibitionem, *nisi* concurrant hae quatuor conditiones, quod a) *alumni* praedicti b) *ex gravi et urgenti causa,* quae praesumenda ex sequentibus, nisi constet contrarium, v. gr. quia possunt commode alium adire confessarium, c) *in casibus particularibus* etiam bis aut ter, sed non habitualiter, ita vero ut singulis in casibus pro uno alterove alumno, d) *sponte id petant* illi, scilicet: audiri in ordine ad obtinendam ab illis absolutionem.

216. **Obligatio audiendi confessiones.** – Ex opposito praec[1]. canoni prohibenti adiungitur praesens obligationem determinans confessariorum exercendi hoc sacrum ministerium. *Can. 892.* § 1. *Parochi* « quorum nomine veniunt: 1° Quasi-parochi, qui quasi paroecias regunt,... 2° Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti » (can. 451, § 2); in hoc autem canone quem commentamur praedictis connumerantur *aliique* ut plurimum « clerici sacerdotio initiati » (can. 154) ob sequentem clausulam, nempe: *quibus cura animarum* gerenda *vi muneris,* etsi non stabiliter constituti, quod proinde non sit officium ecclesiasticum stricto sensu dictum (can. 145), *est demandata,* v. gr. Vicarius generalis, Vicarius Capitularis, Superiores regulares, a) *gravi iustitiae obligatione* orta ex quasi-contractu susceptionis muneris *tenentur* b) *audiendi sive per se sive per alium* pro libitu eorum, nisi ius obstet, secundum regulam LXX iuris in 6°: « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri ». Hinc praedicti Vicarii ac Episcopi adstringuntur hac obligatione ad providendam convenienter dioecesim de idoneis ac bonae voluntatis confessariis, e contra Superioribus regularibus non suffragatur praeinserta regula, sed ii hanc obligationem adimplere debent ad normam can. 518. — Secundum datam ergo explicationem illi singuli audire debent *confessiones* c) *fi-*

delium sibi commissorum, nec obligatio praedicta erga fideles alios in eorum territorio confessionem peragere volentes ampliatur, d) *quoties ii* nempe: « fideles sibi commissi » *audiri* sacramentaliter sed *rationabiliter* quoad ius ac circumstantias *petant.*

§ 2. *Urgente* a) *necessitate* ex parte poenitentis vel poenitentium ac pro gradu necessitatis *omnes confessarii*, scilicet: iurisdictione in foro sacramentali praediti erga illum vel illos poenitentes, *obligatione* per se gravi *tenentur ex caritate,* proinde iuxta huius regulas et ordinem, *confessiones fidelium audire*, hoc nempe onus subire ad succurrendum eorum animis beneficio absolutionis; b) *et in mortis periculo,* cum extrema sit necessitas, si fidelis inveniatur in mortalis peccati statu, quod sola confessione multoties solummodo sciri potest, atque aliunde tunc temporis, « licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris » (can. 882), sequitur necessario illa obligatione supra declarata teneri *omnes sacerdotes* vi ordinis suscepti ad ipsum salvationis ministerium eis concessi.

CAPUT II.

De reservatione peccatorum.

CAN. 893. - § 1. Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes.

§ 2. Haec avocatio dicitur *reservatio* casuum.

§ 3. Quod attinet ad reservationem censurarum, servetur praescriptum can. 2246, 2247.

CAN. 894. - Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos.

CAN. 895. - Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi, re in Synodo dioecesana discussa, vel extra Synodum auditis Capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit.

CAN. 896. - Inter Superiores religionis clericalis exemptae unus Superior generalis, et in monasteriis sui iuris Abbas, cum proprio cuiusque Consilio, peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, § 1, 519.

CAN. 897. - Casus reservandi sint pauci omnino, tres scilicet vel, ad summum, quatuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis; ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.

CAN. 898. - Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit.

CAN. 899. - § 1. Statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Or-

dinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eadem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant.

§ 2. At huiusmodi absolvendi facultas ipso iure competit canonico poenitentiario ad normam can. 401, § 1, et habitualiter impertiatur saltem vicariis foraneis, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant.

§ 3. Ipso iure a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat.

Can. 900. - Quaevis reservatio omni vi caret:

1.° Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa

2.° Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis;

3.° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.

Caput II. De reservatione peccatorum
- a quibus facienda et quid sit — Can. 893
- ratione sui
  - iure — » 894
  - ab homine
    - per locorum Ordinarios — » 895
    - inter Superiores religionis clericalis — » 896
- casus
  - quoad numerum, qualitates ac tempus — » 897
  - non permissi — » 898
- notificanda et per absolvendi facultatem limitata — » 899
- sub certis circumstantiis omni vi carente — » 900

217. **Inscriptio capitis.** – Consequenter considerandum est *Caput II*, cuius inscriptio quatenus cum praecedente capite connexa et huic Titulo inserta est, sic videtur interpretanda: *de reservatione peccatorum*, quoad horum sacramentale iudicium et absolutionem in hoc poenitentiae tribunali, quae sic per effectum definiri potest: « limitatio iurisdictionis circa quorumdam peccatorum absolutionem a Pastore competente facta ». Dicitur: *limitatio iurisdictionis*, ad significandum reservationem afficere sacerdotes iurisdictione sacramentalis fori praeditos, hancve minuere, non quidem simpliciter, quia fideles manent subiecti, sed quoad iudicium quarumdam causarum huius fori; hac de causa ponitur in definitione: *quoad absolutionem quorumdam peccatorum*, et si adderetur: *cen-*

surarum, ob diversitatem reservationum, ut postea videbimus, esset definitio amplior reservationis casuum. Denique *a Pastore competente facta;* non enim reservationes praedictae fieri possunt a quocumque, qui polleat iurisdictione in foro externo, nisi iuxta Ecclesiae ordinationem.

Hic utiliter memorantur quaedam partes c.is 7 doctrinalis Dec.i Conc. Trid. in sess. XIV: ... « Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare ». Et hinc primus Pastor competens. « Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura adnexa est ». Et recte, nam in censuris omnia pertinent ad clavem iurisdictionis.

218. **Ordo canonum** sequens est: can. 893 designat habentes in Ecclesia potestatem reservationes statuendi, quas definit earumque distinctionem innuit ratione materiae; cum alio sub respectu divisiones inveniri possint in sequentibus canonibus, nam can. 894 enuntiat « peccatum Sanctae Sedi reservatum », can. 895 modum statuit servandum in statuenda reservatione a locorum Ordinariis, et can. 896 a Superioribus religionum. « Casus reservandi » positive ac negative determinantur in can. 897, 898, cura Ordinariorum excitatur consequens reservationibus statutis, et facultas absolvendi iure conceditur in can. 899, dum postremus can. 900 enumerat circumstantias diversas in quibus « reservatio omni vi caret ».

219. **Quinam habeant potestatem reservandi casus, huius reservationis notio ac divisio.** – Cum in can. 199, § 1 statutum sit: « Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur », consequenter normam generalem statuit *can. 893.* § 1. *Qui* a) *ordinario iure* scilicet: « ex potestate ipso iure adnexa officio » (can. 196) b) *possunt audiendi confessiones potestatem concedere,* scilicet: « Ordinarius loci in quo excipiuntur » (can. 874, § 1, 876. § 2) et « in religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum, aliorumve de quibus in can. 514, § 1... proprius quoque eorumdem Superior, ad normam con-

stitutionum » (can. 875, § 1), *aut ferre censuras* videlicet. « qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere » (can. 2220, § 1), *possunt quoque,* circa censuras vi huius canonis et congruenter can.[1] 199 in initio citato quoad peccata, *excepto* a) *Vicario Capitulari* omnino b) *et Vicario generali sine mandato speciali, nonnullos casus* ratione peccati vel ratione censurae relate ad disiunctivam potestatem ordinariam supra dictam, *ad suum avocare iudicium,* sive in foro sacramentali quoad peccata, sive in utroque foro quoad censuras, *inferioribus* respectu suiipsorum *absolvendi* respective peccata vel censuras *potestatem limitantes* circa illos casus. Haec limitatio est sequela iuridice necessaria illius avocationis, per quam sequelam definiri potest sic *casuum reservatio.* « Limitatio iurisdictionis quoad absolutionem quorumdam peccatorum aut censurarum a Pastore competente facta ». — Proinde censuit congruenter S. Congr. Conc. in Salernitana an. 1585[1]: « Praelatos saeculares, Episcopis inferiores, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem in loco, et nulli Dioecesano nec ipsi, nec eorum subditi subsunt, habere facultatem reservandi sibi casus ». Quae declaratio etiam nunc vera est, ut infra patebit.

Ex data interpretatione huius §[i] atque ex reservationis casuum (iuxta § sequentem) definitione colligitur evidenter quod Pontif. Commiss. authentice interpretata est, dum ad dubium [2] « Utrum ad normam canonis 893, § 1 et 2, peregrinus teneatur reservationibus loci, in quo degit. — Resp.: Affirmative ».

Prosequitur Conc. Trid. de harum vi reservationum: « Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere ». De quo etiam dogmaticum canonem condidit eadem in sessione: « XI. Si quis dixerit, episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit ». Propter quod absdubio edixit in cit.[i] cap.[s] fine: « extra quem articulum (i. e. mortis) sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant ». Hinc apparet quanti facienda eorum sententia, qui reservationem pendere aiebant a cognitione quam poenitentes habuerunt de ipsa.

[1] Bened. XIV. De Syn. dioec. lib. V, c. IV, n. 2. — [2] 24 Nov. 1920. « De reservationibus », CO. XII, 575.

§ 2. *Haec avocatio dicitur* in iure ac proprio sensu *reservatio casuum;* quae iuxta 1^m^ §^m^ duplex est, ratione peccati et ratione censurae quae peccatum comitetur. De priore casuum reservatione hoc in capite agitur secundum ipsius inscriptionem. — De altera vero inquit § 3. *Quod attinet ad reservationem censurarum,* quia earum ratione, *servetur praescriptum* peculiare pro hac altera reservatione *can. 2246,* qui disponit limitationem circa censurae reservationem, huius interpretationem, quidque importet, et *can. 2247* statuentis alia de causa limitationem reservandae censurae, reservationis vim quoad locorum fines, et quandonam non obstet reservatio censurae quin eiusdem absolutio propter ignorantiam concessa valeat.

220. **Aliae reservationis casuum divisiones** solent ab Auctoribus afferri; nempe: I° casus reservati alii dicuntur *papales,* quando scilicet iurisdictionis limitatio circa eorum absolutionem verificatur etiam ex reservationis ratione in ipsis Pastoribus infra Romanum Pontificem constitutis; alii vero *episcopales* quando praedicta limitatio locum non habet in Episcopis, aliisve similibus Praelatis. Num casus reservati pertineant ad unum vel alterum divisionis membrum inferri potest ex ipsis verbis, queis usus est illos reservans; animadvertendo casus quosdam papales ex circumstantiis fieri episcopales, quandoque vero illos a quolibet confessario absolvi posse, iuxta diversos canones idipsum determinantes praesertim de censuris, ad quarum tractatum in Lib. V° explicatio remittenda erit. — II° Casus alii sunt *a iure communi* hoc est: promulgato a S. Sede *reservati,* sive Romano Pontifici, sive Episcopis, alii vero dicuntur *reservati ab homine,* quando reservationis auctor est inferior Rom.° Pont.^e^ Pastor, sive in Synodo sive extra Synodum. — Hae duae divisiones revera post Codicem persistunt, sed circa denominationem essent variandae, quoad primam in casus S. Sedi reservatos, vel Ordinariis locorum, proprio Ordinario, Superiori maiori, uti distinguuntur in Codice singulae reservatae censurae, et quoad secundam divisionem in casus per Codicem reservatos, et casus a locorum Ordinariis vel a supremis religionum (clericalium exemptarum) Moderatoribus reservatos.

Denique attente consideranda est alia reservationis divisio ab Auctoribus iuris praecedentis probatis admissa in *casus simpliciter reservatos* et *casus reservatos cum censura,* prout peccata solum

reservata sunt, vel e contra adnexam censuram habent. Ac dicebatur hos ultimos affici posse reservatione, vel *principaliter ob peccatum* vel *principaliter ob censuram.* Haec distinctio ac subdistinctio vigent post Codicem, sed eius tenori magis esset conforme, sic dicere: « reservatio casuum » alia est *ratione peccati,* alia *ratione censurae adnexae;* de hac reservatione § 3ª praec.ª canonis remittit ad Lib. V, de reservatione *ratione peccati* prosequitur hoc Caput II. Num una vel altera sit statuta reservatio, praeter casus reservationem sine adnexa censura, de quo planum est, si casus reservatus censura muniatur, an sit reservatio statuta ratione peccati vel censurae pendet a voluntate reservantis, atque ex ipsius verbis aut consuetudine foret eruendum: in Codice autem res perspicua est quoad reservationes ab eodem statutas. Diversos effectus reservationis alterius utrius ex Codicis commentario de hoc Capite ac de can. 2246, 2247 poterimus optime secernere.

221. **Peccatum S. Sedi reservatum.** - Casus reservatio S. Pontifici fuit statuta in celeberrima const. « Sacramentum Poenitentiae », Bened. XIV [1] his verbis: « quaecumque persona, quae exsecrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impie calumniando (de sollicitatione apud Iudices ecclesiasticos), vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat; a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat ». — Praeter hanc reservatio altera in praec. iure auctorem habuit Clem. VIII in const. « Religiosae » [2], ubi edixit: « Regularibus personis utriuslibet sexus (non tamen militiae) omnem et quamcumque largitionem et missionem munerum penitus interdicimus ». Regulares intelligebantur personae votis solemnibus obstrictae. De accipientibus vero praedicta munera, quicumque illi fuerint, nemine excepto, subiunxit: « Verum, ipso facto, absque aliqua monitione iudicis,... aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneantur, adeo ut, restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiae absolvi non possint ». Urbanus vero VIII in const. « Nuper » [3] declaravit ex quibus causis, cum quorum licentia et quae « munera a religiosis utriusque sexus tribui posse ». Et inferius addidit: quoad « restitutionem vero receptorum (illegitime munerum) quibus conventibus faciendam esse ». Ac demum ex AA. interpretatione, si obligatus impotens foret ad restituendum, sufficiebat ut promitteret se, quamprimum potuerit, esse restituturum.

Sic moderata in praxi ac fere inutili hac reservatione, nunc optime Codex retinens largitionis munerum prohibitionem « ex bonis

[1] 1 Iun. 1741. — [2] 19 Iun. 1594. — [3] 16 Oct. 1640.

domus, provinciae, religionis » ad normam can. 537, hanc casus reservationem abstulit aiens in *can. 894. Unicum* ad exclusionem ultimo dicti *peccatum* proindeque in foro sacramentali, *ratione sui*, eo quod censuram sicut prius hoc in loco adnexam non habet, *reservatum Sanctae Sedi* cuius « nomine venit etiam S. Poenitentiaria » (can. 7 et 258, § 1) *est falsa*, proindeque iuxta eius conscientiam vere calumniosa, *delatio*, nam « quilibet fidelium semper potest delictum alterius denuntiare... etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel damni reparationem » (can. 1935, § 1), *qua sacerdos*, sive iurisdictione sacramentali praeditus sive non, sed *innocens* quoad crimen de quo *accusatur* delationis factae vi a promotore iustitiae, cui « uni, ceteris omnibus exclusis, reservatur actio seu accusatio criminalis » (can. 1934), sed peccatum reservatum patratur per illam falsam delationem praecise *de crimine sollicitationis* ad can. 904 explicando, et quidem propter delationem ad illam accusationem ordinatam seu *apud iudices ecclesiasticos* saltem mediate factam, videlicet: tum per se tum per alios falso denuntiando, tum quia (can. 1936) « denunciatio scriptis a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet loci Ordinario (qui est iudex), vel cancellario Curiae vel vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda ». — Putamus vero pravam voluntatem consummatam esse servatis praedictis, et peccatum reservatum, etsi delator deficiat in adimplendo can. 1937 iuxta quem ille « qui delictum denuntiat debet promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem », quamvis falsus ille delator hoc adimplens quoque, absdubio patefaceret, crimen illud « apud iudicem ecclesiasticum » qua talem deferre, in quo formaliter sita est distinctio inter hoc peccatum ratione sui reservatum et censuram excommunicationis speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ex can. 2363 ipso facto incurrendam.

222. **Limitatio exercitii potestatis peccata reservandi.** — Duo sequuntur canones, qui limitant potestatem reservandi peccata quoad exercitium in Ordinariis. Et primus loquitur de locorum Ordinariis determinatis in can. 198, § 2, statuens *can. 895. Locorum Ordinarii*, « excepto Vicario Capitulari, et Vicario generali sine mandato speciali » ex can. 893, § 1, *peccata ne reservent*, (absoluta prohibitio exercendae potestatis eis recognitae in can. et

§° cit.) *nisi*, sub alterutra conditione ad validitatem necessaria ad normam can. 105, 1°, 2°, sed una vel altera conditio, ut videtur, Ordinarii loci arbitrio est relicta, videlicet : aut a) *re in synodo dioecesana discussa* in qua sequentes in can., quem commentamur, et alii ad Synodum vocandi, ac convenientes « votum consultivum habent » (can. 362), b) *vel extra Synodum*, etsi celebranda immineat, quamvis tunc praecedentis conditionis observantia esset praeeligenda, nisi obstaret causa, *auditis* tunc a) *Capitulo cathedrali* legitime convocato ad normam can. 411, §§ 1, 2, b) *et aliquot* secundum Ordinarii arbitrium quoad numerum (sed videtur non sufficere applicationem regulae iuris 40 in 6°. « Pluralis locutio, duorum numero est contenta »), cum tribus sequentibus qualitatibus : a) *ex prudentioribus*, utpote de re agendum cum magna prudentia ponderanda ob sequelas in animabus reconditas, b) *ac probatioribus*, qui spiritu Dei non humano agantur in re fori conscientiae, c) *suae dioecesis animarum curatoribus*, qui ex officio censentur melius prae aliis cognoscere ac testificari posse de huius efficacis remedii reservationis necessitate pro animabus, per quam alterutram declaratam conditionem a) *vera reservationis necessitas*, cum haec reservationis constitutio « in aedificationem, non in destructionem liceat » iuxta Conc. Trid. in Dec°. doctrinali [1], b) *aut* saltem *utilitas comprobata fuerit*. Iudicium autem huius comprobationis est penes Ordinarii loci conscientiam, ut licite operetur iuxta hunc canonem, ita ut si moraliter iudicaret illam deficere comprobationem, prohibitionem canonis « peccata ne reservent, nisi... » transgrederetur per talium peccatorum reservationem, haec tamen reservatio vigeret, quia huiusmodi « actum esse nullum... expresse vel aequivalenter non statuitur » (can. 11), nec id deduci potest ex consultatione ad validitatem necessaria, quia ex can. 105, 1°, Superior « nulla obligatione tenetur ad eorum votum etsi concors, accedendi » ; et si diceremus reservationem contra votum aliorum statutam esse invalidam, supponeremus quod eorum « consensus exigatur », nam tunc « superior contra eorumdem votum invalide agit » ; sed talis consensus in canone non exigitur.

223. **Potestas reservandi peccata in religione clericali exempta.** — « Sanctissimus Dominus » Clemens VIII in Const. illis verbis inci-

[1] Cap. 7, sess. XIV.

piente [1], « accurate perpendit et reipsa comperit, quod... nisi Superiores admodum prudenter ac moderate (reservatione absolutionis) utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiae maculas detegere formidant, adducere posset in aeternae damnationis periculum et spiritualis remedii desperationem ». Haec fuit ratio huius legis, quae cum omnino verificetur quoad Superiores Congregationum votorum simplicium, non omnes, sed qui gaudeant hoc iure, utpote privilegio exemptionis praediti, sequitur etiam ipsos hanc legem observaturos fuisse, atque alias leges cum hac connexas. Sequitur in Const. « Et ideo, ut huic malo Sanctitas sua opportune prospiceret, decrevit ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quae sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquo, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverit ». Atque hac ratione non aliis motivis duci debent in reservationibus statuendis. Sequuntur in Const^e. undecim casus. Et prosequitur Const. his verbis : « Si quod aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione et consensu ». Demum S. C. CC. et RR. [2] : « censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit ita ut iisdem Superioribus, absque Cap. generalis aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in Dec^o. huiusmodi non contentis exc^m. annectere, eiusdemque absolutionem sibi reservare non liceat ».

Haec vetus legislatio abrogata est simul ac fuit ampliata concessio, ut continet *can. 896. Inter Superiores* maiores ac minores a) *religionis clericalis*, scilicet : « cuius plerique sodales sacerdotio augentur » (can. 488, 4°), *exemptae*, videlicet : « religionis sive votorum solemnium (Ordo) sive simplicium (Congregatio) a iurisdictione Ordinarii loci subductae » (can. 488, 2°), hi enim soli reservare casus queunt ad normam can. 893, § 1, *unus*, ergo ceteris maioribus Superioribus exclusis, *Superior generalis*, etsi Vicarius nominetur ac sit, deficiente Magistro, Ministro, Praeposito generali, et hucusque religiones respexit canon, etsi hae comprehendant plura subsequentia monasteria quando haec limitata ex canone facultas « desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus S. Sedis decretis » (can. 501, § 3), *et in monasteriis sui iuris*, quae nempe : reguntur ab Abbate Nullius vel solum de regimine, *Abbas*, non autem qua Superior tantum Congreg^s. monasticae vel Abbas Primas ad normam can. 501, § 3, et ex analogia quoad modum contextus cum can 635, 1594, § 4 quorum praescriptum (non praesentis can^s.) salvum dicitur in can 501, § 3, c) *cum proprio cuius-*

[1] 26 Maii 1593. — [2] 7 Iul. 1617.

que Consilio sic dicto propter usitatam appellationem, sed dante pro reservationis validitate ad normam can. 105 consensum vel consilium, votum nempe deliberativum vel consultivum, ad normam constitutionum in hoc negotio vel similibus, *peccata, ut supra,* scilicet : (can. 895) quorum « vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit », sicut ibi explicatum est, *subditorum* scilicet : professorum, novitiorum, aliorumque (inter hos vero quorumdam tantum, etsi pro ceteris quoque ex can. 875 « possunt audiendi confessiones potestatem concedere ») cum derogatione can. 893, §. 1, *reservare possunt* scilicet : « ad suum avocare iudicium (sacramentale), inferioribus absolvendi potestatem (concessam ab homine) limitantes », *salvo praescripto can. 518* § *1* quoad confessarios « in singulis religionis clericalis domibus deputandos, cum potestate... absolvendi etiam a casibus in religione reservatis », atque *can. 519* quoad « confessarium (quem fortassis adit religiosus etiam exemptus) ab Ordinario loci approbatum ».

224. **Qualitates ac numerus reservandorum peccatorum et reservationis permansio.** — Congr. S. Officii [1] edidit de expresso mandato Ssmi D. N. Benedicti PP. XV super casuum conscientiae reservationibus instructionem incipientem sic : « Cum experientia comprobatum sit casuum, quos vocant, conscientiae reservationes, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergere posse ; Suprema haec Sacra Congr... praecedentibus ad rem dispositionibus novas, pro opportunitate temporum, superaddens... haec cum... locorum Ordinariis praeceptive communicanda statuit », quae nempe in ss. canonibus huius capitis sequentibus fere omnia transferuntur et quidem ad verbum.

Sequitur : « 1. Meminerint ante omnia Rdmi Ordinarii (locorum sicut prius dixit) casuum conscientiae reservationes *ad destructionem munitionum*, iuxta dictum Apostoli [2], ad removenda scilicet obstacula, quae saluti animarum *non communi* impedimento sunt, esse dirigendas ; ideoque iubet can^s. 895 tenorem, cuius extensionem ad Ordinarios quosdam non locorum aptavit can. 896, ut declaratum est.

Etiam utrosque Ordinarios respicit *can. 897* transcribens Decreti num^m. 2, eo quod ille canon loquatur de casibus et reservatione in seipsis. *Casus reservandi* ab his qui recensentur in can. 893, 895, 896, *sint pauci omnino,* nec dubium quoad numerum relinquitur, addente canone : *tres scilicet vel, ad summum, quatuor*, sed clausula irritans maioris numeri reservationem deest, unde

[1] 13 Iul. 1916. CO. VIII, 313. — [2] 2 Cor. X, 4.

applicandus can. 11 [1], *ex gravioribus tantum* quoad moralitatem *et atrocioribus* scilicet: ob sensui morali seu humanitati repugnantiam *criminibus* ob damnum saltem spirituale aliorum fidelium, *externis* seu, ut ait Decreti n. 3, « reservationi... ne submittantur sive peccata mere interna, quippe quae, ut docet Benedictus XIV [2], non est in praxi receptum ut unquam reserventur, propter animarum periculum; sive quae ex humana fragilitate derivantia aliam non habeant specialem sibi coniunctam malitiam, propter humanam infirmitatem », atque sufficit quod vitetur hoc circa peccatorum qualitates reservandorum quoad religiosos. Reservatio statuatur modo subsequenti: *specifice* scilicet: sub morali specie confitenda *determinatis.*

Sequitur pars canonis altera: *ipsa vero reservatio* non est ob consuetudinem aut inconsiderate sustinenda, sed *ne ultra in vigore maneat* (revocando eam postea) *quam necesse sit* permanere *ad publicum aliquod inolitum* qua tale *vitium extirpandum* quod absdubio christianae disciplinae opponitur, quapropter particula copulativa sequitur *et collapsam* idest: graviter ex criminibus reservatis *forte christianam disciplinam* quoad mores secundum ius divinum *instaurandam.* Decretum loquebatur disiunctive, atque pro religiosis locum habere secundam causam, non vero primam, rationabilius admittitur.

225. **Peccata non reservanda.** — Conformis est n° 4 Decreti *can. 898. Prorsus* idest: semper *ab iis peccatis sibi reservandis* nempe: ab homine *omnes*, quos recensuimus supra, *abstineant quae iam sint Sedi Apostolicae* ratione peccati, vel ut frequentius *etiam ratione censurae reservata*, « ne scilicet absque necessitate multiplicentur leges » (n° 4 Dec.), ac sequitur canonis secunda pars prohibitiva cum moderamine, videlicet: *et regulariter*, proinde admittuntur a canone exceptiones, *ab iis quoque* nempe: « peccatis sibi reservandis omnes abstineant », *quibus censura, etsi nemini reservata*, et in canonis prima parte non comprehensis, *a iure* communi seu Codicis *imposita sit*, « hoc enim expresse prohibet vetus Instructio S. Congr. EE. et Regularium diei 26 Novem-

[1] Can. 11. Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

[2] De syn. dioec., V, 5.

bris 1602, quae ita se habet (canoni conformis) : « Praesertim vero haec monenda censet S. Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii ne illos casus promiscue (seu ut in canone « regulariter ») reservent, quibus adnexa est excommunicatio maior (in canone « censura » verbum generalius, quia ex can. 2255, § 1 « censurae sunt : 1° Excommunicatio ; 2° Interdictum ; 3° Suspensio ») a iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit, nisi forte (atque hinc prudenter accipiantur exceptiones) propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur » (Dec. cit. n. 4).

226. **De notificandis reservationibus et de facultate absolvendi casus ab homine reservatos.** — Ex verbis ac contextu *can. 899* restringendus est ad casus extra religiones reservatos. § 1. *Statutis semel reservationibus*, idest : hoc posito, *quas vere necessarias aut utiles iudicaverint*, uti faciendum est ad normam can. 895 declaratam, *curent locorum Ordinarii* equidem illas statuentes, vel etiam Vicarius generalis sine mandato speciali ac Vicarius Capitularis, *ut ad subditorum* confessariorum ac fidelium *notitiam,* secundum proprium arbitrium quoad mediorum electionem, sed *quo meliore eis videatur modo* iuxta prudentiam et ad obtinendum scopum, *eaedem deducantur*, « nam quaenam earum vis si lateant ? » verba sunt (Dec. n. 6) in canone omissa, et quae ab antiquis Auctoribus poterant sumi de virtute reservationis quoad ignorantes non exercita, quae sententia, ut alias diximus, displicet, ac melius accipiantur de inutilitate, sive fraenum iniiciendi fidelibus per timorem ne absolutionis obtinendae difficultatem incurrant, sive convincendi eos de speciali gravitate peccatorum reservatorum. — Prosequitur Decretum (loc. cit.) « easque reservationes, quamdiu necessitas aut utilitas perduraverit, firmas teneant » (congruenter can^{i}. 897, sed hoc Decreti sensu) in can^{m}. hunc sic translato : *nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant*, sed cum confessariorum delectu et prudenti dispensatione fortassis ob personarum, temporum ac locorum circumstantias.

Altera pars num^{i}. 6^{i}. cit^{i}. Decreti fere tota de verbo ad verbum inseritur in § 2. *At huiusmodi absolvendi facultas,* scilicet : sicut in §° praec^{i}. ab « statutis reservationibus » omnibus, a) *ipso iure*, secus ac in Decreto cit°., *competit canonico poenitentiario* « tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis » *ad normam can. 401,*

§ *1*, videlicet: ob « potestatem ordinariam quam tamen aliis delegare non potest »; subditurque in canone: b) *et habitualiter*, idest: vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, sic verbum interpretando propter analogiam cum can. 66, § 1 [1], *impertiatur*, nempe: iussum continet Ordinariis factum de concedenda facultate, eodem modo ac exprimebatur in Dec°. cit°., *saltem vicariis foraneis*, circa quos Caput VIII tit[t]. VIII Partis primae definitionem ac praescripta continet, sufficitque illud ne canonis iussum transgrediatur, dummodo sit *addita*, non praecise omnibus, sed *praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus*, ubi gravior illa de causa esse poterit reservatio. *facultate subdelegandi toties quoties*, idest: pro singulis occurrentibus casibus, non solum parochos vicariatus foranei, sed *confessarios sui districtus, si et quando* a) *pro urgentiore aliquo determinato casu* b) *ad eos recurrant*, quo recursu posito praesumenda erit urgentia casus in recurrente confessario.

Aliam facultatis concessionem periodice temporariam elargitur § 3. *Ipso iure*, quod impedire nequit Ordinarius, *a casibus*, quos *quoquo modo*, scilicet: in Synodo vel extra Synodum, ratione peccati vel ratione censurae, *sibi Ordinarii* (locorum ex contextu) *reservaverint, absolvere possunt*, vigente igitur reservatione, a) *tum parochi*, de quibus est can. 451, § 1, b) *aliive qui parochorum nomine in iure censentur*, recensiti in cit[t]. can[is]. § 2, *toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili*, sive iure ad normam can. 859, § 2, sive a locorum Ordinariis anticipato vel prorogato, ut conceditur ibidem, c) *tum singuli missionarii*, scilicet: sive partem missionis principalem adimpleant, sive secundariam, vel illam partialem, sed quoad tempus aliter dimetiendum, nempe: *quo tempore missiones ad populum*, proinde publicas etsi ad diversos fidelium coetus, ad normam earum quas neminit can. 1349, § 1 [2], *haberi contingat*, scilicet: ab initio missionis usque ad totum diem in quo finiuntur.

[1] Can. 66. § 1. Facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.

[2] Can. 1349. § 1. Ordinarii advigilent ut, saltem decimo quoque anno, sacram, quam vocant, missionem, ad gregem sibi commissum habendam parochi curent.

227. **Monitum pro Urbe valde notandum.** — SS. D. Noster concedere dignatus est omnibus confessariis in Urbe approbatis facultatem absolvendi in eadem Urbe eiusque districtu a censuris quae in Codice iuris Canonici Ordinariis reservantur. Confessarii iniungant poenitentibus obligationes de iure iniungendas in singulis casibus iuxta regulas a probatis auctoribus traditas et si agatur de irregularitate exorta ex procuratione abortus, recurrant pro dispensatione ad Sacram Poenitentiariam.

Insuper casus hucusque Emo Cardinali Vicario reservati, amplius non subiacent reservationi [1].

† Ioseph Palica, Arch. Philipp. *Vicesgerens.*

228. **Cessatio in casibus quoad reservationem ab Ordinariis statutam.** — Sicut praec^{s}. §^{us} 3 desumptus est ex cit^{t}. Dec^{t}. n° 7 litteris c) ac d), ita ceteris eiusdem numeri litteris plane conformis est *can. 900.* Sic incipit num^{s}. ille : « Ad evitanda demum gravia inconvenientia quae ex reservationibus utilibus quoque ac necessariis in peculiaribus quibusdam rerum adiunctis facile oriri possent, eadem S. Congregatio, nomine et auctoritate Sanctissimi, sequentia decernit » : *Quaevis* « Ordinariorum » locorum, ut in Decreto etiam ex canonis contextu, *reservatio* scilicet : sive ratione peccati, sive ratione censurae statuta, tum quia in Decreto de utrisque agitur, ac in hoc canone relinquitur verbum « quaevis » alias inutile, quia de reservationibus Capitis huius est evidenter canon intelligendus, qui sub eo ponitur ultimus, *omni vi caret,* seu « ipso iure cessat », ita ut facultate absolvendi speciali opus non sit.

1° *Cum confessionem peragunt* de casu forsan reservato in loco a) *sive aegroti,* decumbentes vel non, *qui domo egredi non valent* illa de causa seu medici iudicio, b) *sive sponsi* « confessionem illam peragentes » *matrimonii* cum Dei gratia *ineundi causa;*

2° *Quoties* seu in singulis casibus, quando a) *vel legitimus Superior* quicumque, etiam Vicarius foraneus, ad illam facultatem absolvendi a reservatis concedendam competens quamvis ex participatione, *petitam* de facto *pro aliquo determinato casu,* non ampliorem ac quocumque modo, *absolvendi facultatem* positive v. gr. verbis, factis, omissione deliberata *denegaverit,* b) *vel, prudenti*

[1] Ex Vicariatu 4 Martii 1920.

confessarii iudicio, atque hoc supposito, etsi confessarius erraverit, *absolvendi facultas* in casu seu ob circumstantias *a legitimo Superiore* quolibet competente *peti nequeat* disiunctive a) *sine gravi poenitentis incommodo,* b) *aut sine periculo* tantummodo *violationis sigilli sacramentalis* declarati sub can 889 :

3° *Extra territorium reservantis,* seu « a peccatis in aliqua dioecesi reservatis absolvi possunt poenitentes in alia dioecesi, ubi reservata non sunt a quovis confessario sive saeculari sive regulari » (Dec. 7, e), *etiamsi dumtaxat,* seu ut antiquitus dicebatur (quod minus recte nunc diceretur, quia « nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur ») in fraudem reservationis, nempe : *ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo* territorio reservantis *discesserit.* Quod a fortiori asserendum, si alia de causa extra illud pergeret, et illius occasione confiteretur de praedictis reservatis.

Quaeri potest an hic canon respiciat omnes omnino reservationes propter verba « Quaevis reservatio ». Respondeo dicendum : verba haec accipienda esse « secundum propriam verborum significationem in textu ac contextu consideratam » (can. 18). Porro caput hoc inscribitur « de peccatorum reservatione » et in canonibus fere omnibus agitur de reservatione casuum ab homine statuta sive ratione peccati sive ratione censurae, ita ut reservatio censurarum a iure non per hoc Caput moderetur, sed per canones Lib[i]. V etiam quoad earum absolutionem in foro sacramentali. Viget ergo canon 900 quoad reservationes ab homine statutas, seu non a iure communi, etiam vigentes in religionibus. Quoad has confirmatur interpretatio, quia in iure praecedenti, quid aequipollens partialiter declaratum fuerat ab Urbano VIII per Decr. S. C. C. [1], ut retulimus in Commentario Textus « de Personis » pag. 497 [2], atque tulcitur maiori facultate qua religiosi donantur in Codice ad huiusmodi absolutiones consequendas. — Aliter sentire oportet quoad « peccatum ratione sui Sanctae Sedi reservatum » (can. 894), tum quia iure praecedenti erat velut specialissimo modo ex clausulis const. « Sacramentum Poenitentiae » Bened[i]. XIV reservatum, tum eo quod huiusmodi sit a iure communi, atque huic Capiti insertum solum propter materiae connexionem, tum denique quia raro ex ipsius natura et conditionibus accidens, illusoria evaderet ex can. 900 illiusmet reservatio.

[1] 21 Sept. 1624. — [2] Ed. 2[a], pag. 567.

CAPUT III.

De subiecto sacramenti poenitentiae.

Can. 901. - Qui post baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent.

Can. 902. - Peccata post baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria sacramenti poenitentiae.

Can. 903. - Qui aliter confiteri non possunt, non prohibentur, si velint, per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firmo praescripto can. 889, § 2.

Can. 904. - Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae*, 1 Iun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere.

Can. 905. - Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri.

Can. 906. - Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri.

Can. 907. - Praecepto confitendi peccata non satisfacit, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam.

229. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Sequitur *Caput III* inscriptum: *De subiecto* scilicet: de fideli baptizato, qui rite dispositus potest obtinere effectum *sacramenti poenitentiae* definiti ac explicati in can. 870, seu gratiam peccatorum remissivam. — Duo priores canones 901, 902 determinant illud subiectum respectu divini iuris, illis subsequuntur duo alii canones 903 de confessionis peragendae modo sub certis circumstantiis, ac 904 de obligatione in aliis exurgente sub confessionis occasione. Ius ad confessarium eligendum vindicatur fidelibus in can. 905, ac de ecclesiastico confitendi praecepto sunt duo postremi canones 906, 907.

230. **Subiectum ex iure divino ad poenitentiae sacramenti susceptionem obligatum.** — Conc. Trid. docet in cap. 1 sess. XIV: « Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio et gratia, susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitutem, et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi

applicatur ». — Hinc recte sic incipit *can. 901. Qui post baptismum mortalia* peccata *perpetravit*, nam illa quae ante vel forsan in validi baptismatis susceptione commissa fuerint per hoc auferuntur, quando vi saltem characteris, coniuncto supernaturali dolore de peccatis, baptismus fructum consequitur, uti docent theologi ex certa sententia. De mortalibus autem post baptismum addit limitationem canon : *quae nondum per claves Ecclesiae.* scilicet : ministerii, explicatas ad can. 871, addita vero iurisdictione, quae omnia in ministro validi sacramenti poenitentiae requiri est declaratum in can. cit. et 872, *directe remissa sunt*, eo quod vel invalida fuit eorum confessio, vel ipsa fuerint in confessione inculpabiliter omissa, aut ex oblivione, aut non instante confessionis praecepto de illis, aut in casu necessitatis peragendae confessionis cum absolutione apud confessarium, qui carebat iurisdictione in tale peccatum. Huiusmodi enim poenitens divinum confessionis praeceptum adimplens cum debitis dispositionibus gratiam consequi debuit vi sacramentalis absolutionis, utpote huic non ponens obicem, ad normam can. 870. Cum vero gratia, ut in theologia certo docetur, nequeat secum pati mortale aliquod peccatum ex natura rerum, illa peccata oblita, aliave rite omissa in confessione, ac demum subducta iudicio sacramentali propter iurisdictionis defectum in ministro, remittuntur cum aliis peccatis confessis, quae remissio *indirecta* vocatur communiter.

Conc. Trid. in cap. 5 sess. XIV docet : « Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata (in praec. cap. 1), universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere : quia Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint ; quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient : constat enim, sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, nec aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.

Ex his colligitur, quod sequitur in canone quem commentamur esse intelligendum de illo eodem subiecto qui declaratus est in eius initio, nempe : *debet* « iure divino » ut definitum est quoque in can. 7 eiusdem sess. XIV, a) *omnia* « peccata mortalia » initio can. 901 determinata, ergo quoad speciem ac numerum, *quorum*

post diligentem sui discussionem, quae conscientiae examen communiter dicitur, et praemittenda est, vel quandoque supplenda per confessarii adiutorium in eadem confessione, prout docetur a probatis theologis, *conscientiam habeat,* seu « memoriam » ut dicitur in definitione dogmatica, sumptam ergo pro testimonio animi de illis peccatis a se commissis, *confiteri*, « etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa, quae nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosa sunt iis, quae in manifesto admittuntur » [1], b) *et circumstantias* morales actus peccati, ex parte tum peccantis, complicis, aliorumve, tum ipsius actus in se aut in mediis adhibitis, *in confessione explicare*, non iam eas tantummodo notabiliter aggravantes, sed *quae speciem peccati* propriam actus peccaminosi ex seipso, deformant ulterius ex oppositione peculiari sed gravi ad regulas morum, sicque illam *mutant*. Nam ex dictis (loc. cit.) Conc[i]. Trid[i]. idipsum colligitur, eo « quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, neque iudicibus innotescant; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis, poenitentibus imponere ». Denique animadvertatur commentatum canonem referre dogmaticam definitionem can[s]. 7 in sess. XIV, Conc. Trid.

231. Subiectum sacramento poenitentiae idoneum ratione peccatorum, sed non obligatum. — *Can. 902. Peccata post baptismum commissa*, quae sunt materia remota sacramenti poenitentiae, ut explicatum est ad can. 870, sed utraque statim designata, nempe: a) *sive mortalia directe potestate clavium iam remissa,* unde plene adimpleto iure divino circa reconciliationem huiusmodi rei, uti explicatum est in praec. can., b) *sive venialia* de quibus definitum est in can. 7 sess. XIV, Conc[i] Trid[i]: « Si quis dixerit,... non licere confiteri peccata venialia, anathema sit », *sunt materia* a) *sufficiens*, videlicet: propter quam remittendam valide ac licite administretur ac recipiatur sacramentum poenitentiae, b) *sed non necessaria sacramenti poenitentiae,* quatenus iure divino non obligamur ea in confessione declarare, nec propter illa delenda ad sacramentum reconciliationis recurrere.

Has assertiones sic declarat Conc. Trid. de venialibus (cit. cap. 5): « nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur,

[1] Loc. cit. Conc. Trid.

quamquam recte et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur (sive cum mortalibus quae necessario Ecclesiae clavibus sint subiicienda, sive his feliciter deficientibus), quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt ». De mortalibus autem directe iam remissis per sacramentum poenitentiae, hoc ultimum eruitur quoad Novi Test. legem ex verbis Domini apud Ezechiel [1] dicentis: « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea (inter quae ipsa est sacramentalis confessio)... vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor ». Attamen sunt illa peccata sufficiens materia, quia poenitentis actus de illis vere possunt habere locum atque clavium usus per sacramentum poenitentiae obtinere semper aliquem effectum. Ac revera, ut ait D. Th. [2]: « duplex est poenitentia, scilicet interior et exterior. Interior quidem poenitentia est qua quis dolet de peccato commisso, et talis poenitentia debet durare usque ad finem vitae (hoc sensu): semper enim debet homini displicere quod peccavit; si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructum veniae perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita; post hanc autem vitam sancti non sunt susceptivi doloris; unde displicebunt eis peccata praeterita sine omni tristitia, secundum illud (Is. LXV, 16): Oblivioni traditae sunt angustiae priores ».

Sed, animadvertatur quoad dolorem ac propositum in poenitente circa peccata mortalia directe remissa, « quod poenitere dicitur dupliciter, secundum actum et secundum habitum... et hoc posteriori modo oportet quod homo continue poeniteat, et quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium poenitentiae faciat (etiam secundum voluntatem) per quod habitualis dispositio poenitentis tollatur (et ecce propositi firmitas), et quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere quod semper sibi praeterita peccata displiceant » [3], unde data opportunitate contritionis actum elicere potest. — « Poenitentia vero exterior est qua quis exteriora signa doloris ostendit, et verbo tenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi, et iuxta eius arbitrium satisfacit; et talis poenitentia, ut ait D. Th. [4], non oportet quod duret usque ad finem vitae, sed usque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati ». Sed cum haec coram Deo sit nobis ignota, et ex alia parte poenitentia illa exterior quemdam effectum obtinere queat etiam exhausta peccati mensura, quia ut ibidem subiungit Angelicus (ad 1[m]) « vera poenitentia non solum removet peccata praeterita, sed etiam praeservat hominem a peccatis futuris. Quamvis igitur homo in primo instanti verae poenitentiae remissionem consequatur praeteritorum peccatorum (quoad culpam et post sufficientem satisfactionem quoad poenam debitam pro eis) oportet tamen in homine perseverare poenitentiam, ne iterum incidat in peccatum »; quod etiam est effectus gratiae sacramentalis remissivae ac satisfactionis ea occasione iniunctae. Unde patet semper peccatorem posse fructuose poenitentiae sacramentum suscipere de mortalibus post baptismum, etsi haec directe ac certe per Ecclesiae claves remissa ei sint.

[1] XVIII, 21, 22. — [2] 2[a] 2[ae] q. LXXXIV a. 8 c. — [3] Loc. cit. art. 9, c. — [4] Loc. cit. a. 8, c.

232. Confessionis modus quoad interpretis usum. — S. Congr. de Prop. Fide [1] approbavit et confirmavit decretum theologorum ab ipsa deputatorum ad examinandum dubium a Vic. Patriarchali Constantinopolitano propositum de Confessione per interpretem, nempe: « Quamvis docente Sac. Trid. Synodo nullo sit divino praecepto mandatum, nec satis consulto lege aliqua humana praecipi possit ut delicta, praesertim secreta, publica confessione aperiantur, tamen visum est Patribus deputatis, eidem SS. Synodo inhaerentibus, eos qui volent sponte per interpretem confiteri, nec aliter possunt, non debere per Vicarium Patriarchalem prohiberi; cui sufficiet praecavere abusus et scandala, et curare ut interpretes admoneantur de obligatione ad observantiam secreti ».

Hoc decretum in omnibus eius determinationibus continetur saltem implicite ut generalis lex in *can. 903. Qui aliter confiteri non possunt,* scilicet: servato modo per seq. definitionem Conc. Trid. approbato [2]: « Si quis... dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit ». Qui proinde modus manu tenetur in canone, nisi obstet impossibilitas physica vel moralis v. gr. ob nescientiam in confessario de idiomate poenitentis atque vicissim, nec tertium idioma utrisque notum sit, absente altero confessario aut qui adiri nequeat nisi cum incommodo vere gravi, vel mutus sit poenitens qui tantum signis a confessario ignotis suam conscientiam pandere possit, praedicti ergo sub clausula generali *non prohibentur*, nam ut ait Conc. Trid. [3]: « quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda », unde recte subiungitur in canone: *si velint*, tum ad confessionem ob praeceptum peragendam, tum sine praecepto; et quamvis illud praeceptum divinum sit, cum hoc in casu ob illam impotentiam sufficeret ad recipiendam absolutionem integritas formalis, declarato per

[1] C. G. 6 Sept. 1630, coram Ssmo. — [2] Sess. XIV, can. 6. — [3] Sess. XIV, cap. 5.

signum aliquo peccato, dummodo ceterae dispositiones per exteriorem humilitatem aliquo modo ostenderentur.

Possunt ergo illi *per interpretem* ad supplendam impotentiam declaratam *confiteri*, id est: sacramentaliter conscientiam declarare sacerdoti confessario, sive interpres ille sit sacerdos non confessarius, sive clericus alius, religiosus, laicus baptizatus, vir aut per se femina; sed limitatio deducenda singulis in casibus ex clausula: *praecavendo* a) *abusus*, ne illud fiat sine vera impossibilitate, ne alii possint audire, ne putent videntes hoc fieri absque necessitate, *et* b) *scandala*, non admittendo feminam, dum adsit vir bonus interpres, nec interpretem de cuius competentia et honestate convenienti non constet, nec illum qui probabiliter scandalum ex confessione sequutura pateretur, vel demum, sicut feminae ut plurimum, moraliter certo non expectetur adimplementum finalis clausulae: *firmo praescripto can. 889, § 2*, ibi explicato servandi sacramentale sigillum, et de qua obligatione esset interpres a confessario monendus, nisi iam certo ille sciat. Clausula vero penultima quoad exequutionem est a confessario praecipue servanda, et a rectore Ecclesiae pro munere suo, sed quoad normas generales et in casibus quoque auctoritative ab Ordinariis, qui ceteroquin, ut aiebat Dec^m. S. Congreg^s, prohibere nequeunt quod ab hoc canone sic declarato conceditur.

233. **Denunciatio peragenda rei sollicitationis in confessione.** — Bened. XIV in const. sub seq. can. conservata dicit motivas illius causas: ne « quod in salutem, et curationem animarum, a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est (Sacramentum Poenitentiae), execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate, in earum perniciem atque interitum vertatur ». Et postquam in §° 1° memorat « a fel. rec. Greg. XV per suas litteras in forma Brevium sub datum 30 Aug. 1622 sapienter provisum fuisse contra quoscumque sacerdotes » praedictos, ait: « et deinceps... ad earum interpretationem ac declarationem, plura subinde e Congr. S. Inquisitionis sub die 11 Febr. 1661 prodiisse decreta, et a rec. mem. Alex. VII in eadem Congr. 24 Sept. 1665 coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate et SS. Patrum doctrina alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandae, damnatae et prohibitae fuerunt ». — His igitur memoratis subiungit: « Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, (atque secunda est haec ratio constitutionis, sicut tertia sequens) et decorem Sanctae Ecclesiae Dei retinendum, intersit, ne aliqui Sacerdotes Poenitentiae sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, Motu proprio praefatas litteras huius-

modi ac decreta praedicta tenore praesentium confirmamus, illisque singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus ».

Dispositiones const. Benedictinae respiciunt: — I° « ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei iniuriosum maneat impunitum », procedendi modum ac iudicum designationem, ubi etiam circumstantias sub quibus singulis delictum illud existat, recenset; — II° denuntiandi obligationem in poenitentibus et connexam obligationem cuiuslibet horum confessarii; III° calumniae de hoc crimine reservationem, quam perpendimus in cap. praec.; — IV° in duobus aliis §§is limitationem absolutam iurisdictionis quoad « confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi », supra in can. 884 ubi de iurisdictione sacramentali explicatam, ac demum censuram specialissime reservatam in contravenientes decernit. Denique praeter praeceptum adhuc vigens, uti sub ss. canonibus de hac re implicitum (can. 6, n. 6°), Ordinariis locorum directum de cura et admonitione servandis « in approbatione confessariorum », quod adimplere possunt in approbationis seu concessionis iurisdictionis formula, cetera quae sequuntur in constitutione sunt sapientes exhortationes.

His praesuppositis, veniamus ad commentarium *can. 904* incipientis per consuetam formulam: *Ad normam*, qua in Codice exprimitur salvam eam manere, ac iuxta eam sequens praescriptum explicandum esse ac intelligendum, et in praesenti canone: *constitutionum apostolicarum*, quas noscimus const^s. Gregorii XV et Bened. XIV continentes alia Decreta, quae proinde omnia vigent iuxta can. 6 in n. 6° ubi dicitur: « Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, (ergo illa praedicta, quae implicite saltem in hoc canone continentur, vigent), ea vim omnem amississe dicenda est », cum aliis exceptionibus. Imo, cum ex can. cit. sub n°. 2°: « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi »: et sub 8° solum « qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi », sequitur adhuc valere probatorum auctorum receptas doctrinas de huius canonis praescripto atque authenticas interpretationes illarum constitutionum ac ut in canone subditur: *et nominatim constitutionis Benedicti XIV Sacramentum poenitentiae, 1 Iun. 1741* relatae in Codice hac de causa sub Docum. V, quae omne ius complexa est ac complevit, et qua praecipue utemur in canone explicando.

Quemadmodum canon praescribit: *debet*, nisi dispensationem obtineat, *poenitens*, « quaecumque persona illa sit » vir aut mulier etiam impubes, puellaque ob animi candorem nihil pravi intelli-

gens, *sacerdotem*, « tam saecularem quam regularem quomodolibet exemptos, ac Sedi Aplcae. immediate subiectos, quorumcumque Ordinum. Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio, et indulto munitos »... « etiamsi sacerdos sit qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat » nunc vel tempore patrati delicti (non alium clericum vel laicum, qui « ad ordinem sacerdotalem non promotus » declarandum crimen commiserit agens simul adversus can. 2322, 1°) *reum delicti*, nempe: « externae et moraliter imputabilis legis (huius) violationis cui addita est sanctio canonica » in can. 2368, § 1, proindeque cum gravi culpa, *sollicitationis* non ad quaecumque peccata, sed eum qui « ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverit », (atque huc pertinet prop. 6 sub Alex. VII damnata de confessario, « qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam »), et comprehenditur quoque sub illo delicto si « cum eis (poenitentibus) illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerit », dummodo eorum aliquid evenerit *in confessione*, non in alterius sacramenti administratione, videlicet: *a*) « vel in actu sacramentalis confessionis » inceptae, licet haec non perfecta fuerit, *b*) « vel ante, vel immediate post confessionem », ita ut inter sollicitationem et sacramentalem confessionem nullum intervallum nullave actio intercedat, *c*) « vel occasione confessionis » ex qua vere petita, aut vere facta sacerdos ansam sumit ad sollicitandum, *d*) « aut praetextu confessionis » eo forsan unico fine propositae ad sollicitandum, vel ficte ex alio quoque motivo, *e*) « vel etiam extra occasionem confessionis », sed praecise propter locum qui confessionem designet, scilicet: *a*) « in confessionali » ex forma eius ad excipiendas confessiones deserviente ac sito ad hunc scopum, *b*) « sive in alio loco » forsitan absque propria confessionalis forma, sed « ad confessiones audiendas destinato », ergo habitualiter, v. gr. surdorum, quarumdam personarum, *c*) « aut electo » ad casum, non deserviente ordinarie ad hunc usum, v. gr. in cella religiosi, sub sequenti tamen conditione pro clausulis sub littera *e*) positis: « cum simulatione audiendi ibidem confessionem », quae nempe apparens auditio cete-

roquin ficta ex actu aliquo externo colligatur prudenter, v. gr. ex auris applicatione velut audiendo poenitentem.

Utilitate non carent duo responsa Congreg. S. Officii ex Declaratione 11 Febr. 1661: Ad 12^m. « An confessarius si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? — Censuerunt Emmi. PP. si illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem ». Prudenter tamen illud erit cavendum. — Ad 16^m « An denuntiandus sit confessarius, qui, audiens confessionem, dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitare? — idem responderunt quod ad duodecimum ».

« Poenitens » igitur supra designatus « debet » quamvis de ipsius consanguineo agatur denuntiando, vel iuramentum promissum intervenerit, « reum » declaratum hucusque, *intra mensem* utilem, qui « intelligitur ita ut ignoranti aut agere non valenti non currat » (can. 35), et computandum ad normam can. 34, § 3, 1°, 3° et 4°, *denuntiare* idest: rem notam facere, sive per seipsum, etsi scriptura non anonyma, vel per aliam personam v. gr. bonum confessarium ad hoc delegatum, sed talibus expositis circumstantiis, ut sacerdos reus bene notus fiat quantum possibile sit, disiunctive: *loci Ordinario*, nempe: ubi delictum est patratum, quia « ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti (can 1566, §§ 1 et 2), licet post delictum reus e loco discesserit », nam altera « ratio domicilii vel quasi-domicilii » (can. 1561) multoties ignota vel dubia erit, ceterae autem competentis fori rationes locum non habent in his casibus; *vel Sacrae Congregationi S. Officii*, quae est etiam Tribunal in Curia Romana unice competens « de hoc delicto quod sibimet secundum propriam eiusdem legem reservatur » (can. 247, § 2), loco « haereticae pravitatis inquisitorum » de quibus loquitur Const. Benedictina et qui in desuetudinem abierunt.

Sequitur canonis secunda pars, quae respicit confessarios directe, ex qua tamen completur praedictae obligationis poenitentium explicatio. Subditur in canone: *et confessarius debet*, seu ut dicitur in const. cit. § 2: « Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari », ut in canone: *graviter onerata eius conscientia*, etiamsi futurum esse praevideat, ut persona denuntiare renuat. Et « qui de hac obli-

gatione poenitentes suos non admonent, debent puniri » [1]. — Quid debeat confessarius, sic dicitur: *de hoc onere* denuntiationis expresso supra in canone *poenitentem,* etiamsi semel apud se confiteatur, sed « quem noverit fuisse ab alio sacerdote, ut supra, sollicitatum se- « dulo » *monere* postquam examinaverit poenitentis conditiones sinceritatis ac certam existere illam denuntiandi obligationem, quae supponit de sollicitationis crimine plane constare: tunc monitio erit facienda « de obligatione denunciandi, etiamsi sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit ». Et hic animadvertatur modus servandus seu solutio cuiusdam difficultatis pro casu in poenitente, secundum Decretum S. Officii [2]: « Si mulier consentit confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum manifestare, nec potest super hoc ab Episcopo interrogari ».

Denique viget ultimum §[i] 2[i] const[e]. comma: « Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant »; ita ut prudenter eis credi possit, quia v. gr. nunc primo illam cognoscunt obligationem. De hac re ampliorem ac practicam doctrinam invenire quis potest apud Auctores moralistas probatos, qui multiplices de hac re declarationes inserere solent.

234. **Ius fidelis quoad confessarii electionem.** — Iuxta can. 1 exceptionem, cum « de iis agatur, quae ex ipsa rei natura (utpote favorabili et expressa) etiam Orientalem afficiunt » Ecclesiam, edicit *can. 905. Cuivis fideli* clerico, laico, religioso utriusque sexus *integrum est* quod ad canones attinet, proinde horum quoad iurisdictionem limitationibus ac normis servatis, *confessario legitime approbato,* quae approbatio praesupponitur a fidelibus quando sacerdos ut confessarius se sistit, aut esse huiusmodi asserit, *etiam alius ritus* ac poenitentis fidelis, non tantum ratione liturgiae romanae diversae, sed etiam orientalis pro poenitente latino, et latinae

[1] Instr. S. Off. 20 Febr. 1867, n. IV. — [2] 27 Sept. 1624.

aut alius orientalis pro poenitente alterius ritus orientalis, dummodo ille confessarius iurisdictionem habeat pro territorio, non directe pro personis determinati ritus, *cui maluerit* fidelis (unde hoc ius ei recognoscitur non laedendum a quocumque), electo, ut dictum est, *peccata sua confiteri* etiam pro adimplendo praecepto divino aut ecclesiastico, vel sine ulla obligatione.

235. **Praeceptum ecclesiasticum annuae confessionis.** — Tanquam fundamentum interpretationis seq^{s}. can^{s}. « Omnis utriusque sexus ..., » congruentis in eius prima parte de verbo ad verbum cum cap. 12 « de poenitentiis et remissionibus » (V, 38) ex Conc. Lateranen., recolendum est Conc^{i}. Trid^{i}. cap. 5 sess. XIV in fine: « neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur ». Determinavit ergo tempus adimplendi praeceptum divinum. Unde sequitur illos ad praeceptum ecclesiasticum obligari, et eo modo quo ad divinum praeceptum sint adstricti. — Prosequitur Conc. Trid. « unde iam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, et maxime acceptabili tempore quadragesimae »; ac notetur nondum esse pascha incoeptum sicut vidimus: « quem morem haec S. Synodus maxime probat, et amplectitur, tamquam pium, et omnino retinendum ». Non tamen idipsum iubetur.

Can. 906. Illo posito fundamento, clausula: *Omnis utriusque sexus fidelis* intelligenda est de singulis, qui praecepto divino directe afficiuntur, eo quod per validum baptisma in Ecclesiam ingressi sunt, sed *postquam ad annos discretionis*, quod authentice interpretatum fuit in Dec°. « Quam singulari » S. C. de disciplina Sacramentorum [1] sub n° « 1. Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad s. communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis », quae declaratio in canone inseritur dicente: *idest ad usum rationis pervenerit*, et recte plane, quia tunc non prius potest homo in grave personale peccatum incidere, propter quod ad confessionem ex iure divino manebit obligatus, prout in can. 901 explicatum est. Ex tunc ergo *tenetur omnia peccata sua* iure divino clavibus Ecclesiae subiicienda iuxta citati can. declarationem: quicumque ergo illa non habet, praecepto

[1] 8 Aug. 1910. CO. II, 577.

huius canonis non ligatur. — Sequitur: *saltem semel in anno,* nec maior fit temporis determinatio, posita de annuali communione in can. 859, utpote non necessaria ob hunc et alios canones; atque « annus » absolute enuntiatus ex communi loquendi usu decurrit a die 1 Ian. ad diem 31 Dec. — Sunt qui opinantur decurrere a Paschate ad Pascha, vel a commisso primo peccato iuxta dicta confitendo ratione huius praecepti. Harum opinionum quaelibet sequi potest, quia dum singulis annis fit obligatoria secundum explicationem confessio, sufficit substantialiter impleri ad normam can. 32, § 2. « In iure nomine anni venit spatium 365 dierum, nisi... annus dicatur sumendus prout est in calendario », et quia non « designatur » hic vel alter annus in canone, aptari ei nequit can^{s}. 34, § 1. « Si annus designetur proprio nomine vel aequivalenter, ex. gr. anno proxime futuro, sumatur prout est in calendario ». — Praescriptum vero canonis perficitur his postremis verbis: *fideliter confiteri,* prout scilicet iure divino facienda confessio praecipitur. Christus autem Dominus directe dedit ac explicite absolvendi facultatem iudicialiter quidem exercendam, proindeque ad illum finem consequendum confessionem iniunxit. Quod in can. IX Conc. Trid. (sess. XIV De poenitentia) sic exprimitur: « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem:... aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit, anathema sit ». Quod explicatur in eiusdem sess. cap. 5 supra citato ad can. 870. Confessio ergo ita facienda est ut obtineatur reconciliatio cum Deo per sanctam absolutionem. Merito proinde fuit damnata ab Alex. VII prop. « 14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae ».

In canone sunt omissae duae clausulae cit^{1}. cap^{s}. « Omnis utriusque sexus » Decretalium ex Conc. Lateranensi. Ibidem addebatur: « proprio sacerdoti », quod recte intelligendum erat de sacerdote, qui ordinariam vel subdelegatam iurisdictionem haberet in illum fidelem, non tantum de proprio parocho vel Ordinario. Sic vitantur propositiones Ioannis de Polliaco damnatae a Ioanne XXII in Const. « Vas electionis » [1] 1. « Quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti ». 2. « Quod

[1] 25 Iul. 1321.

stante " Omnis utriusque sexus ,, edicto in Conc. Gener., Romanus Pont. non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialem curatum. Immo nec Deus potest hoc facere; quia... implicat contradictionem ».

Hinc apparet clausulam eam manere uberius explicatam in praec^{s}. canonibus cap^{s}. I. Recte igitur fuit hoc in canone omissa, sicut altera « et iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere », quae generaliter est inserta sub can. 887 et ibi declarata.

235 ^{bis}. **Modus adimplendi quodlibet praeceptum de confessione.** — Postremae canonis praec^{s}. clausulae connectitur eiusdem ampliatio in *can. 907. Praecepto confitendi peccata,* sive divino, sive ecclesiastico, sive per legitimum imposito Superiorem, sive illud praeceptum sit directe seu per se respiciens confessionem v. gr. pro peccatore in mortis periculo, sive hanc per accidens seu indirecte requirens, v. gr. pro conscio peccati mortalis qui obligetur communionem recipere. cuilibet igitur praecepto tali *non satisfacit*, proindeque illud transgreditur coram Deo, *qui confessionem* forsitan veram *facit* sed *sacrilegam* idest: iuxta propriam conscientiam peccans, sive ob defectum examinis gravem, sive graviter peccans confessionis tempore, sive ob reticentiam existimati vere aut falso gravis peccati accusandi, etc. *vel voluntariae nullam*, v. gr. ob defectum alicuius ex actibus a se ponendis, quae sunt poenitentiae sacramenti quasi materia, vel quia se subiicit tum confessario inepto ob surditatem vel ignorantiam evidentem, tum sacerdoti necessaria in casu iurisdictione carenti, non habens sufficientem causam ut a moralistis explicatur.

CAPUT IV.

De loco ad confessiones excipiendas.

Can. 908. - Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum.

Can. 909. - § 1. Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato.

§ 2. Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa.

Can. 910. - § 1. Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit.

§ 2. Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.

236. **Inscriptio capitis ac ordo canonum sub ipso.** — Consequenter restat *Caput IV* explicandum, quod inscribitur *De loco* duplici nempe: veluti aede sacra vel non, intra quam poenitentia ministretur, ac etiam de sedis conditionibus in qua residens sacerdos paratus est *ad confessiones excipiendas* fidelium pro sacramentali absolutione accedentium. De priore statuit can. 908, de altero loco can. 909, ac ultimus seu can. 910 de utroque exceptiones legitimas edicit. — Adnotanda est omissio « de tempore », quod sub aliis titulis in simili inscriptione additur, quia nulla est de illo limitatio vel prohibitio, ut patet ex Dec°. S. C. Rit. [1] in Tricarien.: « Utrum liceat in fer. VI in Parasceve et in Sabbato Sancto ante Missam audire confessiones fidelium in cathedrali aliisque ecclesiis parochialibus; et an consuetudo contraria, quae id reprobet, sit retinenda? — R. Affirmative; et assertam contrariam consuetudinem omnino reprobandam ».

237. **Locus intra quem poenitentiae sacramentum est perficiendum.** — *Can. 908. Sacramentalis confessionis* de qua in praec. capite atque ad absolutionem peccatorum virtute clavium ordinatae, *proprius locus* eius tamquam sacramento decens *est* disiunctive a) *ecclesia* definita in can. 1161, *vel oratorium* b) *publicum aut c) semi-publicum*, quae loca sacra definiuntur in can. 1188, in quo invenitur etiam alia species oratorii, legitur enim sub § 2. « Est vero oratorium... 3° Privatum seu domesticum, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum est ». In hoc ergo vi huius canonis hoc sacramentum poenitentiae ministrandum non erit.

238. **Sedis confessionalis dispositio.** — Rit. Rom. [2] sic disponit: « Sacerdos... habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat; quae sedes patenti, conspicuo, et apto Ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem sit instructa ». Hanc liturgicam legem conservat et nonnulla eius verba exponit *can. 909.* § 1. *Sedes confessionalis* sic dicta ob eius destinationem iuxta capitis inscriptionem declaratam, *ad audiendas mulierum confessiones*, quin ad eas coarctetur, sed hinc approbatur implicite consuetudo audiendi confessiones virorum v. gr. in sacristia, in choro extra sedem hanc confessionalem,

[1] 17 Dec. 1875, Collect. S. Congr. de P. F. n. 1451. — [2] Tit. III, C. 1, n. 8.

de qua in canone praescribitur: a) *semper*, nulla exceptione hic admissa, *collocetur* stabili modo vel ad casus *in loco* b) *patenti* ex se omnibus, qui locum sacrum visitant, c) *et conspicuo,* quia facile ab eis aspici potest, *et generatim,* quod adverbium videtur adiectum propter §[1] finem, et ob admittendam exceptionem in casu necessitatis, in loco « sacramentalis confessionis proprio » (can. 908), id est: a) *in ecclesia vel oratorio* b) *publico* c) *aut semipublico*, attamen hoc postremo non quocumque, sed *mulieribus destinato*, quamvis secundum oratorii semi-publici definitionem ad normam can[s]. 1188, § 2, 2° « illud adire » viris quoque nonnullis permissum fuerit; sed non in oratorio his tantum destinato, nisi per exceptionem iuxta verbum « generatim » supra adhibitum.

§ 2. *Sedes confessionalis* iuxta §[1] 1[1] explicationem, quamvis hoc non determinetur in hoc §°, *crate fixa*, quae nempe ab aliis partibus sedis moveri non possit, additurque verbum Ritualis, *ac tenuiter perforata*, idest: per totum sed minutis foraminibus, *inter poenitentem et confessarium* seu inter eorum facies *sit instructa.* Nec maius tutamen in crate pro religiosarum confessionibus est ullibi praescriptum. Bene monet D'Hert, convenienter disponi sic confessionale, ut sit poenitens omnino separatus ob illius sedis dispositionem a confessario.

Concordat huius canonis interpretationi, eamque authentice declarans confirmat Pont. Commiss. quando ad Dubium:[1] « Utrum can. 909, § 2: (et citat textum), pro mulieribus tantum; an generaliter pro poenitentibus uti forma propria audiendi confessiones in ecclesiis et publicis oratoriis sit servanda. — Resp.: Negative ad 1[am] partem, affirmative ad 2[am], firmo tamen praescripto canonis 910, § 2 », quod huic can. 909 non adversatur.

239. **Exceptiones quoad utrumque locum.** — Rit. Rom.[2] iubet his verbis: « Sacerdos in ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare ». Haec « liturgica lex expresse corrigitur » (can. 2) partialiter in sequenti *can. 910*, cuius § 1[us] sequens christianam prudentiam est huius tenoris: *Feminarum confessiones* iuxta cap[s]. inscriptionem *extra sedem confessionalem* moderatam quoad eius dispositionem ac situm

[1] 24 Nov. 1920 » De sede confessionali ». CO. XII, 576. — [2] Tit. III, Cap. I, n. 7.

in can. 909, ac consequenter extra loca sacra ibi designata, *ne audiantur*, tamquam generalis prohibitio, quae admittit legitimas exceptiones sub duplici servanda conditione. nempe: *nisi* a) *ex causa* disiunctiva *infirmitatis*, quae poenitentem confessionali adesse impediat, imo forsitan locum sacrum adire, *aliave* causa *verae necessitatis* contrarium huic normae generali peragendi, b) *et adhibitis cautelis* ex canone indeterminatis, sed *quas Ordinarius loci* propter huius, temporum, ac personarum communes circumstantias *opportunas iudicaverit;* fortassis iubens ac determinans quod in Rit. Rom. (loc. cit.) Sacerdoti commendatur.

E contra declarat § 2. *Confessiones* ut supra *virorum etiam in aedibus privatis* poenitentium vel aliorum, extra oratorium quoque domesticum, vel magis convenienter in eo, si adsit, *excipere licet*, iure quidem ecclesiastico, nec « causa rationabilis » ex Rit. Rom. est inspicienda.

CAPUT V.

De indulgentiis.

Art. I. — *De indulgentiarum concessione.*

Can. 911. - Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii.

Can. 912. – Praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure concessum est.

Can. 913. - Inferiores Romano Pontifice nequeunt:

1.° Facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum;

2° Indulgentiae concedere defunctis applicabiles;

3° Eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint, alias adiungere, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.

Can. 914. - Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiri possunt Episcopi, in sua quisque dioecesi bis in anno, hoc est die sollemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo sollemni ab ipsis designando, etiamsi iidem Missae sollemni adstiterint tantum; Abbates autem vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti Apostolici, etsi episcopali dignitate careant, id possunt in suis territoriis uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus.

Can. 915. - Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat.

Can. 916. - Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii ac Praefecti Apostolici et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria.

Can. 917. - § 1. Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratae.

§ 1. Omnia altaria ecclesiae per seo dies quibus in ea peragitur supplicatio Quadraginta Horarum sunt privilegiata.

Can. 918. - § 1. Ut indicetur altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur, nisi: *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba.

§ 2. Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi Missae eleemosyna.

Can. 919. - § 1. Novae indulgentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci.

§ 2. In edendis libris, libellis, etc., quibus concessiones indulgentiarum pro variis precibus aut piis operibus recensentur, servetur praescriptum can. 1388.

Can. 920. - Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earumdem concessionum ad Sacram Poenitentiariam deferendi.

Can. 921. - § 1. Indulgentia plenaria concessa pro festis Domini Nostri Iesu Christi vel pro festis Beatae Mariae Virginis, intelligitur concessa dumtaxat pro festis quae in calendario universali reperiuntur.

§ 2. Concessa indulgentia plenaria vel partialis pro festis Apostolorum,

Art. I. De indulgentiarum concessione

- descriptarum cum distinctione — Can. 911
- facienda
  - per quosdam Praelatos — » 912
  - sub quibusdam limitationibus — » 913
- cum benedictione papali data
  - per locorum Ordinarios — » 914
  - per Regulares — » 915
- per altare privilegiatum
  - a certis Praelatis et in nonnullis ecclesiis designandum — » 916
  - a iure — » 917
  - quo modo indicandum, ac consequens vetitum — » 918
- recentiori
  - pervulganda — » 919
  - norma servanda, ut illae valeant — » 920
- interpretanda
  - quoad clausulam pro festis ac diebus — » 921
  - circa earum translationem — » 922
  - quoad tempus visitandi ecclesiam — » 923
- quandonam illae cessant vel non — » 924

intelligitur concessa dumtaxat pro eorum festo natali.

§ 3. Indulgentia plenaria concessa ut *quotidiana perpetua* vel *ad tempus* visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium ita intelligenda est ut quacumque die, sed semel tantum in anno, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur.

CAN. 922. - Indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante aut post festum vel etiam eius octavario perdurante peraguntur, translatae intelliguntur in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum Missa sine sollemnitate et externa celebratione ac translatio fiat in perpetuum, vel si transferatur sive ad tempus sive in perpetuum sollemnitas et externa celebratio.

CAN. 923. - Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit.

CAN. 924. - § 1. Ad normam can. 75, indulgentiae adnexae alicui ecclesiae non cessant, si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo.

§ 2. Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur.

240. **Inscriptio capitis ac distinctio in articulos.** — Iuxta Tituli quem commentamur distributionem, iam considerandum est *Caput V* inscriptum *De indulgentiis*, quarum elargitio adnexa est potestati clavium a Christo traditarum Petro, et per quas possumus poenae remanentis post sacramentum poenitentiae rite susceptum condonationem obtinere, atque hac de causa optime vocantur « indulgentiae » sine addito, seu antonomastice veluti « remissiones praecipuae », quia illa poena relaxatur prae aliis fugienda, propter quam secundum indeficientem Dei Iustitiam remoratur summae felicitatis adeptio. — Cum autem indulgentiae seu remissiones praedictae ab Ecclesiae auctoritate « dentur sub hac conditione, quod aliquis aliquid faciat vel det, si illud non exerceat, indulgentiam non consequitur » [1]. Hinc recte in duos articulos caput hoc distribuitur, nempe « Art. I. — De indulgentiarum concessione » et « Art. II. — De indulgentiis acquirendis ».

241. **Inscriptio articuli.** — *Art. I.* hanc fert inscriptionem *De indulgentiarum* ad sensum inscriptionis Capitis *concessione*, cuius potestatem sic edocet Conc. Trid. in Dec. de Indulgentiis (sess. XXV): « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: Sacrosanta Synodus... eos anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant ». Et D. Th. ait [2]: « Ecclesia uni-

[1] D. Th. Suppl. q. XXVII, art. 3 c. — [2] Suppl. q. XXV, art. 1.

versalis non potest errare, quia ille qui in omnibus "exauditus est pro sua reverentia „ (Hebr. V) dixit Petro, super cuius confessione Ecclesia fundata est: "Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua „[1]. Sed Ecclesia universalis indulgentias approbat et facit. Ergo indulgentiae valent ».

Huius potestatis naturam ac fundamentum sic evolvit D. Th. « Ratio autem quare valere possint (indulgentiae), est unitas corporis mystici (Ecclesiae), in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum: et multi etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt: et praecipue propter meritum Christi, quod, etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum est autem supra (in alio art°.) quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt (alias absque omni indulgentia consequeretur remissionem) sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait se "adimplere ea quae desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia ., ad quam scribit (Coloss. 1). Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem quae sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset (posita creditoris acceptatione), ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest (ex creditoris voluntate) distribuatur ».

242. **Canonum ordinatio.** — Positis in can. 911 indulgentiarum commendatione sub praescripti forma earumque descriptione ac distinctione, can. 912, 912 positive ac negative enuntiant generaliter eos, quibus datum est indulgentias concedere: subsequuntur canones duo 914, 915 de benedictione papali cum indulgentia plenaria, et alii tres can. 916-918 de altari privilegiato; positisque normis servandis (can. 919, 920) circa indulgentias praesertim recenter concessas, subnectuntur can. 921-923 de interpretatione quoad dies et horas diversarum concessionum, completurque articulus can°. 924 de ipsarum cessatione.

243. **Descriptio naturae indulgentiarum et harum distinctio.** — « Sacrosancta Synodus Tridentina (loc. cit.) indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et

[1] Luc. XXII, 32.

praecipit » ; imo eo quod « impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret » [1], et ex dictis sub inscriptionum explicatione, laudandus est sic incipiens *can. 911. Omnes*, sive incipientes, sive proficientes ac etiam perfecti, « praecipue (ut ait D. Th. loc. cit. ad 4[m]) quia quandoque sunt plurium (poenarum) debitores quam credant », imo « quamvis religiosi sint in statu perfectionis, tamen ipsi sine peccato vivere non possunt; et ideo si aliquando propter peccatum aliquod commissum sint rei alicuius poenae, possunt per indulgentias ab hac expiari. Non enim est inconveniens, si ille qui est simplicitèr superabundans, aliquo tempore indigeat, et quantum ad aliquid : et sic indigent supplemento, quo subleventur. Unde dicitur [2] : « Alter alterius onera portate » [3]. « Omnes » igitur *magni faciant* aestimatione affectus voluntatis *indulgentias*, et cum consequenti effectu eas lucrandi, contra quod praescriptum non iret, qui, dum tot indulgentiae lucrifieri queunt, non curaret has vel illas lucrari etiam data opportunitate, sed non esset immunis a transgressione aliqua qui simul faciles occasiones ut plurimum negligeret, quia tunc nihili aut parvi facere eas se ostenderet; gravem tamen transgressionem adesse praescripti censeo, si plena deliberatione in animo, verbis, facto vel omissione formaliter contemneret indulgentias.

Has optime describit canon subdens : *seu remissionem coram Deo*, imo et satisfactionem divinae iustitiae iuxta seqq[e]. propositiones damnatas, primam Lutheri a Leone X et alteram Synodi Pistoriensis a Pio VI : « 19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam », et « 40. Prop. asserens, indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti : quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam ; falsa, temeraria... ».

Contra quam falsam sententiam arguebat suo tempore D. Thomas concludentibus rationibus hoc modo : « Sed haec opinio non videtur vera. Primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est (Matth. XVI), ut quod in terra remitteret, in coelo remitteretur. Unde remissio quae fit quantum ad forum

[1] D. Th. loc. cit. — [2] Gal. VI, 2. — [3] Suppl. q. XXVII a. 2 ad 1[m].

Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Et praeterea Ecclesia huiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adiuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis (canonice). — Et ideo valent (indulgentiae) et quantum ad forum Ecclesiae et quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residuae post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit iniuncta (poena canonice), sive non » (loc. cit.). Quod sic expressit canon: *poenae temporalis* (non reatus poenae aeternae) *debitae pro peccatis*, aut venialibus aut mortalibus, sed utrisque *ad culpam* seu reatum maculae *quod attinet iam deletis*, illis saltem interna poenitentia, istis vera contritione aut valida eorum sacramentali absolutione, quod traditur etiam in const. « Unigenitus Dei Filius » Clem[a]. VI publicantis Iubilaeum[1], his verbis: « Quem quidem thesaurum... per B. Petrum coeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, ex propriis et rationalibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) *vere poenitentibus et confessis* misericorditer applicandum ».

Subdit canon: *quam* (remissionem) *ecclesiastica auctoritas* in competentibus quoad hoc Praelatis, iuxta interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas ex Bulla « Inter cunctas » [2]: « 26. Item, utrum credat, quod Papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices » et « 28. Item, utrum credat, quod singuli Episcopi, suis subditis secundum limitationem ss. cc. huiusmodi indulgentias concedere possint ». Et hoc illi faciunt *ex thesauro Ecclesiae* iam explicato per D. Thomam in articuli inscriptione adversus prop. 17 Lutheri damnatam in Bulla « Exurge Domine » [3]. « Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum », intellige: quoad vim satisfactoriam eorum actionum.

Explicit canon cum concessionis illius distinctione, dicens: *concedit* a) *pro vivis per modum absolutionis* scilicet; ex se infal-

[1] 25 Ian. 1343. — [2] 22 Febr. 1418. — [3] 15 Iun. 1520.

libilis iuxta Christi commissionem, eo quod viventes tantum clavigerae potestati Ecclesiae subiiciuntur; attamen « ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo (bene notetur), a debito poenae; sed (a poena subeunda, eo quod) datur ei unde debitum solvat ». Et sic intelligitur « quod effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus: et hic effectus non inducitur (directe) per indulgentias; sed lucrans indulgentias poenam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiae communibus, ut ex dictis supra patet ». Ita D. Th. [1]. Denique b) *pro defunctis per modum suffragii*, quatenus effectus pendet a Divinae Misericordiae acceptatione, sed illis prosunt secundum praxim Ecclesiae, sicuti apparet in prop. 22 Lutheri per Leonem X damnata: « Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet: *mortuis*, seu morituris... etc. ».

244. **Quinam possunt indulgentias concedere potestate ordinaria.** — Ecclesiae « clavis, sicut supra dictum est, est duplex, scilicet ordinis et iurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est (scilicet: ad sacramenta pertinens): et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo; ideo non potest taxare sacerdos quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittatur; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. (Ergo ad illam clavem non reducitur indulgentiarum concessio, quae tamen, utpote auferens poenae obstaculum pro ingressu in coelum ad claves Ecclesiae reducenda est). Sed clavis iurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus eius arbitrio hominis (potestate praediti) subiacet: et huiusmodi clavis effectus est remissio, quae est per indulgentias; cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae ». Ita D. Th. [2]. — Hinc patet quam fundatus sit aiens *can. 912. Praeter Romanum Pontificem*, nempe: ipse principaliter potest, nam « papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno » [3], *cui* proinde *totius spiritualis Ecclesiae thesauri*, de quo supra, et in qua « tota est indeficientia meritorum (seu operum cum vi satisfactoria), praecipue propter meritum Christi » [4], *a Christo Domino commissa est dispensatio* seu administratio, unde a potestate spiritualium administrativa directe seu

[1] Loc. cit. ad 2[m] et 3[m]. — [2] Supp. q. XXV, a. 2 ad 1[m]. — [3] Loc. cit. q. XXVI, a. 3 c. — [4] Loc. cit. a. 1 c.

immediate illa indulgentiarum concessio exercetur. — Igitur praeter Christi in terris Vicarium, *ii tantum*, exclusis ergo aliis Ecclesiae Praelatis, *possunt* valide *potestate ordinaria*, sic vocata in similitudinem potestatis ordinariae (quam moderantur canones Tit. V, Lib. II) tum ordinis, tum iurisdictionis, ut ibidem expositum fuit, et cui posteriori adnexa est multoties illa, qua possunt *indulgentias elargiri*, sed potestas haec ordinaria competit *quibus id expresse* (alias non asserenda) *a iure* sive Codicis, sive alterius imposterum Pontificiae dispositionis *concessum est*. Ipsi enim [1] « Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus praepositi: propter quod eos solos in suis litteris papa *fratres* vocat; reliquos autem omnes vocat *filios*. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in papa, quia potest facere, prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papae. Et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum; et non amplius ».

Haec taxatio ultimo fuit statuta per Dec. Pii X auctoritate editum [2] his verbis: « ut, in posterum Emi. PP. Cardinales, in suis titulis aeque ac dioecesibus, bis centum, Archiepiscopi centum, atque denique Episcopi quinquaginta dierum indulgentiam elargire valeant, dum tamen serventur cuncta huc usque ab iisdem servata in huiusmodi indulgentiarum elargitionibus ». Illaque determinatio retinetur in Codice iuxta modum explanatum in ss. cann. 239, § 1, 24° de S. R. E. Cardinalibus, 274, 2° de Metropolitis vel Archiepiscopis, 249, § 2, 2° de Episcopis, his et istis residentialibus, sed utrique tantum eorum subditis, provinciae saltem cui praesunt, possunt indulgentias elargiri iuxta seq. Declarationem S. Congrs. Indulgentiarum [3]: « 2. Potestne Episcopus fidelibus dioecesis non suae Indulgentias concedere si Ordinarius loci consentit? potestne tolerari huiusmodi praxis si nihil aliud intenditur nisi ut per maiorem numerum Praelatorum Indulgentias concedentium summa dierum Indulgentiarum eidem actui devoto adnexarum multiplicetur? Ad 2, Negative ad utrumque ».

Nec sufficit ut sint Episcopi titulares ad potiendum tali potestate, nam in eod. Dec°. habetur « 4. Potestne Episcopus in partibus infidelium

[1] Suppl. q. XXVI, a. 3, corp. — [2] 28 Aug. 1903. — [3] 12 Ian. 1878, Collect. de Prop. Fide, n. 1026.

(seu Titularis) quamvis auxiliarius Ordinarii alicuius Dioecesis Indulgentiam quadraginta dierum concedere sicut Dioecesanus?... Ad 4 Negative». Idque habetur expresse in cit. can. 349, § 2, 2°.

Ea tamen Episcoporum potestas cum eadem taxatione in Codice fuit extensa ad Vicarios et Praefectos Aplcos. «etiam (ad eos) iis qui charactere episcopali carent» (can. 294, § 2), ac de Abbate vel Praelato *nullius* dicitur in can. 323, § 2: «Si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, praeter alia munera quae in can. 294, § 2 describuntur, potest... etc.».

Et per hos canones derogatum est cap. «Accedentibus» 12 de excessibus Praelatorum (V, 31), in quo Innoc. III ait: «Praesenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se praesumat extendere... nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa, super huiusmodi valeat se tueri».

Citatorum canonum possumus desumere rationabile fundamentum ex doctrina D. Th.[1]: «Et ideo, (quia ibi praevie probatur) solus ille qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentias facere. Sed cum Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio autem hominum sit duplex; scilicet oeconomica, sicut illi qui de una familia sunt, et politica, sicut illi qui sunt de uno populo: Ecclesia (universalis et particularis) assimilatur congregationi politicae, quia ipse populus Ecclesia dicitur; sed conventus diversi, vel parochiae in una dioecesi assimilantur congregationi in diversis familiis, vel in diversis officiis. Et ideo solus episcopus (eademque ratione in Codice Abbas vel Praelatus Apostolicus) proprie praelatus Ecclesiae dicitur: et ideo ipse solus (cuius territorium est institutum ad normam juris divini circa Ecclesiae constitutionem) quasi sponsus (vices Sponsi celestis gerens) annulum Ecclesiae recipit: et ideo solus ipse (idem ad normam iuris communis asserendum de supradictis Praelatis) habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum, et iurisdictionem in foro causarum quasi persona publica; alii autem, secundum quod ab eo eis committitur (saltem per designationem personae ab eo dependentis ac fortassis ad eius nutum). Sed sacerdotes qui plebibus praeficiuntur, non sunt simpliciter praelati, sed quasi coadiutores; unde in consecratione sacerdotum episcopus dicit: "Quanto fragiliores sumus tanto magis auxiliis his indigemus,,: et propter hoc etiam non omnia sacramenta dispensant. Unde sacerdotes parochiales, vel abbates (de regimine, utpote monasterii sui iuris, prius vocati a D. Th. "conventus,,), aut alii huiusmodi praelati (non proprie, sed vi nominis tanquam praefecti) non possunt indulgentias facere».

Praeterea in cap. «Cum ex eo» 14 de poenitentiis et remissionibus (V, 38) «decernitur, ut cum dedicatur Basilica, non ex-

[1] Suppl. q. XXVI, a. 1 c.

tendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur,... ». Quod sequitur pro anniversario dedicationis censemus fuisse corrigendum iuxta Dec. cit. Pii X, prout nunc certo tenendum est ob can. 1166, § 3, in quem huius canonis norma est translata, scilicet: « *ac deinde* in anniversario dedicationis tempore *quadraginta dies* (nunc: 200, 100, 50 respective) de iniunctis poenitentiis indulta remissio non excedat ». Et in c. *Nostro postulasti* 15 eiusdem Tit. Honorius III « *respondet*, quod per provinciam *suam* libere *potest* (Archiepiscopus) *remissionis generales* concedere litteras: (idest: elargiri indulgentias): ita tamen, quod statutum generalis Concilii non *excedat* ». Videlicet sic exprimitur istud in c. 14 citato: « *40* quoque dierum numerum indulgentiarum litteris praecipimus moderari, quae pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur ». Forsitan fuerat hic numerus corrigendus, ut antea fecimus ob Dec^m. Pianum quoad Archiepiscopum per provinciam, sed ad vitandam iuris correctionem, verius negative. Codex tamen qui potuit, hoc ipsum correxit. Denique omnino sciendum c. 3 eod. tit. in 6° huius tenoris: « Indulgentias, quae ab uno, vel pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus (notetis bene), vel aliis quibuscumque casibus conceduntur: vires non obtinent, si statutum excesserint *concilii generalis* » (nunc dicendum: *iuris vigentis*).

245. **Facultates Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum** plures alias indulgentias plenarias elargiendi continentur in omnibus quinque formulis atque sub eodem tenore. Sunt sequentes: (Form. tertia maior): — « 33. Concedendi ut, servatis consuetis conditionibus (scilicet: confessionis, communionis, atque orationis iuxta intentionem Romani Pontificis, necessariis ad lucrandam) *Indulgentiam plenariam* (cuius notionem invenies in commentario can. 926) *a*) in *primae Communionis* solemni (non privata, neque uni tantum alterive puero, nam est additum) distributione, *b*) et in s. Confirmationis administratione, (quarum alterutra receptio est conditio specialis necessaria, ut christifideles (quilibet) ad s. Communionem (in praefata distributione) vel Confirmationem (uti confirmandi, non uti patrini) accedentes lucrari possint ».

« 34. Concedendi *Indulgentiam plenariam* primo (idest: non eis qui relapsi fuerunt) *conversis* (ad Ecclesiam catholicam) ab haeresi, in qua baptizati et educati sunt, vel in quam defecerunt ab Ecclesia: de utrisque enim verum est quod « post receptum baptismum, nomen retinentes christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegarunt aut de ea dubitaverunt », qui iuxta can. 1325, § 2 « haeretici sunt ». His vero, ad rem quod attinet, accensendi sunt schismatici, quatenus haeresim profitentur, non vero infideles vel protestantes non valide baptizati, qui plenaria indulgentia non in-

digent propter suscipiendum baptisma quod abluit omnia. Additur in formulis « servatis consuetis conditionibus » supra declaratis, et planum est.

« 35. Impertiendi *Indulgentiam plenariam* singulis ex clero (tum saeculari, tum religioso, quamvis exemptis), qui *a)* per quinque saltem dies (mane ac vespere) *sacris Exercitiis* (meditationum, concionum, lectionum spiritualium, quaecumque ipsarum fiant in communi) interfuerint, ac, *b)* sacrosanctum Missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad S. Synaxim accedentes (etiamsi sacerdotes sint, forsitan impediti ad celebrandum), *c)* pias ad Deum preces (vocales) effuderint (pro libito, sed quinquies Pater, Ave et Gloria certo sufficerent) pro s. Fidei propagatione (taxative, quod bene notetur, insuper) et iuxta mentem Summi Pontificis », prout videtur, actualiter regnantis, cuius delegatione est indulgentia concessa.

« 36. Concedendi benedictionem Apostolicam (scilicet: in nomine Summi Pontificis) cum *Indulgentia plenaria* omnibus christifidelibus, (sub quo censu veniunt quoque religiosi exempti, iidemque missionarii qui *a)* spiritualibus Exercitiis seu (quod pro eodem sumitur) *sacris Missionibus*, de quibus in can. 1349, § 1 (scilicet: quas « ad gregem sibi commissum habendas curent parochi », aut vice-parochi vel missionarii) ultra medietatem (dierum, vel exercitiorum) interfuerint, *b)* benedictioni cum Cruce in fine postremae concionis (vel paulo post) impertiendae vere poenitentes, (idest: gratiam habentes) confessi (nisi ab hac vi can. 931, § 3 dispensentur) ac sacra Communione refecti (his omnibus praevie impletis) adstiterint, atque (prius vel postea) *c)* ecclesiam, (vel oratorium publicum, « nam haec eodem iure quo ecclesiae reguntur » can. 1191, § 1) in qua conciones huiusmodi (nempe: illarum sacrarum Missionum) habentur (non aliam) devote visitaverint (ultra interventum utrumque supra dictum), *d)* ibique (non extra ipsam) per aliquod temporis spatium (indeterminatum v. gr. decem minutorum) pias (seu cordis affectu pro humana fragilitate) ad Deum (forsitan SS. interventu) preces (vocales) effuderint (taxative) pro sanctae Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis » ut supra, et saltem implicitam sub intentione indulgentiam lucrandi.

« 37. Concedendi in actu *visitationis* (singularum) paroeciarum (in quas « distinctas partes territorium cuiuslibet dioecesis dividatur » ; can. 216, § 1) et « pari modo vicariatus apostolicus et praefectura apostolica ubi commode fieri possit » (§ 2), proindeque additur): quasi-paroeciarum (nam hae distinctae partes « si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, ita appellantur », secus veniunt sub nomine) et missionum, nec non communitatum tam saecularium (forsitan collegiorum, vel in communi viventium more religiosorum sine votis) quam religiosorum (nempe: « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » can. 488, n. 7°, etiamsi exempti fuerint, quatenus omnes « debent Vicarii et Praefecti Apostolici per se, vel si legitime impediti fuerint, per alium visitare » can. 301, § 2. Obiectum autem concessionis est): ut Indulgentiam plenariam una vice tantum (pro unaquaque visitatione) lucrari possint christifideles (omnes supradicti) dummodo contriti (idest: in statu gratiae), confessi (nisi iure excusentur a confessione) ac s. Communione refecti (prius vel antea sed durante visitatione) pias ad Deum preces (ubilibet, etiam domi) fuderint pro s. Fidei

propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis », sicut hae clausulae supra declaratae sunt.

246. **Aliae limitationes potestatis indulgentias elargiendi.** — Postquam in canone praecedente mensuras perpendimus servandas ab ecclesiasticis Praelatis in concessione indulgentiarum ; ne ordinariae ipsorum potestati applicaretur erronee iuxta doctrinam traditam §^us^ 1 can. 199 loquens de iurisdictione, vel si aliis placet, non mihi, ut salvum maneat illius praescriptum cum exceptione « nisi aliud expresse iure caveatur », statim subditur in *can. 913.* *Inferiores Romano Pontifici* (cui propter hoc, etiam prae Romana Curia seu S. Poenitentiaria nisi ut mero instrumento, reservantur quae sub seq^s^. num^s^. continentur, quando aliter non exprimatur) *nequeunt,* scilicet : valide, quia de potestate absolute agitur :

1° *Facultatem* quam habeant, ut supra, ordinariam vel commissam *concedendi indulgentias aliis* quibuscumque, etiam Vicario generali per mandatum speciale aut delegationem, quae tamen proprie de potestate iurisdictionis dicitur, *committere, nisi id* scilicet: hanc ab homine non a iure « facultatem » *eis* nempe : Praelatis intra Rom. Pontificem *a sede Apostolica* scilicet: a Sacra Poenitentiaria fortassis per Cancellariam Brevium vel a Romano Pontifice, ad normam can. 7, 258, § 2, *expresse fuerit indultum* pro uno vel pluribus casibus vel ad tempus, et quia dicitur « expresse », omnino standum est ad rescripti vel concessionis tenorem pro validitate [1].

2° *Indulgentias concedere defunctis applicabiles,* sive haec applicatio intelligatur, tamquam si lucrans indulgentias, cedat eas in defunctorum suffragium, ut quaedam sententia tenet, sive praedictus fidelis conditiones ponat, ut indulgentiae concessio effectum in purgatorii animabus consequatur secundum divinam acceptationem, congruenter sequenti D. Thomae doctrinae [2]: « dicendum, quod opus proprium potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit: et ideo potest pro quocumque vult, satisfacere. Sed in-

[1] Hinc memorari oportet animadversionem primam (in quinque Formulis) : « Praedictae facultates ea lege conceduntur (Vicariis et Praefectis Apostolicis), ut non omnes indiscriminatim *subdelegari* possint, sed illae tantum (nota bene : « facultates ») quae asterisco notantur, seu quae habentur (in Form. tert. maiore, ad indulgentias quod attinet) sub numeris 30, 34, 36, 37 ».

[2] Suppl. q. XXVI, a. 3 ad 2^m^.

dulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione eius qui dat indulgentiam. Et ideo cum ipse applicat ad facientem, vel dantem hoc aut illud, ille non potest qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre ».

Prima vero sententia non videtur fundata, utpote indulgentias considerans veluti res, quae de uno in alium transire queant, sicut accidit in temporalibus rebus, et si aliquo modo videretur veritatem continere in illis indulgentiis, quas concedit Summus Pontifex fidelibus sic lucrandas, ut si malint defunctis applicent, etiam tunc secunda est verior sententia, illud hoc modo explicans : « Si tamen sic fieret (idest : concederetur) indulgentia : *Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam indulgentiam,* valeret ei pro quo fit. (Nempe : lucranti eas vel defuncto pro illius arbitrio). Nec tamen iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam sed ille qui indulgentiam sub tali forma facit. (Scilicet concedit : ita ut alter solum conditiones etiam propriae intentionis defunctis suffragandi adimpleat, ut effectum concessionis determinatum obtineat) [1].

Duae indulgentiarum divisiones practicam interpretationi sequentium canonum utilitatem afferunt, videlicet : indulgentiae possunt denominari *personales* aut *reales ;* harum enim concessio ita sub rei alicuius respectu fit, ac rei connectitur, ut perdurans indulgentia determinato illius usui comitetur, dum personales intuitu solo alicuius actus peragendi elargitae sunt, *mixtae* possunt denique vocari quae fidelium sodalitio principaliter elargiuntur propter sodalium pia opera, vel ita rei conceduntur, ut cuidam ipsius possessori tantum valeant. Propterea sub hac conditione addit canon : *3° Eidem rei* numero singulari v. gr. iconi, rosario, numismati, *seu actui pietatis* v. gr. recitationi rosarii, vel singularis iaculatoriae, vel Ssmi. Sacramenti visitationi, *vel sodalitio* determinato, nempe : « associationi fidelium quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis erecta est, si ad modum organici corporis sit constituta », prout illud explicatum est in can. 707, § 1, non prohibetur adnectere aut concedere indulgentias, sed uni ex praedictis *cui iam* disiunctive *a Sede Apostolica vel ab alio* etiam ex commissa facultate aut ordinaria *indulgentiae concessae sint,* per cumulationem *alias adiungere,* nec absoluta est prohibitio, sed sub conditione ad validitatem necessaria, ut dictum est supra, *nisi*

[1] Quoad hunc num. 2m Vicarii et Praefecti apostolici facultatem habent, quam *subdelegare* possunt (ex omnibus quinque formulis) : « concedendi ut omnes praedictae (in Formulis) *Indulgentiae* (plenariae a num. 32 Form. tert. maioris antea declaratae) applicari possint *per modum suffragii* animabus in Purgatorio detentis ».

novae conditiones, scilicet: diversae ab aliis necessariis ad lucrandas indulgentias prius concessas, *adimplendae praescribantur*.

« Ad hoc enim ait D. Th. ac probat[1] quod applicentur isti (personae indulgentiae, seu bas illa lucretur), requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum, et unio eius cui dispensatur, ad eum qui merebatur (quod fit per caritatem), et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecumque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi. — Et ideo secundum alios est dicendum quod indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur: dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis caritas: et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt, nec divinae iustitiae derogatur: quia nihil de poena dimittitur (absolute sustinenda propter Divinae Iustitiae vindictam) sed unius poena alteri computatur ».

Ex iure praec. huc pertinent utpote hunc canonem exponentes quae sequuntur Declarationes in Dec.° S. C. Indulg. 12 Ian. 1878. Dec. auth. n. 433. Videlicet:

« 1° Potestne Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis sive eidem pio Sodalitio, cui a R. P. iam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adiungere? Potestne crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel Sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias?... Ad 1^m Negative, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur ».

« 3° Potestne Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui iam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare?... Ad 3^m Negative ».

« 5° Potestne Episcopus, quin limites sui iuris excedat, ad augendas indulgentias eumdem actum pietatis in partes dividere et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere?... Ad 5^m Negative ».

« 6° Potestne Delegatus Aplcus. virtute facultatum, quas a S. Pont. accepit, in concedendis indulgentiis concurrere cum uno vel altero Episcopo territorii delegationis suae, ut idem obiectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet?... Ad 6^m Consultius, ut se abstineat ».

[1] Suppl. q. XXV, a. 2 c.

« 7° Praelati, quibus privilegio Aplco. data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debentne hac facultate uti per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, an vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentium aut in perpetuum?... Ad 7^m^ Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

247. Benedictio papalis per locorum Ordinarios danda. — Altera indulgentiarum divisio est quod aliae vocantur *partiales*, idest: aliquorum dierum aut numeri quadragenarum, unius anni, vel plurium annorum, etc., aliae dicuntur *plenariae*, et harum quaedam elargiuntur per modum Iubilaei. — Per indulgentias partiales aliquorum dierum, etc. remittitur lucranti eas debitum temporalis poenae, quam sibi minueret fidelis per adimpletionem poenitentiarum iniungendarum iuxta antiquatos canones poenitentiales Ecclesiae, si tales poenitentias exequeretur per eumdem numerum dierum, etc. Per indulgentiam plenariam liberatur lucrans eam ab omni poena temporali, cuius sit apud Deum debitor ob peccata iam dimissa, ita ut si homo statim ac indulgentiam, qua plenariam vere lucratus sit, moreretur, non prohiberetur ratione poenae sustinendae ab ingressu in regnum Dei. Idemque dicendum de anima purgatorii in cuius suffragium plenaria indulgentia rite applicetur, si tamen Divina Iustitia huiusmodi applicationem acceptam habeat. In praedicto effectu omnes indulgentiae plenariae conveniunt, etiam concessae *in forma Iubilaei*, quae respicit promulgationis solemnitatem ac praesertim ampliores facultates confessariis concessas quoad reservatorum absolutionem et quoad commutationes ac dispensationes.

Speciales indulgentiae plenariae in Codice memoratae sunt *a*) data in articulo mortis, seu ut ait can. 468, § 2 « benedictio apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis », *b*) quae adnexa est missae celebrationi, vel constituens « altare privilegiatum » quando est realis, de quo tres infra positi sunt canones, vel per « privilegium altaris » privilegiati, quando est personalis aut mixta, et demum *c*) illa de qua incipit loqui *can. 914. Benedictionem papalem* sic dictam, eo quod datur in nomine et persona Papae ac proinde uti ab speciali delegato, ac per hoc distinctam ab aliis benedictionibus, etiam ab his quae sicut ista dantur *cum indulgentia ple-*

naria, illi solemni benedictioni per inferiores Papa datae semper adnexa, a) *secundum praescriptam formulam*, scilicet: per Clem. XIII in litt. aplcis. « Inexhaustum indulgentiarum thesaurum » [1], b) *impertiri possunt* (nempe: huius canonis vi facultas datur ad illam benedictionem prorsus necessaria) I° *Episcopi* c) *in sua quisque dioecesi*, proinde residentiales tantum, d) *bis in anno*, non ter sicut continebat facultas, quae petentibus singulis Episcopis statim gratis cencedebatur secundum Clem.s XIII in illis Litteris dispositionem, imo sub distinctione dierum, e) *hoc est die sollemni Paschatis Resurrectionis* praeelecto a iure utpote quod in eo celebratur Solemnitas solemnitatum, et plures fideles magis sunt dispositi, *et alio die festo* ad libitum uniuscuiusque Episcopi, sed *sollemni*, ut puto illorum, in quibus Pontificalia exercent iuxta Coerem. Episcoporum, secundum ea quae canon infra subiungit, *ab ipsis* singulis *designando* praevie, quamvis fuerit diversus in quolibet quoque anno, imo *etiamsi iidem* Episcopi missarum sollemnia in pontificalibus non celebraverint, sed in eis *Missae solemni adstiterint tantum* equidem in throno: II° *Abbates autem vel Praelati nullius* omnes de quibus loquitur can. 319, § 1, quibus etiam petentibus concedebatur facultas in hoc canone sequens, dummodo mitrae et pontificalium usum haberent iuxta Clem.s XIII Litt. cit., qui usus hodie illis competit vi can. 325; atque iure ipso facultatem canon extendit ad eos, qui silentio praeteriti fuerant in praefatis Litteris, nempe: III° *Vicarii et Praefecti Apostolici, etsi* hi ac illi *episcopali dignitate careant, id possunt*, scilicet: « benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiri », quae formula antea declarata non immerito intelligitur esse vi canonis praescripta etiam Vicariis ac Praefectis Apostolicis, cum altera de qua in sequenti canone ipsos non respiciat, et clausula unicam formulam innuat. Conditiones autem ad illius facultatis validum exercitium sunt ab his Praelatis quoad locum ac tempus servandae, nempe: a) *in suis territoriis*, quamvis extra ecclesiam Abbatialem, primariam, etc. b) *uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus* pro libito singulorum facultate hac utentium, nec dicitur eodem die singulis annis, sed certe ex diebus festis nunc

[1] Tertio Non. Sept. 1762.

de praecepto, vel aliquo alio praecipuorum suppresso praesertim quando in dominicam diem inciderit [1].

248. **Benedictio papalis a regularibus impertienda.** — *Can. 915. Regularis,* nempe: « qui vota nuncuparunt in Ordine » (can. 488, 7°), *qui* insuper a) *privilegium* directe ipsorum Ordini concessum ad normam can. 613, § 1 *habent impertiendi benedictionem papalem,* quae clausula, ne inutilis sit, supponit id non omnibus regularibus competere, b) *non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam* eis peculiarem per Bened. XIV in litt. encycl. « Exemplis praedecessorum » [2] in quibus licet intendat praescribere ritum et formulam a regularibus servandam, tamen loquitur generatim de facultate, quam habeant simplices Sacerdotes, nulla facta distinctione inter saeculares et regulares, dandi benedictionem, et postquam observaverit hanc benedictionem non impertiri nisi iure delegato, et ad eam peragendam, ut ait initio Bullae, nullum unquam ritum praescriptum fuisse, prosequitur: « Nostrum est omnino ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subiiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, etc. » — Haec formula « si adhibita non fuerit », benedictio papalis a regularibus impertita « invalida est » (can. 1148, § 2), *sed hoc privilegio uti nequeunt,* idest: « aequivalenter statuitur » illius privilegii limitata facultas, c) *nisi in suis ecclesiis,* scilicet: quae sint eorum propriae ac consequenter « ab Ordinarii loci iurisdictione exemptae » (can. 615), sive adnexae domui regulari sive ab hac disiunctae, *et in ecclesiis monialium,* « tam Ordini, quam Ordinario locorum subiectarum », cum canon

[1] Omnibus Vicariis et Praefectis Apostolicis per omnes quinque S. Congr.[s] de Prop. Fide formulas ampliatur quoad dies haec facultas seq.[s] verbis: « Impertiendi, praeter concessionem (pro uno die supra declaratam) de qua in Can. 914, ter (adhuc) in anno *a*) in solemnioribus festis (iuxta declarationem de « sollemnioribus diebus ») *Benedictionem Papalem b*) iuxta praescriptam formulam cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui (conditiones pro quibuslibet indulgentiis plenariis requisitas impleverint, videlicet): vere poenitentes confessi et s. Communione (iam prius, eo quod dicitur) refecti eidem Benedictioni interfuerint (idest: moraliter adsint in loco benedictionis), Deumque pro s. Fidei propagatione (specialiter) et iuxta mentem Summi Pontificis quod subintelligitur ex intentione lucrandi praedictam indulgentiam) oraverint ». Circa quod adnotetur praescriptum can. 934, § 1: « mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi » ac certe sufficit quinquies recitare *Pater, Ave* et *Gloria.*

[2] 19 Mart. 1748.

nihil discernat, et hac clausula derogatum est Dec.° Urbis et Orbis S. Congr. Indulg.m et Reliq.m [1], imo extensa est facultas eadem ad ecclesias *vel tertiariorum* « in communi viventium » *suo Ordini legitime aggregatorum* secundum ius Codicem praecedens, vel post illum ad normam can. 492, § 1, nec requiritur quod illi regularium iurisdictioni subiiciantur, nec loquitur canon de tertiariis saecularibus quorum non sunt propriae ecclesiae.

Pro his formula specialis praescripta est a Leone XIII in Brevi « Quo universi » [2] sequentibus verbis: « In absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis atque in benedictione cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Revmo Assessore ipsius S. Congr. (Sacris Ritibus praepositae) propositae atque ab eadem approbatae; abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis ». — Ex canonis clausula sub littera *c*) usque nunc explicata sequitur, adhuc vi pollere Dec.m Urbis et Orbis antea cit.m quoad Dubium « 2m An eadem facultate (dandi Benedictionem papalem) uti etiam possint (Ordines regulares) in aliis quibuscumque ecclesiis, in quibus Confraternitates dictorum Ordinum sunt erectae? Sacra Congregatio... respondit: Ad 2m Provisum in primo ». Scilicet: « negative ».

Demum in cit. Brevi Leonis XIII legitur sub n. « I. Pro absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta a Constitutione sa. me. Benedicti Papae XIV *Pia Mater,* addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris. II. Benedictio nomine Summi Pontificis impertiatur cum formula approbata in Litt. encycl. eiusdem sa. me. Bened. Papae XIV « *Exemplis Praedecessorum* », sed nonnisi bis in anno (quae conditio, uti restrictiva privilegii quoad facultatem, implicite continetur in canone 915, ac est servanda) et sub conditione » sicut in canone: d) *non autem eodem die* simul *et loco quo Episcopus eam impertiat.* Ex contextu canonis diverso modo loquentis, et cum agatur de praescripto in reverentiam Ordinarii loci condito, haec ultima clausula servanda est quidem sed non ad benedictionis illius validitatem. Ad complementum eorum quae dicta sunt de tertiariis saecularibus occasione huius canonis, referre cum utilitate visum est duo Dec.a de hac re.

Ex Dec.° C. S. Off. [3] « Emi PP.... respondendum esse censuerunt: Superiores Regulares posse ad Absolutionem generalem et benedictionem papalem impertiendam Tertiariis saecularibus in propriis ecclesiis delegare Sacerdotes sui

[1] 4 Febr. 1754, ad 1m, Dec. auth. n. 199. — [2] 7 Iul. 1882. — [3] 27-28 Maii 1914. CO. VI, 347.

Ordinis, etiam non approbatos ad confessiones audiendas ». Pius X s. m. id approbare dignatus est.

Insuper « Pius X preces benigne excipiens, per Dec. C. S. Off. [1] quo facilius tertiarii ex utroque sexu, cuiuscumque Ordinis, iis non exceptis, qui vitam communem agunt, diebus statutis generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem recipere valeant, clementer indulsit, ut, quoties ipsi ad hunc finem una simul convenerint, et Sacerdos, cuius est illam impertiri, quacumque ex causa, abfuerit, eamdem Absolutionem seu Benedictionem accipere possint a quolibet Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, qui ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus ».

249. **Potestas designandi altare privilegiatum.** — Quod ex Brevi Bened. XIII [2] « Omnium saluti » conceditur cathedralibus, et ex Brevi Clem. XIII [3] « Ut erga parochiales » conceditur ad septennium petentibus Episcopis et Abbatibus, ac sub tribus conditionibus in Documento illo expressis, nunc iure concessum est ac pro aliis Praelatis extensum in *can. 916.* a) *Episcopi*, sumpto verbo iuxta definitionem in can. 329, § 1, et proinde maiores quoque his, residentiales ut infra, b) *Abbates vel Praelati nullius* descripti can. 319, § 1, c) *Vicarii ac Praefecti Apostolici* cogniti ex can. 293, § 1, et d) *Superiores maiores* qui enumerantur in can. 488, 8°, dummodo sint *religionis clericalis exemptae* ac proinde « in iure nomine *Ordinarii* intelliguntur » (can. 198, § 1): horum omnium singuli *possunt* vi huius canonis *designare* inter altaria plura *et declarare*, quia sub hac duplici conditione ex iure ipso fit *unum altare privilegiatum* reali privilegio, de quo can. 75 mentionem facit, *quotidianum perpetuum* nempe: intelligendum iuxta Declarationem authenticam aequalis indulti iuxta praecedens ius concessi datam a S. Congr. Indulg.[m] et Reliq.[m] in una Wormatien. [4]: Dubium « 1[m]: An illud privilegium ad septennium (vi Litt. Clem. XIII) obtineat pro singulis diebus totius anni, quandocumque sacerdos approbatus in designato altari Missam applicaverit pro certo defuncto. Clem. XIII respondendum esse decrevit: Ad 1[m]. Affirmative iuxta Dec. S. Congr. Rituum approbatum a Ven. Innocentio XI datum sub 4 Maii 1688 ».

Sequuntur in canone quem commentamur duae conditiones, quae facultatem iure concessam limitant equidem pro usus validitate, videlicet: a) *dummodo aliud non habeatur* quacumque de

[1] 15 Dec. 1910. CO. III, 22. — [2] 20 Aug. 1724. — [3] 19 Maii 1759. — [4] 30 Ian. 1760, Dec. auth. n. 219.

causa privilegiatum antecedenter simul ac « quotidianum perpetuum » in eodem loco sacro inter sequentia: b) *in suis* uniuscuiusque *ecclesiis* respective a) *cathedralibus*, sic dictis ratione cathedrae episcopalis, etiam Metropolitanis, Primatialibus, Patriarchalibus, b) *abbatialibus*, scilicet: quae « dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet » (can. 319), nam iure utraque par est, c) *collegiatis* alterutrius territorii sub a) et b) in can.ª initio, sic dictis propter titulum, qui refertur ad Capitulum eiusdem collegiale canonicorum definitum in can. 391, sed verbum distinctum a « collegialibus » unice adhibito in Capite « De Capitulis canonicorum » videtur ampliorem admittere significationem, d) *conventualibus*, nempe: « religionis clericalis exemptae » ecclesiis adiunctis domui religiosae formatae, e) *paroecialibus* cleri sive saecularis sive religiosi, quae sitae sint in alterutrius territorio sub a) et b) in can. initio, et iisdem quoad clerum sed territorii sub littera c) in can. initio f) *quasi-paroecialibus*, videlicet: quasi-paroeciarum, quae in can. 216, § 3 definiuntur, hinc implicite non in aliis ecclesiis quae subiiciantur praelatis Ordinariis, ac nomen Ecclesiae stricto sensu in canone sumendum est uti definitur in can. 1161, eo quod additur expresse: *non autem in oratoriis publicis*, prout definiuntur in can. 1188, § 2, 1°, ac verba illa fuerunt caute addita, veluti exceptio can. 1191, § 1, praescribentis: « Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur », *vel semi-publicis*, quae definita sunt cum praedictis in can. cit.; sed huic duplici prohibitioni subiungitur limitatio g) *nisi sint* alterutra oratoria *ecclesiae paroeciali unita* ut aedes accessoria *seu eiusdem* ut paroecialis *subsidiaria* quamvis distans, unde implicite videtur hoc iure fieri posse.

250. **Notio huius privilegii quo altare denominatur, diversitas illius et conditiones in eius usu servandae.** — Altare privilegiatum est ditatum indulgentia plenaria, quae per modum suffragii simul cum oblatione missae applicatur animae in Purgatorio detentae, et « quae spectata mente concedentis ac usu potestatis clavium... animam statim liberare potest ab omnibus Purgatorii poenis; spectato tamen applicationis effectu, illius mensura respondet Divinae Misericordiae beneplacito et acceptationi » [1].

Altare privilegiatum potest esse: — 1° personale, reale, mixtum; prouti privilegium directe conceditur ipsi sacerdoti, vel adnectitur determinato altari, ut privilegio frui queant omnes sacerdotes in hoc altari celebrantes, vel quamvis

[1] S. C. Indulg.ᵐ 28 Iul. 1840, n. 283.

affixum singulari altari, nonnisi determinati sacerdotes in eo celebrantes privilegio gaudere possunt; — 2° simpliciter privilegiatum, vel privilegiatum ad instar altaris S. Gregorii in Monte Celio. Diversitas inter utrumque non est circa indulgentiam plenariam, sed respectu divinae acceptationis; in altari enim Gregoriano ad instar ratio specialis habetur proveniens tum ob specialem illius altari destinationem ab Ecclesia factam, tum ob peculiarem S. Gregorii intercessionem.

Quoad conditiones servandas ad fruendum altari privilegiato, haec teneantur. Antea opus erat, ut sacerdos celebraret missam *de requiem*, dummodo id permitteretur a Rubricis [1], atque, si non dedeceret ratione expositionis Ssmi Sacramenti, sive stationis in Ecclesia, sive alterius solemnitatis, illam celebraret cum paramentis nigris [2]. Postea in Rubricis ad normam const. « Divino afflatu » Pii X legitur (Tit. X, n. 5): « Cum autem ut applicari possint Indulgentiae Altaris privilegiati, Missae defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, S. Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet missa dicatur de feria, cum oratione pro defunctis ». Quando nempe prohibentur missae defunctorum ex praefatis Rubricis. — Sed nunc viget solum Dec.^m « Augescentibus » S. Congr. S. O. [3] ... « Ad Altaris privilegiati, quod vocant, Indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub poena nullitatis requiri, Missam de requie, aut de feria vel vigilia cum oratione defuncti propria celebrari; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac decet, pietatis gratiâ erga defunctum ». De hac clausula valde opportuna sunt verba D. Th. [4]: « dicendum, quod in officio Missae non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes. Et ideo Missae suffragium continet duo horum quae Augustinus enumerat [5], scilicet: orationem et sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblati missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; et hoc est praecipuum quod fit in missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae ». Et hanc possumus assignare « causam pietatis erga defunctum » allatam in Dec.^o S. Congr.^s Sed non urgetur in eo tamquam obligatoria, quia dicitur: « id tamen laudabiliter fieri ». Quod explicari potest verbis D. Th. quae sequuntur: « Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem vel eius qui dicit missam, vel eius qui iubet dici, vel iterum per intercessionem sancti, cuius suffragium in missa imploratur ».

Hucusque de prima conditione usus privilegii. Secunda respicit applicationis extensionem respectu animarum. De hac S. C. cit. [6] respondit ad quaes. « 1° Utrum privilegium altaris sive proprie dictum, sive personale applicari possit pluribus Defunctorum animabus in cuiuscumque diei missa (servatis servandis)... Ad 1^m negative ». Et si « celebratur pro pluribus ad unum ex iis limitatur..., nec privilegium inutile evasit ex eo quod uni ex iis determinatae animae non consueverit applicari » [7].

Tertio, quoad separationem applicationis missae ac indulgentiae altaris pri-

[1] Dec. auth. n. 281 ad 2^m et 3^m. — [2] Dec. auth. n. 357 ad 1^m. — [3] 20 Febr. 1913. CO. V. 122. — [4] Suppl. q. LXXI a. 9 ad 5. — [5] Lib. De cura pro mort. gerenda, c. 18. — [6] 29 Febr. 1864, Dec. auth. n. 402. — [7] S. C. cit. 19 Iun. 1880 ad 2^m et 3^m n. 451.

vilegiati agit aliud Dec. S. C. Indulg.[1]: sed eidem fuit derogatum per seq. Dec.[m] eiusdem Congr.[s] posterius[2].

« I. An Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit ab applicatione seu fructu Sacrificii, quando Sacrificium est celebrandum pro defunctis? — II. An eadem Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit, quando celebratur Sacrificium pro vivis, ita ut Indulgentia praedicta applicari possit pro defunctis ad libitum celebrantis? — Ad I et II Negative ».

Opportune addiscitur quod sic proponitur « III. Quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus altaribus huius tenoris: « Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis?... Ad III interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in Altari, de quo agitur, Missae Sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his S. Sacrificium applicetur, intelligatur concessa Plenaria Indulgentia; pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii ». Notanda haec verba conformia can. 911. Hodie rarissime conceditur, si unquam fiat, tale altare privilegiatum pro vivis et defunctis.

Supposita applicationis fructus sacrificii indivisibilitate ab indulgentia plenaria, consequitur decisio S. Congr. Indulgentiarum[3]. « 1° Utrum Missa celebrata ad altare privilegiatum sit per se privilegiata, vel necesse sit, ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendant applicare privilegium?... Ad 1[m] Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

Denique valde notanda est resp. seq.[s] eiusdem S. Congr.[s][4]: « 2° Utrum qui.... quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat?... Ad 2[m] Negative ». Propter hanc decisionem postulatum fuit: « Utrum haec responsio... sit apocripha? et.... quomodo ipsa conciliari possit cum Dec.° eiusdem S. Congr.[s] Indulg.[5] in quo ad quaesitum: Qui (sacerdos) diebus permissis non celebravit in paramentis nigri coloris in Altari privilegiato (quod prius erat necesse) ad acquirendam Indulgentiam plenariam, ad quid tenetur? responsum fuit: « debet lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis quibus Missae fructum applicuit toties, quoties diebus non impeditis usus non est indumentis nigri coloris ».

Sacra Congr. Indulg. SS. Reliq.[s] praeposita[6] proposito dubio respondit: Responsio est authentica. In Dec.° vero diei 22 Febr. 1847 tantummodo Sacerdotibus, pro quibus postulabatur de ratione qua compensare debebant Indulgentiam Altaris Privilegiati ad quam applicandam obligarentur, et quam bona fide errantes, non erant lucrati, *concessit* S. Congr. ut compensatio fieret per applicationem alterius Indulgentiae Plenariae toties quoties illam Altaris Privilegiati non fuerant lucrati. Ergo necessaria est S. Sedis concessio.

Quoad speciales conditiones in privilegii localis usu observandae sunt seq.[s] normae, nisi aliter in Brevi concessionis statuatur. — 1° S. Congr. in Leodien.[7] petitioni: « An.... privilegium Altaris a S. Sede concessum sit.... determinato

[1] 31 Ian. 1848 Dec. auth. n. 348. — [2] 5 Aug. 1897. A. S. S. XXX, 278. — [3] 12 Martii 1855, n. 366. — [4] 2 Maii 1852, n. 357. — [5] 22 Febr. 1847, n. 339 ad 3[m]. — [6] 24 Iul. 1885, A. S. S. XVIII, 94. — [7] 27 Sept. 1843, n. 324.

altari fixo, quod proinde alio consecrato lapide imposito, privilegium minime amitteret?.... respondit.... Affirmative...: videlicet: privilegium de quo supra. datum est altari determinato, et in honorem alicuius Sancti specialiter dicato ». Quod Dec. patet amplius ex altero eiusdem S. Congr.[1]: « I. An lapis simpliciter consecratus, quem altare portatile seu viaticum vocant, privilegio gaudere possit? — II. Estne necessarium ut altare sit fixum stricto sensu liturgico... ad hoc ut privilegio decorari valeat? — III. An sufficiat ut sit etiam ligneum muro minime firmatum, cum lapide in medio mensae consecrato et alicui Sancto specialiter dicatum? Emmi ac Redmi PP. S. Congr.[s] Indulg. responderunt. Ad I. Negative. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative ».

2°[2]: « An pro altaris privilegio sufficiat, ecclesias, cappellas, et oratoria publica esse benedicta, vel necessario debeant esse consecrata? Eadem S. Congr. censuit rescribendum esse: Affirmative ad 1[m] partem, et Negative ad 2[m] nempe: sufficere esse benedicta ».

251. **De Gregoriano tricenario, eiusque iuridicis conditionibus.** — Ita vocantur « triginta missae successivis diebus absque interruptione celebrandae pro certo defuncto ». Vocantur Gregorianae propter factum a S. Gregorio Magno narratum a seipso de quodam defuncto.

Cum autem non fuerint illae Missae celebratae in honorem ipsius S. Gregorii, nec ab eo iussae fuerint celebrandae missae determinatae aut de requiem, propterea nunc etiam necesse non est. Ex Decreto S. Congreg.[s] Indulgentiarum[3] habetur: « Ad II. Non constat datam fuisse indulgentiam, sed ex dec.[o] huius S. Congregationis diei 13 Martii 1884 recognita et approbata fuit pia praxis et specialis fiducia qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animarum e purgatorii poenis liberationem »[4].

Memoranda nunc quaesita ex Dec.[s] S. Congr. S. Officii circa missas tricenarii gregoriani, et quoad altaria item gregoriana. — Conditiones huiusmodi Tricenarii habentur ex Dec.[o] S. Congr. S. O.[5]. Quaesitum fundam. « I. Utrum sit necessarium quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione? Ad I. Affirmative .. ».

Hinc responsum fuit: « Negative ad II et IV. Utrum (nempe) in casu satisfaciat Sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die Natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur? » et « Utrum quis satisfaciat obligationi curandi tricenarium gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem ». — Ad III vero, « Utrum idem sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum missam aliquam tricenariam? Emi Patres: dixerunt: Affirmative ». De qualitate autem missarum est quaes. « V. Utrum diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de requie a rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum... Ad V. Negative; poterit

[1] 18 Iul. 1902, Il monitore eccles. an. 1902, pag. 308. — [2] 22 Apr. 1752, n. 193. — [3] 24 Aug. 1888. — [4] Acta S. Sedis, XXI, 256. — [5] 11 Dec. 1912, CO. V, 32.

tamen laudabiliter legi, pietatis gratiâ erga defunctum, diebus quibus licet et decet ».

Hoc decretum completur altero S. Congr. Indulg. [1] sequentis tenoris: « Estne necessarium quod Missae triginta, quae *Gregorianae* appellantur, celebrentur: 1. In memoriam S. Gregorii, quin tamen in illis fiat de eo commemoratio? 2. Ab eodem sacerdote? 3. Pro una tantum anima absque ulla alia speciali intentione. 4. Diebus triginta continuis sine interruptione? 5. In eodem altari? — R. Quoad 1 partem, Negative; — Quoad 2. Negative; — Quoad 3. Missa pro ea anima deberet applicari, cuius liberatio a poenis Purgatorii a divina misericordia imploratur; — Quoad 4. Affirmative; — Quoad 5. Negative [2].

Decretum vero S. C. S. O. quoad altaria gregoriana haec statuit [3]: « VI. Utrum altare S. Gregorii in Monte Coelio de Urbe sit vere ac proprie privilegiatum?.... Ad VI. Affirmative.... — Ad VII. Deinceps Altaria Gregoriana non esse concedenda ». Nempe illa quae dicebantur « ad instar ». — « IX. Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan iam factis?... Ad IX. Habeantur ut merae concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati ».

252. Altaria ex iure, sed ob extrinsecum motivum privilegiata. — Huiusmodi concessiones iuri praecedenti congruentes, quae proinde « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandae » (can. 6, 2°) referuntur in *can. 917.* § 1. *Die commemorationis omnium fidelium defunctorum* singulariter expresso, seu pro universa Ecclesia, nempe: die 2 vel 3 Novembris illius anni in quo dies secunda est dominica, *omnes* ac proinde comprehenduntur quoque ab eodem sacerdote bis vel ter celebratae *Missae* ubicumque in altari quoque portatili vel in mari celebrentur, cum hoc privilegium non sit reale, servatis autem aliis conditionibus supra dictis, *gaudent privilegio* vi huius canonis *ac si essent ad altare privilegiatum celebratae,* « a quocumque sacerdote saeculari vel cuiuslibet Ordinis et Instituti Regularis celebrandae », ut subiungit Clemens XIII in Dec.° S. C. Indulg. et Reliq.[m] [4] ex quo desumptus est ad verbum iste §[us].

Similiter Dec.° Congr.[s] S. Officii [5] conformis est § 2. *Omnia altaria ecclesiae,* proinde in designatorum Sanctorum aut Mysteriorum advocationem erecta, *per eos dies quibus in ea peragitur actu,* scilicet: ab incoepta solemni expositione Ssmi Sacramenti, ac

[1] 14 Ian. 1889. — [2] Collect. S. Congr. de P. F. n. 1697. — [3] 12 Dec. 1912, CO. V, 33. — [4] 19 Maii 1671. Dec. auth. n. 228. — [5] 22 Ian. 1914, CO. VI, 74.

perdurante eadem expositione vel statim post repositionem, ad normam Declarationis a Pio VII [4] datae per Card. Urbis Vicarium, quae solemnis expositio audit *supplicatio Quadraginta Horarum,* etsi maiori vel minori tempore perduret, « in memoriam earumdem horarum per quas Sacrum Iesu Corpus iacuit in Sepulcro », a Clem. VIII per suam Instructionem ordinata quoad ritus ac caeremonias; tunc temporis ergo praedicta altaria *sunt privilegiata.* Scilicet: iuxta explicationem praevie huic canoni datam.

In huius §[i] Commentarium memoria recolere oportet Dec.[i] cit.[4] S. Officii tenorem, quia uti « supplicatio Quadraginta Horarum » vi huius Dec.[i] seu iure habetur alia expositio, etsi a typica non parum diversa. « II. Permittitur, ut ubi exercitium XL Horarum, iudice Rdmo. loci Ordinario, fieri nequeat prout ab Instr. Clementina exigitur, sit satis ad effectum indulgentiarum et privilegii obtinendum, primo die Ssm̃um Sacramentam, quacumque hora matutina, vel circa meridiem, publicae venerationi in ostensorio exponere, et perdurante ipso die et per diem alterum eiusmodi expositione, die tertio, meridie aut de sero, Idem deponere, quamvis noctu expositio interrumpatur ».

« IV. Celebrantibus vero sacrosanctum Missae sacrificium in eadem ecclesia vel oratorio (ubi continua habetur almi Sacramenti solemnis item in ostensorio expositio, saltem per mensem, etiamsi de nocte interrupta), privilegio altaris, in defuncti alicuius levamen, die quolibet gaudendi esto potestas ».

Utile putamus esse adiungere hic Dec.[m] Urbis et Orbis S. Congr.[s] Rituum [2], cui praemittere oportet ex const. « Incruentum » Bened. XV [3] n. IV. « Sicubi acciderit, ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro oratione XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei necessario dicendae (Decretum Generale S. Rit. Congreg. 3177-3864 ad 4), ne celebrentur ad Altare Expositionis ». Hisce praemissis quaeritur: « Licebitne adhuc celebrare unicam Missam solemnem de Ssm̃o Sacramento, vel de Pace, de qua sermo est in Instr. Clementina et in Dec. Gen. S. R. C. n. 3864,... pro oratione XL Horarum, quando dies expositionis vel repositionis, aut medius incidit in diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum? S. Rit. Congr. respondendum censuit: Negative et ad mentem. Mens autem est: « In Ecclesiis ubi die Commemorationis omnium fidelium defunctorum fiat Oratio XL Horarum cum Ssm̃o Sacramento solemniter exposito, huiusmodi expositio sequatur, repositio vero cum processione praecedat missam cantatam de die Commemorationis omnium fidelium defunctorum ». Et Sacra cad. Congr. approbante Bened. Papa XV, ita... declaravit et servari mandavit.

253. **De indicatione altaris privilegiati, et quoad missae in eo celebratae eleemosynam.** — *Can. 918.* § 1. *Ut indicetur* v. gr. super aliqua tabella vel inscriptione marmorea etc.

[4] 10 Maii 1807, Raccolta n. 66. Ed. 1898. — [2] 26 Febr. 1919, CO. XI, 142. — [3] 10 Aug. 1915, CO. VII, 404.

altare esse privilegiatum privilegio utique reali, sive in usu facultatis vi can. 916, sive ob peculiarem S. Sedis concessionem, designatur indicatio apponenda cum prohibitione: *nihil aliud inscribatur*, praeter verba quae sequuntur, seu *nisi: altare privilegiatum,* haec taxative, sed quoad sensum addatur, an sit *perpetuum vel ad tempus* v. g. ad quinquennium, ad septennium, an sit quoque *quotidianum vel non* v. gr. sextis feriis, sed hoc fiat *secundum concessionis verba* fideliter, ast breviter inserenda.

Cum celebratio missae in altari privilegiato, sive ratione altaris, sive ratione celebrantis, nihil novi contineat nisi rem spiritualem scilicet: indulgentiam plenariam in defuncti suffragium, ad cavendam simoniam iuris divini admonet congruenter canoni 727, § 1 sequens hic § 2. *Pro missis celebrandis* ex privilegio, aut personali, aut reali, aut mixto, *in altari privilegiato nequit*, praecise *sub obtentu privilegii,* non alio ex licito motivo, ut explicatum est in art. IV°, Cap. I, Tit. III, et quamvis « si oblator expresse hanc circumstantiam in Missae celebratione servandam determinaverit, sacerdos, elemosynam acceptans, eius voluntati stare debeat » (can. 833), nequit ab eo *maior* taxa synodali *exigi Missae eleemosyna.* Hoc idem iam decreverat Clem. XIII in Dec.° universali, ex quo § 1us can.^is^ 917 desumptus est quoad diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum, statuens: « ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque sacerdos pro dicta Missa licet privilegiata, accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit ».

254. **Divulgatio indulgentiarum concessarum recenter vel antiquitus.** — Conc. Trid. in Dec.° de Indulgentiis (sess. XXV) « Abusus, qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, illo decreto generali quaedam statuit ». Eodem spiritu Codex imbutus ad praecavendam superstitionem, ignorantiam, aut errorem, unde illi proveniunt, condidit *can. 919.* § 1. *Novae* ratione concessionis *indulgentiae, ecclesiis etiam regularium,* quae sunt exemptae ad normam can. 615, *concessae,* proindeque indulgentiae reales atque a Sede Apostolica, etsi per S. Poenitentiariam, elargitae, *quae Romae* v. gr. in Commentario officiali vel aliter *promulgatae non sint*, nam promulgatae sub §^i^ praescriptum

non sunt contentae, *ne pervulgentur*, scilicet: ne communiter notificentur etsi modo clandestino, *inconsulto Ordinario loci*, cui nota fiat concessio, utpote quod « de rebus agitur publicis » (can. 31), et quoad regulares attinet vi huius canonis constat de casu a iure expresso, in quo « ab Ordinarii loci iurisdictione exempti (non) sunt » (can. 615).

Paragraphus haec Episcoporum auctoritati deferens, aliquid tantum retinet ex cap. 9 sess. XXI de Ref. Conc. Trid. statuentis: « Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit »: quae consultatio duorum clericorum peritorum quandoque ut normam directivam laudabiliter servabit Ordinarius. — De indulgentiis autem personalibus ob rei naturam viget Dec.^{m} S. C. Indulgentiarum [1]: Dubio « 6° Quando S. Pontifex indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi,ut fideles talem indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, requiriturne, ut haec Indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, an sufficit e contra, ut certi sint, praedictam indulgentiam a S. Pont. fuisse concessam? S. Congr. Respondit: Ad 6^{m} Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam ».

Si divulgatio fiat mediante typographia vel simili mechanica arte, providet § 2. *In edendis libris* sic dictis ex ipsorum forma et volumine magno, nam ob parvam molem additur: *libellis, etc.*, veluti significans de forma illa et volumine non curandum, sed de divulgandi modo praedicto, *quibus concessiones indulgentiarum* vel per extensam documenti transcriptionem vel per simplicem assertionem, addita fortassis data concessionis et huius origine, dum tamen sint *pro variis*, non singulis tantum, *precibus aut piis operibus*, ac proinde sint indulgentiae personales, *recensentur, servetur praescriptum can. 1388* generale circa concessiones quaslibet indulgentiarum. Scilicet: « ne edantur sine licentia Ordinarii loci » (ib. § 1), exceptis nonnullis pro quarum typis editione « requiritur expressa licentia Sedis Apostolicae » (ib. § 2).

Ut Ordinarius loci legitime ac prudenter quoad hanc licentiam concedendam vel denegandam se gerat, utile erit per extensum ac breviter commentatas consulere normas generales, quas veluti principia publicavit S. Congr. Indulgentiarum die 10 Augusti 1899 approbatione ac iussu Leonis XIII, et quae novem regulae cum Commentario officiali prostant in Ephemeride cuius titulus est Acta S. Sedis [2].

Hae regulae sunt sequentes: « Reg. I. Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congr. edita conti-

[1] 1 Iul. 1839, ad 6^{m}. Dec. auth. n. 273. — [2] Vol. XXXII, pagg. 242-244.

nentur. — Reg. II. Indulgentiae generales, quae in supradicta Collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam Collectionem, tunc solummodo habendae erunt ut authenticae, cum earumdem concessionis (testimonium habetur in « Actis Ap.licae Sedis » vel) autographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione (ex const. « Sapienti consilio » a S. Congr. S. Officii, et nunc M. pr. « Alloquentes » Benedicti PP. XV et iuxta can. 920 a S. Poenitentiaria), cui, sub nullitatis poena, exhibendum erit, antequam publicentur. — Reg. III. Authenticae habeantur indulgentiae concessae Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, etc.... nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Locis piis et Obiectis devotionis, quae continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum, eiusque auctoritate vel venia typis (primo) editis.

Reg. IV. Non habeantur ut authenticae Indulgentiae sive generales, sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem et distincte exprimenda. — Reg. V. Apocriphae, vel nunc prorsus revocatae sunt omnes Indulgentiae mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessae dicantur. — Reg. VI. Suspectae habeantur Indulgentiae plenariae quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis.

Reg. VII. Reiiciendae sunt ut apocriphae Indulgentiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur Indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes. — Reg. VIII. Ut commentitia reiicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio: et Indulgentiae quae dictae promissioni adiici solent ut apocriphae habendae sunt. — Reg. IX. Apocriphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur, Indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur ».

Cum hae regulae sint sufficienter expressae omittimus earum authenticum commentarium facile inveniendum in loco citato.

255. **Conditio sub poena nullitatis in nonnullis concessionibus indulgentiarum.** — In M. pr. « Quandoquidem » [1] Bened. PP. XV, cum « in iis exequendis quae Pius X motu pr. " Cum per Apostolicas „ praescripsit, plures gravesque iam dubitationes extiterint, ut eas omnes praecidat in posterum, pariter et certa scientia,... decernit et declarat, illarum tantummodo sub poena nullitatis Supremae Congregationi exhibenda esse documenta Indulgentiarum, quae universi catholici orbis christifidelibus concessae sint ».

[1] 16 Sept. 1915, CO. VII, 457.

Omnino sicut in Const. « Sapienti consilio » eiusdem Pii X. « Itaque nec Indulgentias *particulares*, quantumvis late pateant, nec facultates benedicendi, quibusvis sacerdotibus tributas, iam nunc necesse erit Congregationis eiusdem recognitioni subiicere ».

In M. proprio cit. « Cum per Apostolicas » Pii X [1] s. m. statutum fuit: « 1° Indulgentias quascumque, sive generales, sive particulares quae non respiciunt ipsas personas petentium tantum, a... Congr. S. Officii esse recognoscendas ». Idem statuitur in n.° 2° quoad « facultates benedicendi pia obiecta » de quibus supra. Sanciuntur hae praescriptiones clausula irritante sub n.° 3.° — Huic sequitur praescriptum valde notandum sub n.° « 4.° Quoad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius nostri Dec.i publicatione (idest: a die 15 Aprilis 1910, data fasc.i Commentarii Officialis) eidem S. Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint ». Ultimo additur monitio pro futuro.

Declarationes supervenerunt per sequentia Decreta opportune consulenda: 1° Dec. S. Officii 15 Iun. 1910, 2° Dec. S. Officii 13 Iul. 1910 [2]. Cui posteriori Dec.° additum est:... « observanda maneat lata lex per Dec.m... a Bened. XIV approbatum [3], hoc est: « Impetrantes posthac generales concessiones Indulgentiarum teneri sub poena nullitatis gratiae obtentae exemplare earumdem concessionum ad Secretariam S. Congregationis deferre ».

Haec igitur lex Benedictina fuit renovata velut unice servanda in hac re per M. pr. supra citatum Benedicti PP. XV et in sequentem translata *can. 920. Qui a Summo Pontifice* immediate vivae vocis oraculo, aut per eius chirographum, vel forsitan per aliud Officium aut S. Congregationem, aut S. R. E. Cardinalem *impetraverint indulgentiarum concessiones*, non particulares alicui religioni, associationi, fidelium coetui, vel reales, sed in utilitatem *pro omnibus fidelibus*, scilicet: personales simul et universales, *obligatione tenentur* consequente illorum liberam impetrationem, atque in reverentiam Summi Pontificis preces admittentis, ne huius actus fraudetur certitudine quoad effectum, additurque ad praecavendas dubias concessiones: *sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria* scilicet: illius chirographi, vel id ipsum, testimonium alicuius S. R. E. Cardinalis qui concessionem obtinuit, vel aliter, sed scripta *earumdem concessionum* fide digna Tribunali sequenti, *ad Sacram Poenitentiariam*, cuius est « de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum » (can. 258, § 2), *deferendi*. Et hoc sufficit observantiae praescripti.

[1] 7 Apr. 1910, CO. II, 225. — [2] CO. II, 575. — [3] 28 Ian. 1756.

256. **Concessionis indulgentiarum interpretatio authentica quoad festa et dies.** — Dec. S. Congr.ˢ Indulg.ᵐ et Reliquiarum [1], ex quo desumpti sunt duo seq. §§ⁱ cum mutatione quadam, sic incipit: « Plurimae sunt festivitates quae ad recolenda Redemptionis nostrae mysteria et ad fovendam pietatem in honorem Domini, B. M. V., et SS. Apostolorum celebrantur. In his autem sacris diebus statuendis illud sibi proponit Sancta Mater Ecclesia, ut fideles filii illo igne vehementer accendantur, quem divinus Sponsus, Iesus Christus, e penetralibus Cordis sui misit in terras; adeo ut in festivitatibus celebrandis exemplum et praesidium habeant, quibus inflammentur ad exercendas virtutes, ad merita comparanda, ad gloriam assequendam aeternam ».

« Iam vero Romani Pontifices ad promovendam populi christiani utilitatem plures indulgentias concessere non tantum pro festivitatibus, quae celebrantur ab universa Ecclesia, sed etiam pro iis, quae in uno vel altero loco sunt institutae, nec solum pro primariis, sed etiam pro secundariis ».

De harum concessionum clausulis conditus est *can. 921.* § 1. *Indulgentia plenaria*, quia de indulgentia partiali iam responsum fuerat in cit. Dec.° ad 2ᵐ et 4ᵐ sicut declaratur in canone; illa igitur et haec, nam clausularum verba iuridice sunt accipienda eodem sensu circa eamdem rem, *concessa* a) *pro festis*, etiamsi addatur « omnibus vel in omnibus et singulis », *Domini* tantum, aut etiam verbis additis *Nostri Iesu Christi*, eo quod aequipollentia earum clausularum invenitur in cit. Dec.°, b) *vel pro festis Beatae Mariae Virginis, intelligitur* vi huius canonis derogantis festorum primariorum et secundariorum differentiam, ad indulgentias quod attinet, *concessa* tum in praecedentibus ac futuris « Brevibus, Rescriptis, etc. » *dumtaxat pro festis quae in calendario universali* posito in Breviarii Romani initio post Psalterii Pianam reformationem *reperiuntur*. Hinc ob verbum « dumtaxat » non intelligantur inclusae etiam « festivitates pene innumerae, quae per Orbem recoluntur, licet non in omnibus, sed in aliquibus tantum locis celebrentur », sicut iam responsum fuerat in cit. Dec.° ad 1ᵐ et 3ᵐ.

Responsionem vero ad 5ᵐ translatam invenimus in § 2°. *Con-*

[1] 18 Sept. 1862: Dec. auth. n. 392.

cessa indulgentia plenaria vel partialis (sicut in Dec.°) *pro festis Apostolorum, intelligitur* sicuti ex iure praec.[1] *concessa dumtaxat pro eorum* singulorum vel duorum *festo natali*. Videlicet: « negative quoad festa secundaria » v. gr. « Cathedrae S. Petri, de Conversione S. Pauli » et consequenter circa « ea, quae singularia quaedam loca respiciunt, ut translationem capitis S. Andreae Apostoli ».

Quemadmodum §§[i] praecedentes propter inductam mutationem Codici fuerunt opportune inserti, etiam §[us] sequens ad aequivocationem vitandam refert integre Dec.[m] S. Congr. supradictae [1]. § 3. *Indulgentia plenaria concessa* ante vel post Codicem *ut quotidiana* a) *perpetua* b) *vel ad tempus* sed mixta realis-personalis, hoc est: *visitantibus aliquam* determinatam vel in genere a) *ecclesiam* b) *vel publicum oratorium*, eo quod « oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur » (can. 1191, § 1), alterutra ergo indulgentia praefata *ita intelligenda est ut* a) *quacumque die*, igitur nulla excepta, quod deerat in cit. Dec.°, et explicat illius verbum « quotidiana », b) *sed semel tantum in anno* futuro quocumque si est « perpetua », vel si fuerat « ad tempus » in quolibet huius temporis anno, c) *ab unoquoque fideli*, nemine quoque excepto, *acquiri possit*. Ast sequitur generalis exceptio: *nisi aliud in decreto* concessionis, sive Rescriptum sit, aut Breve, etc., *expresse dicatur*. Idest: (ut in Dec.°) « clare et explicite expressum sit (quoad sensum), indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse ».

257. **De translatione indulgentiarum cum festis vel precibus quae donatae sunt illis.** — Quae « Pius IX... benigne mandavit » per Dec.[m] S. Congr. Indulgentiarum [2], « quamvis alias... vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse,... nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum provisum fuerit », haec ex illo Dec.° servata sunt in *can. 922* per illud interpretanda. *Indulgentiae* « omnes », plenariae igitur et partiales *adnexae* « hucusque ac in posterum » a) *festis* « quibusdam vel pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis », atque suppressa indeque abrogata clausula « vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii » quoad ea quae sequuntur, b) *vel sacris supplicationibus*, etsi semel

[1] 15 Martii 1852, Dec. auth. n. 356. — [2] 9 Aug. 1852, Dec. auth. n. 360.

in mense aut anno peragendis, sed periodice, ut patet ex cit.[1] Decreti tenore, c) *vel precibus* disiunctive *novendialibus*, *septenariis*, *triduanis, quae* respective per novem, septem, tres dies a) immediate *ante aut post festum* b) *vel etiam eius octavario perdurante peraguntur*, vi huius canonis *translatae intelliguntur,* propter festi translationem ab huius proprio die atque a praecedentibus ac subsequentibus, ut supra, *in eum diem*, et cum eo connexos ut dictum est. *quo festa huiusmodi* scilicet: nominata sub littera a), vel sacrae supplicationes cum aliquo, ut supponitur, festo coniunctae, *legitime*, id est: secundum rubricas, vel alias ex legitima Ecclesiae dispositione v. gr. per publicas huius cum Statu conventiones *transferantur,* I° *si festum translatum* a) *habeat officium cum Missa* generaliter, vel in aliquibus ecclesiis, publicisque oratoriis, b) *sine solemnitate* in apparatu ecclesiae *et externa celebratione* per fidelem populum, c) *ac translatio fiat in perpetuum,* ergo si haec fiat ob quasdam circumstantias v. gr. secundum rubricas, vel ad tempus, indulgentiae lucrari queunt solummodo in die a quo transfertur festum vel in connexis diebus ut supra, quae consequentia nunc est authentice certa ob S. Poenitentiariae Declar. infra positam; si autem festa huiusmodi habeant solemnitatem et externam celebrationem, cum conditione sub littera a), vel sine illa, declaratur in hoc canone indulgentiarum translatio his verbis: II° *vel si transferatur*, (et quae sequitur clausula disiunctiva, utpote adverbium temporis, afficit propositionem ex verbo et huius subiecto inter quae invenitur, salva manente consequentia educta ex n° I°) a) *sive ad tempus,* « eoque durante » sub qua phrasi comprehenditur « sive aliqua occasione » (Dec.° cit.°), b) *sive in perpetuum solemnitas et externa celebratio*, prouti antea declaratae sunt. Ex sensu implicito sub hoc postremo commate, a contrario sequitur cit.[1] Dec.[1] ultima praescriptio: « Cum vero transfertur tantum officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, (quam istud habeat), indulgentiarum nullam fieri translationem (praedictam) decrevit » Pius IX.

Declaratio S. Poenitentiariae sequens est [1] « Attento canone 922 Codicis Juris Canonici, proposita fuerunt sequentia dubia: « Cum festum, cui adnexa sit aliqua Indulgentia, legitime quidem trans-

[1] 18 Febr. 1921. CO. XIII, 165.

fertur, sed ad tempus tamtummodo et absque solemnitate atque externa celebratione, quaeritur: 1° utrum Indulgentia cesset vel maneat diei affixa; et quatenus negative ad 1am partem, utrum 2° maneat etiam cum festum transfertur ob occursum feriae VI in Parasceve? » — Sacra Poenit. respondit: Circa 1um, *negative ad 1am partem, affirmative ad 2am*. Circa 2um, *affirmative*. — Sanctitas Sua (Bened. PP. XV) enunciata responsa approbavit et publicari iussit ».

258. **De tempore utili ad lucrandas indulgentias.** — *Can. 923. Ad lucrandam indulgentiam,* quae proinde concessa supponitur, sed sub duplici conditione: a) *alicui diei affixam*, et propter hanc connectitur hic canon cum praec., b) *si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur*, per quam intelligitur accessus ad huiusmodi locum sacrum ex motivo fidei aut religionis cum intentione Deum ibidem honorandi in seipso aut in sancto aliquo, recitando v. gr. quinquies Pater, Ave et Gloria, quod sufficit; sed praedicta visitatio non est necessaria, nisi exprimatur in concessione, et idem dicatur quoad ipsius Ecclesiae determinationem. Imo ex Dec. S. Congr. Indulgentiarum [1]: « Quod ad ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum (necessariorum) implementum ». — His suppositis prosequitur canon: visitatio *haec fieri potest a meridie diei praecedentis,* in quo supputando et sequenti media nocte « standum est communi loci usui » (can. 33 § 1), *usque ad mediam noctem quae statutum diem* pro indulgentia lucranda *claudit*. Et est casus exceptus in can. 31 quoad tempus supputandum, « nisi aliud expresse caveatur ». In Dec°. autem Congr. S. Officii [2]: « Hoc declaravit Pius X fore valiturum, tam pro Indulgentiis plenariis, quam pro partialibus, semel in die, aut toties quoties acquirendis, concessis, vel concedendis, quacumque demum sub loquutione tempus sive dies designetur ». Proinde nisi huic canoni explicite derogetur in futura concessione.

259. **De cessatione concessarum indulgentiarum.** — Quoad hanc concessionis cessationem solummodo quidquam respectu indulgentiarum realium praescribitur in *can. 924.* § 1. *Ad normam can. 75*, scilicet: eo quod sicut privilegia realia et localia etiam huiusmodi indulgentiae iure censentur loco reique adhaerere: quemadmo-

[1] 19 Maii 1759, Dec. auth. n. 214. — [2] 26 Ian. 1911, CO. III, 64.

dum ergo (can. 75) « privilegia localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur », quia interim in usum deduci nequibant, veluti mortua « reviviscunt », ita similiter statuitur in praesenti canone: *indulgentiae adnexae* per concessionem *alicui ecclesiae*, quarum nomine intelligantur quoque « oratoria publica, quae eodem iure reguntur » (can. 1911, § 1), (etsi de illis potiusquam de his canonem verificari praesumendum est), *non cessant*, videlicet: concessio non perimit, ac propterea loco restituto lucrari poterunt indulgentiae adeundo ipsum, etiam a) *si ecclesia funditus evertatur*, nam si adhuc permaneat fatiscens, indulgentiae interim adhuc lucrari queunt, b) *rursusque* seu dummodo *intra quinquaginta annos* computandos ab eversionis anno excludendo ad normam can. 34, § 3, 4° ac 3° ob analogiam, c) *aedificetur* quoad notabilem eius partem d) *in eodem vel fere eodem loco*, (id est: prope ipsum) scilicet: fundo seu loco fundamentorum, non tantum in eodem oppido aut civitate, etc. iuxta Dec. Sac. Congr^s. Indulg^m. [1]: « 1° An cesset indulgentia Confraternitatis SS. Rosarii, vel aliae indulgentiae, si nova aedificetur Ecclesia fere in loco, ubi vetus existebat? Sac. Congregatio respondit: Ad 1^m Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur », quae conditio retinetur in canone, dum sic explicit: e) *et sub eodem titulo*, vocabulo explicando ad titulum « De ecclesiis » IX huius Lib. His enim sub c), d) et e) simul contingentibus, eadem iuxta hominum mores reputatur ecclesia secundum elementa ipsius materiale ac formale, quamvis splendidior vel minus quam praecedens sit Ecclesia nova, idque exprimitur verbo *reaedificata*. E contra in eodem Dec°. ad dubia proposita: « 2° An cesset indulgentia, si nova Ecclesia aedificetur in coemeterio, non in loco veteris Ecclesiae? », ut puto: « non in loco » saltem partialiter. — « 8° An cesset indulgentia si nova Ecclesia aedificetur in alio loco, et non in coemeterio veteris Ecclesiae? Sacra Congr. respondit: Ad 2^m Affirmative. Ad 3^m ut in secundo ».

Quoad indulgentias stricte reales subditur § 2. *Indulgentiae* a) *coronis* quibuscumque ad precum recitationis usum, seu rosariis, quia « Rosaria et coronae promiscue accipienda sunt » in concessionibus ex Dec°. S. Congr^s. Indulg^m. [2], b) *aliisve rebus*, v. gr. crucibus, crucifixis, scapularibus, parvis statuis, numismatibus, *adnexae*

[1] 9 Aug. 1843, Dec. auth. n. 323. — [2] 23 Sept. 1775, ad 2^m, Dec. auth. n. 237.

per concessionem, *tunc tantum cessant* ex natura subiecti earum ad concessionis tenorem, unde praeter casus sequentis duplicis hypothesis manent indulgentiae inquantum reales: 1us casus est, *cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse* quoad utilem pietatis usum cui destinantur, v. gr. contra ius praecedens, si rosarium in plures partes disrumpatur, etsi postea reficiatur eisdem granis. Hinc caute in Dec^o^. S. Officii [1] circa indulgentias apostolicas in Pontificatu Bened. PP. XV, sub n. « 3. Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae, et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta ». II^us^ casus cessationis indulgentiarum est, quando res indulgentiis ditatae *vel vendantur* « secundum propriam verbi significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18), unde etiamsi permutentur cum alia re aequipollentis valoris, et quamvis « pretium earum non augeatur » absitque consequenter simonia ad normam can. 730.

Cum autem id iuri veteri congruat, optime deservit ut commentarium sequens Dec^m^. S. Congr^s^. Indulg^m^. [2]: « I. An amittant Indulgentias cruces, coronae, etc si quis eas emens, ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmissionis, in ipso actu, quo res illas iam benedictas tradentur? Et quatenus negative. — II. An amittant Indulgentias cruces, coronae, etc. si quis praevidens eas iam benedictas postulatum iri certa occasione, puta magni concursus fidelium, in antecessum benedicendas curet pro iis qui eas, restituto pretio expenso, petituri sint? — Sacra vero Congregatio... respondere mandavit: Ad I. Negative. Ad II. Affirmative ». Et interrogata eadem S. Congr. « 2° An qui emit cruces, numismata etc., et ea distribuat postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa, vel sine periculo indulgentias amittendi? respondit [3]: Ad 2^m^ Negative ».

Notandum est ultimo per canonem abrogari verbis « tunc tantum cessant » Dec^m^. eiusdem S. Congregationis [4] quo respondetur: « Servetur formula Dec^i^. fel. rec. Alex. VII », quod paulo antea ibidem sic enuntiatur « editum sub die 6 Febr. 1657, nimirum, ut coronae, cruces, rosaria, numismata, quae vulgo *medaglie* nuncupantur et sanctae imagines cum praefatis indulgentiis benedictae, non transeant personam illorum, quibus a Sanctitate con-

[1] 5 Sept. 1914, CO. VI, 503. — [2] 10 Iul. 1896, A. S. S. vol 29, pag. 320. — [3] 12 Iul. 1847, Dec. auth. n. 344. — [4] 17 Ian. 1711. Dec. auth. n. 34.

cessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur; neque commodari aut precario dari possunt, alioquin careant indulgentiis iam concessis ». Nunc enim canonis tenore indulgentiae huiusmodi sunt tantum reales ac rem sequuntur independenter ab earum utente aut possessore. Hinc rosaria v. gr. quibus fidelis usus fuerit, possunt aliis dari ita quod possint lucrari indulgentias.

Et hoc nunc authentice constat [1]. Ad Dubium enim: « Utrum canon 924 § 2 Cod. iuris Canonici..., abrogaverit Decretum s. m. Alexandri VII, die 6 februarii anno 1657 editum, a singulis Summis Pontificibus initio pontificatus renovatum, et etiam die 5 Sept. anno 1914 a... Bened... PP. XV confirmatum, quo expresse declaratur (contrarium quoad) Indulgentias vulgo « Apostolicas ». — S. Poenit. Apica, re mature perpensa, respondendum censuit: *Affirmative* ».

260. **Facultates Vicariorum ac Praefectorum Apostolicorum adnectendi indulgentias.** — In quinque Formulis extenditur ad hos Praelatos facultas « benedicendi solo crucis signo, (unde verba cuiuslibet formulae non sunt necessaria), cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis (iuxta rescripta pro tempore illo elargita per S. Poenitentiariam, et pro more inveniuntur in Indice publicato quando novus Rom. Pontifex ad Petri sedem evectus est, v. gr. 17 Febr. 1922 per S. Poenitentiariam [2] et *Indulgentiae Apostolicae* appellantur), *coronas* precatorias (etiam ssmi Rosarii), cruces (cum imagine), parvas statuas (Sanctorum) et sacra *numismata* (utpote quae referunt obiectum religiosum); et adnectendi (pro arbitrio atque in eodem actu) coronis indulgentias (lucrandas per recitationem Pater aut Ave cum eorum usu), quae a s. Birgitta et quae a Patribus Crucifigeris (qui eas elargiendi privilegium habebant) nuncupantur ».

Peculiaris est Formulae utriusque minoris, illa facultas quae Episcopis etiam titularibus ut privilegium per can. 349, § 1°, 1° concessa est. « Erigendi pium exercitium Viae Crucis (in memoriam passionis D. N. I. Ch.) ritu ab Ecclesia praescripto (accurate servando, cuius « benedictiones invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta » can. 1148, § 2), cum applicatione (ipso facto) Indulgentiarum, quae huiusmodi exercitium peragentibus (ad normam in *Raccolta* descriptam) a Summis Pontificibus (tempore quo peragatur) impertitae sunt (et ex illa *Raccolta* cognoscendae); et applicandi easdem Indulgentias crucibus et crucifixis (sine imagine igitur vel cum ea, et lucrandas manu tenendo haec obiecta dum recitantur vicies *Pater*, *Ave* et *Gloria* cum Passionis consideratione, sed) pro infirmis aliisque legitime impeditis (impossibilitate, v. gr. in carceribus, in mari, in partibus infidelium), prae oculis habito Decreto s. Poenitentiariae diei 14 Decembris anno 1917 » [3].

[1] 18 Febr. 1921. CO. XIII, 164. — [2] CO, XIV, 143. — [3] CO. X, 30.

Sicut praecedentes facultates ita et sequens « ea lege conceduntur, ut subdelegari possint ». (Animadversio prima). — Ex quinque Formulis obtinetur facultas « benedicendi crucifixos (nempe: cruces cum imagine Iesu Christi) cum Indulgentia plenaria vulgo *toties quoties* nuncupata: idest (hoc sensu tantum interpretanda) a quocumque ex fidelibus (clerico, laico vel religioso) in mortis periculo (etsi non statim secuturae) constitutis lucranda (pro eodem articulo, deosculando nempe huiusmodi crucifixum ac servatis conditionibus confessionis ac sacrae communionis). — Grassantibus autem epidemicis (propter infirmorum multitudinem, quae communem infirmitatis causam ostendit) vel contagiosis (eo quod ex tactu vel proximitate infirmorum propagetur) morbis, (hac tantum alterutra occasione) concedendi (etiam generaliter) ut fideles *in periculo mortis* (etiam alia de causa) constituti *Indulgentiam plenariam* lucrari possint, (sub hac conditione quod quamlibet) Christi crucifixi imaginem (in defectu alterius vel sequentis, etiam depictam) vel crucem (absque imagine) deosculando, vel ea deficiente (utraque), ssmum Iesu nomen corde saltem, (sub conditione: si ore non potuerint, (nam secus ore) invocando ».

261. **An indulgentiarum concessiones ac decreta etiam generalia de ipsis ante Codicem adhuc vigeant.** — Haec quaestio proponitur propter can. 2 ubi legitur « omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur » et ob can. 6, 6° in quo ratione omissionis in Codice leges disciplinares abrogantur, « nisi in probatis liturgicis libris reperiantur ». Concessiones autem ac decreta praedicta valde differunt a legibus liturgicis, nec in huiusmodi libris reperiuntur. — Respondendum est cum distinctione. Vel illa decreta concessionesque corriguntur in hoc articulo vel sequenti aut in alio Codicis canone, atque tunc evidens est, applicandum esse statutum Codicis potius ipsis quam legibus liturgicis unice in genere salvis, vel illae concessiones ac Decreta non opponuntur praescriptis Codicis, atque in hac hypothesi est considerandum concessiones indulgentiarum leges proprie non esse, sed vere actus administrationis thesauri Ecclesiae, qui, sicut ceteri actuum administrationis circa quaecumque bona Ecclesiae, effecti a Codicis scopo extranei manent quoad eorum robur: decreta vero sunt verae normae servandae in adimplemento conditionum ad indulgentias lucrandas, sed cum respiciant actus non obligatorios, ponendos tamen ut quaedam requisita pro recipiendo illo remissionis beneficio, uti conditionum determinationes sunt accipiendae, nec proinde sunt proprie leges, de quibus tantum est digestus Codex. Idem repetendum de normis per Decreta propositis, atque per eos servandis, qui commissam facultatem indulgentias

elargiendi vel potius obiectis piis adnectendi obtinuerunt. Facultates enim illae sunt gratiae, quae diversimode pro arbitrio concedentis limitantur ac modum recipiunt.

Ex dictis patet qua de causa canones huius et seq^m. articulorum supponant evidenter illa omnia ordinata manere. Denique solummodo Decreta, quae respiciant ordinarias facultates pro indulgentiis concedendis, stricto sensu videntur vocanda leges, ac istae in praecedentibus sunt canonibus contentae « explicite aut implicite », alias « vim omnem amississe dicendae sunt » (can. 6, 6°).

262. **Numismata scapularibus substituenda.** — Iuxta explicationem praec^s. can^s. utiliter hic subnectimus cum declarationibus Dec^m. « Cum sacra » C. S. Off.[1].

Concessio est: « Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a S. Sede probatis scapularibus (exceptis quae Tertiorum Ordinum sunt propria), per regularem, ut aiunt, impositionem iam adscriptis aut in posterum adscribendis, licere posthac pro ipsis, sive uno sive pluribus, scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum, seu aliter, decenter tamen super propriam personam deferre, quo servatis propriis cuiusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino*, quod dicunt, scapularis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis adnexas participare ac lucrari possint et valeant ». Substituit ergo huiusmodi metallicum numisma scapularibus ad effectus horum spirituales: non autem scapulari cuiusque tertii ordinis.

Conditiones numismatis sunt: 1^a materialis: « Huius numismatis partem rectam, Ssmi D. N. I. C. suum sacratissimum Cor ostendentis, aversam, Bmae V. M. effigiem referre debere »; non interest sub qua advocatione. — 2^a conditio spiritualis: « Idem benedictum esse oportere tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, queis, pro lubitu petentium, suffici velit ».

Denique de modo benedicendi, et de his qui hanc facultatem habeant agitur; videlicet: « Singulas has, demum, benedictiones impertiri posse *unico crucis signo;* 1°) vel in ipso adscriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate, 2°) non interest an ser-

[1] 16 Dec. 1910, CO. III, 23.

vato vel non diversarum adscriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, 3°) a quovis Sacerdote, etiam ab adscribente distincto; (sed ab illo tantum) qui respectiva scapularia benedicendi sive ordinaria sive delegata facultate polleat, firmis coeteroquin primitivae facultatis limitibus, clausulis et conditionibus ».

Declarationes adiectae fuerunt quoad facultatem huiusmodi ante Dec^m. obtentam [1]. Videlicet: « 1. Numismata a facultatem habentibus rite iam benedicta, etiam in posterum scapularium loco gestari poterunt, eo modo et sub iis conditionibus, quibus constitit factam esse potestatem ».

Similes tamen facultates etiam ad idem subdelegandi iam ab anno 1915 certo cessavere iuxta nn. 2 et 3 Declarationum.

Denique prodiit Dec. eiusdem S. Congr^s. [2], in quo de benedictionis actu quaesitum fuit: « I. Utrum sacerdos pollens facultate Scapularia imponendi, possit unico signo crucis pro unoquoque scapulari benedicere publice omnia Ss. Numismata quae habent fideles in Ecclesia vel in quodam conventu, quin haec Numismata videantur, nec in individuo cognoscantur?... Ad I. Affirmative ».

Quoad personam pro quibus deservire queant similia Numismata, quaesitum fuit: « II. Utrum benedictio impertiri possit Ss. Numismatibus pro personis iam non adscriptis scapularibus per impositionem, sed postea vel serius adscribendis; quae Numismata gauderent favoribus Scapularium, tempore quo personae erunt adscriptae per regularem impositionem?... Ad II. Affirmative ad (hanc) primam partem... III. Utrum benedici possint Numismata multa, quae distribuenda sunt quibuscumque personis, quarum aliae iam Scapularibus adscriptae sunt, et aliae non adscriptae; et in hoc casu, Numismata, saltem personis iam Scapularibus adscriptis data, eruntne benedicta?... Ad III. provisum in II. ».

Art. II. — *De indulgentiis acquirendis.*

Can. 925. - § 1. Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis.

§ 2. Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem.

Can. 926. - Plenaria indulgentia ita

[1] CO. III, 24. — [2] 5 Iun. 1913, CO. V, 303.

concessa intelligitur ut si quis eam lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet.

Can. 927. - Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi omnesque exempti in territorio degentes.

Can. 928. - § 1. Indulgentia plenaria nisi aliud expresse cautum sit, acquiri potest semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur.

§ 2. Partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri.

Can. 929. - Fideles utriusque sexus qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius ecclesiae non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare queunt propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint.

Can. 930. - Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiae omnes a Romano Pontefice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt.

Can. 931. - § 1. Ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa; communio autem in pervigilio eiusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam.

§ 2. Pariter ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam etc., ductis concessas, confessio et communio fieri etiam potest intra octavam quae immediate sequitur exercitium expletum.

§ 3. Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei.

Can. 932. - Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.

Can. 933. - Uni eidemque rei vel loco plures ex variis titulis adnecti possunt indulgentiae; sed uno eodemque opere cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit.

Can. 934. - § 1. Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem Summi Pontificis praescribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi peculiaris aliqua assignetur.

§ 2. Si peculiaris oratio assignata fuerit, indulgentiae acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel Sacrae Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractationem vel interpolationem.

§ 3. Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur.

Can. 935. - Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant.

Can. 936. - Muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus,

si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant.



263. **Inscriptio articuli.** — Deinde considerandus est *Art. II. De indulgentiis* descriptis in primo can. (911) articuli praecedentis, atque omnibus secundum earum distinctiones in eodem articulo explicatas, *acquirendis*, quod proprie dicitur, tum quando fidelis conditiones adimplens sibi remissionis poenae bonum obtinet, tum quando per has conditiones adimpletas simul cum voluntate saltem implicita suffragium curandi, fidelibus defunctis solatium remissionis illius misericorditer procurat; in utroque enim casu vere *quaerit studiose ab* Ecclesia thesauri particulam per conditionum adimplementum.

264. **Canonum coordinatio** talis est. De acquirente indulgentias loquuntur can. 925-930, ita ut primo dicatur, quis capax sit ac revera lucretur ea, qua vero amplitudine indulgentiam plenariam. Deinde subiectum decernitur quoad indulgentias ab Episcopis concessas, et quoties in die indulgentiae quaelibet a fidelibus lucrari possint, quibusdam vero facilitas tribuitur lucrandi nonnul-

las, et quasnam possint aliis applicare. Hos sequuntur canones usque ad finem articuli circa opera iniuncta, ut indulgentiae lucrandae conditiones, et sunt can. 931 quoad confessionem et communionem, can. 932, 933 de operum conditione generica pro omnibus ac nonnullis indulgentiis, can. 934 peculiariter loquitur de oratione quae semper requiritur, ac denique can. 935 ac 936 de commutandis operibus iniunctis sunt solliciti, sive ab homine sive a iure commutatio illa fiat.

265. **Conditiones subiecti ad lucrandas quaslibet indulgentias.** — *Can. 925.* § 1. *Ut quis capax sit,* hoc est: nullum habeat defectum vel impedimentum circa facultatem *sibi lucrandi,* seu acquirendi bonum ultra debitum sibi, scilicet: *indulgentias* quaslibet, *debet esse* a) *baptizatus,* quia ut supra vidimus ad can. 911 de illorum natura, « ad hoc quod applicentur isti (merita Ecclesiae) requiritur... unio eius cui dispensatur (indulgentia), ad eum qui merebatur (illud in thesauro Ecclesiae repositum), quod fit per caritatem, (qua orbantur non baptizati, imo quamvis flaminis baptismo sint purificati, dum extra Ecclesiam manent ob baptismi defectum, non salvatur necessaria pro indulgentiis) « intentio illorum qui opera meritoria fecerunt, fecerunt enim ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae in generali » [1]. Cum autem supervenire accidat iure humano separatio ab Ecclesia uti spirituali societate humana, sequitur secunda necessaria immunitas: b) *non excommunicatus,* eo quod de natura excommunicationis iuridica est, quod « Excommunicatus (qua talis) non fit particeps indulgentiarum ». (can. 2262, § 1).

Demum connumeratur necessaria qualitas c) ut sit *in statu gratiae,* nam « membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis. Sed ille qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum » [2]. Sufficit tamen illum statum habere, ut dicitur in canone: *saltem in fine operum praescriptorum* uti conditionum ad lucrandas indulgentias, quia tunc ei applicatur poenae remissio. Ergo iuxta postremam clausulam, etiamsi opera praescripta exercita fuerint ab existente in mortali peccato, posita vero sine actuali peccato: et haec canonis clausula exprimitur per

[1] D. Th. Suppl. q. XXV a. 2 c. — [2] Suppl. q. XXVII a. 1. Sed contra.

aliam concessionis indulgentiae partialis : « corde saltem contrito », secundum quam etsi pro indulgentia lucranda non sit confessio necessaria, peccatori tamen necesse est gratiam consequi per actum verae contritionis.

Illis qualitatibus praeditus debet ultimo esse d) *subditus concedentis,* quia huius administrandi potestas non extenditur ultra limites iurisdictionis eius, nisi aliter iure aut privilegio cautum sit v. gr. de S. R. E. Cardinalibus, qui « facultate gaudent... concedendi indulgentias ducentorum dierum, in aliis locis (praeterquam « suae iurisdictionis vel protectionis »), sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas » (can. 239, § 2, 24°). « Cum quidam vero Episcopus Ritus Orientalis dubium proposuisset utrum fideles Rituum Orientalium lucrari possint omnes Indulgentias a Summo Pontifice universali decreto concessas, S. Poenitentiaria respondendum censuit : Affirmative » [1].

Subiecto igitur praedito quatuor conditionibus, quae in § praec. declaratae sunt, oportet inspicere statuentem § 2. *Ut vero praefatum subiectum capax eas* nempe : « indulgentias » declaratas *revera lucretur,* et cum desit verbum « sibi » adhibitum in §° 1°, interpretanda est haec clausula sicut et §¹ huius praescriptum, sibi aut aliis, *debet habere* a) *intentionem*, seu actum voluntatis quandoque elicitum, quae intentio habitualiter maneat ; ut innuunt verba : *saltem generalem* quoad multas indulgentias, *eas acquirendi* hic et nunc, vel in futurum data opportunitate, vel quae operibus a se faciendis adnexae sunt forsan ignoratae ab eo, iuxta regulam enim Iur. Rom. LXIX : « Invito beneficium non datur », et cuiuscumque interest aut per se aut per indulgentias Divinae Iustitiae satisfacere, nam « In alternativis, debitoris est electio », ut ait reg. Iur. 70 in 6°. In illa quoque intentione continetur implicite altera quandoque necessaria iuxta Dec. S. Congr.ª Indulg.ᵐ [2]. « 3° Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. gr. pro extirpatione haeresum etc. an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus ? S. Congr. respondit... Ad 3ᵐ. Negative ».

Alia vero conditio in canone posita est : b) *et opera iniuncta*, nempe : oratio vocalis semper, quandoque determinata, quandoque cum ecclesiae visitatione fortassis aliqualiter designatae, ac pro in-

[1] 7 Iul. 1917 ; CO. IX-399. — [2] 12 Iul. 1847, Dec. auth. n. 344.

dulgentiis plenariis confessio ac communio ; nec aliquando exclusa est eleemosyna, ceu subsidium charitativum, aut religionis causa, veluti unicum opus, adiunctumve aliis pro quibusdam lucrandis indulgentiis ; similiterque dicatur de mortificationis actu v. gr. ieiunio, peregrinatione, sed non unice praescripto : necesse est igitur praedicta *implere,* non tantum quoad substantiam, sed etiam c) *statuto tempore ac debito modo* quoad operum circumstantias *secundum concessionis tenorem,* qui quoad multa communis est, sed non raro proprius huius alteriusve concessionis, ac propterea semper inspiciendus.

Notata canonis diversitas in §§[is] ex pronomine « sibi » non secumfert conditiones subiecti sub §° 1° non esse necessarias in lucrandis indulgentiis pro defunctis, sed Codex harum considerationem tunc omisit, quia illae conditiones sub litteris *a*) et *b*) ob naturam indulgentiarum et ex cit. can., ut patet, sunt semper necessariae, de alia sub littera *c*) disputatur inter Doctores an requiratur in lucrandis indulgentiis pro defunctis, attamen iuxta sententiam in can. 911 propugnatam non requiritur, quia per opera pro indulgentiis iniuncta non provenit remissio poenae implenti ea, sed animabus purgatorii caritate coniunctis Ecclesiae ; ultima vero sub littera *d*) semper verificatur ad normam can. 913 n°. 2°.

266. **Mensura pro subiecto indulgentiam plenariam lucrante.** — Quod in definitione plenariae indulgentiae supra docuimus, refertur authentice in *can. 926. Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur,* iuxta ergo concedentis illam Legislatoris mentem, *ut si quis eam* plenarie, idest : secundum eius amplitudinem qua ei remitteretur omnis poena debita ob aequalem thesauri participationem, *lucrari non possit* propter defectum in dispositione quae accurata requiritur, *eam tamen partialiter lucretur,* non iuxta taxationem concedentis, quae in casu deest, *sed pro dispositione* (ad maiorem vel minorem remissionem) *quam habet,* dum eam actu obtinet. Et quamvis canon videatur loqui de lucrante indulgentiam plenariam sibi, nihil obstat, quominus illum interpretemur de indulgentia eadem ad modum suffragii, « sed pro dispositione quam habet » defuncti anima propter ipsius « dum in corpore viveret » merita erga Divinam Misericordiam, « ut ei possint ista prodesse » [1] post mor-

[1] S. August. in Enchir. cap. 109 et seq. et lib. De cura pro mort. cap. 2.

tem, iuxta Breviarii (Dominicanorum) lectiones in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

267. **Subditus Episcopi indulgentias concedentis.** — Iuxta ea quae diximus interpretando verba « subditus concedentis » in can.s 925 § 1°, atque ut salva maneat illa clausula, sequenti modo interpretandus est *can. 927. Nisi aliud ex concessionis* pandentis voluntatem concedentis, et quae nequit extendi ultra limites administrandi eidem iure constitutos, *tenore appareat*, quo restringat eam ad quosdam sequentium in canone, *indulgentias ab Episcopo concessas*, cuius nomine ad normam explicationis can. 912 « venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), et « ab hac lege lata in similibus » (can. 20) insuper Vicarius et Praefectus Apostolicus, *lucrari possunt* a) *tum subditi* ad normam can. 94 pro laicis et 111 ac seqis. pro clericis, *extra territorium*, congruenter can.[1] 201 § 3 statuenti similiter quoad voluntariam iurisdictionem, b) *tum peregrini*, qui partialiter ad normam can. 14 § 1, 2° huic Episcopo subsunt, c) *tum vagi*, qui « omnibus huius legibus obligantur » (ib. § 2°) d) *omnesque exempti*, proindeque ceteri religiosi, dummodo singuli praedicti, exceptis Episcopi subditis, sint *in territorio degentes:* quod verbum innuit, ut alias, commorationem non transeuntem, intra illius territorii limites etiam quoad loca exempta.

Quoad exemptos afferri potest ut ratio reg. iuris 61 in 6°: « quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ».

268. **Indulgentiae semel aut saepius in die lucrandae.** — Contrario modo de indulgentiis plenariis ac partialibus disponit *can. 928.* § 1. *Indulgentia plenaria* sive pro vivis sive pro defunctis tantum concessa, vel sic illis ut in horum suffragium applicari queat, *nisi aliud expresse cautum sit*, videlicet: per clausulam quae verba « toties quoties » contineat, v. gr. de indulgentia plenaria, quam pro « die secunda Novembris cuiuslibet anni Pius X concedere dignatus est, animabus piacularibus flammis addictis tantummodo profuturam » [1], pro qua indulgentia pluries lucranda, vel pro pluribus indulgentiis plenariis lucrandis ob diversas concessiones, intendens ipsas eodem die lucrari « tenetur ecclesiam... (quando

[1] Dec. S. Officii. 25 Iun. 1914, CO. VI, 278.

eius visitatio requiritur) tot vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae,... et de ecclesia post quamlibet visitationem... egredi, et denuo in eam ingredi ». Ita declaratum fuit a S. Congr. Indulgent. [1]. Proponit canon generalem normam de « indulgentia plenaria », nempe : *acquiri potest* ex unaquaque concessione *semel tantum in die* computando ad normam explicati can. 923 ; et eo quod indulgentia est plenaria, rationabiliter statuitur sic iuxta illius intelligentiam in can. 926, propter quod additur *: etsi idem opus praescriptum* v. gr. oratio, Ecclesiae visitatio *pluries ponatur* de facto. Idque congruit iuri praecedenti seu Dec°. S. Congr^s. [2].

Quod Pius X per Dec. S. Officii [3] « benigne respondere dignatus est », id exprimit can^s. huius § 2. *Partialis indulgentia* supra definita, *nisi contrarium expresse notetur,* idest « si nulla fiat in ipsarum concessionibus declaratio de iis pluries (numero determinato) in die, vel semel tantum acquirendis », *saepius* ad libitum *per diem* computandum « a media nocte ad mediam noctem », ut respondit S. Cong. cit. [4] ad 1^m dubium : « Utrum, nisi aliud expresse habeatur in indultis, indulgentiae lucrandae incipiant a media nocte, an vero a primis vesperis ». Et cum huic responsioni derogatum sit per can. 923 solum « si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur », viget pro aliis ad normam can. 32 § 1. Sed animadvertatur conditio : *eodem opere,* quod indulgentia partiali ditatum est, *repetito,* illa *potest lucrifieri* ab eodem subiecto.

269. Fideles in communi viventes quoad Ecclesiae visitationem. — Dec. Congr^s. S. officii [5] adamussim translatum est in *can. 929. Fideles utriusque sexus,* et rationis usu praediti ob canonis naturam in re libera statuens privilegium, I° *qui* a) *perfectionis studio* cum votis religiosis aut sine eis, b) *vel institutionis* praecipue quoad mentem, c) *seu educationis* nempe : praesertim circa mores, d) *aut etiam valetudinis causa* v. gr. in hospitali etiam privato, a) *in domibus* quibuslibet b) *ecclesia vel publico sacello,* ut definiuntur in can^s. 1161, 1888 § 2, 1°, *carentibus,* c) *de consensu* quod caute notetur *Ordinariorum* locorum *constitutis* d) *vitam communem agunt,* quae clausula ne inutiliter inserta dicatur, saltem quoad victum et normas domus ab omnibus servandas in-

[1] 29 Febr. 1864 ad 2^m et 3^m. — [2] 7 Mart. 1678. — [3] 25 Iun. 1914. CO. VI, 379. — [4] 12 Ian. 1878. Dec. auth. n. 434. — [5] 14 Ian. 1909. CO. 1, 210.

telligenda est ; II° *itemque personae omnes* ut supra in can^s. initio, a) sed *ad illis* antea dictis *ministrandum* quomodolibet, in hunc ergo finem b) *ibidem* idest : in singulis praefatis « domibus » *commorantes*, nec additur diu noctuque non inclusum in illo verbo, seu dum commorantur, non circa omnia opera pro indulgentiis iniuncta, bene autem α) *quoties,* etsi pluries in die, *ad lucrandas indulgentias* ut frequenter plenarias, sed viget quoque de partialibus, *praescribatur* ut conditio *visitatio* a) *alicuius ecclesiae* b) *non determinatae, vel* b) *indeterminati alicuius* a) *publici oratorii* congruenter can. 1911 § 1, *visitare queunt* loco sacrorum locorum illorum a) *propriae domus*, non alienae similis, *sacellum* b) *in quo obligationi audiendi Sacrum iure* scilicet : vi can. 1193, 1249 *satisfacere possunt*, c) *dummodo cetera opera iniuncta* in earum indulgentiarum concessione, v. gr. orationem. ieiunium, communionem, *rite,* prout explicatum est in can. 925 § 2, *praestiterint.*

270. **De indulgentiarum applicatione.** — Quod ex concessionum omnium tenore infertur, generaliter proponit *can. 930. Nemo,* cuiuscumque igitur dignitatis, *indulgentias acquirens* adimplendo iniuncta opera *potest eas* istis adnexas *aliis* etsi capacibus ad normam §^i 1^ae can^s. 925, sed *in vita degentibus applicare.* Ac patet : quia « non existente conditione, non consequitur illud, quod sub conditione datur. Unde cum indulgentia detur sub hac conditione, quod aliquis aliquid faciat vel det, si illud non exerceat, indulgentiam non consequitur » [1]. Ex opposito statuitur in secunda canonis parte : *animabus autem in purgatorio detentis*, hae namque solummodo sunt remissionis capaces, *indulgentiae omnes*, tam plenariae quam partiales *a Romano Pontifice* etsi per Romanam Curiam aut vivae vocis oraculo *concessae* ante vel post Codicem, ac huius vi canonis, *nisi aliud constet*, v. gr. sicut solet exprimi de indulgentia plenaria in articulo mortis esse tantum pro vivis, vel de indulgentia plenaria toties quoties die 2 Novembris dicitur suffragari per eam tantum defunctis, alias semper *applicabiles sunt* arbitrio eas lucrantis. Hoc ipsum indulgere dignatus fuerat Pius IX [2], sequenti postulationi annuens ; « ut deinceps omnes et singulae indulgentiae,... in editionibus *Raccolta di orazioni e pie opere... etc.*

[1] D. Th. Suppl. q. XXVII, a. 3, c. — [2] 30 Sept. 1852, Dec. auth. n. 361.

Romae, in posterum de licentia S. Congregationis recensendae, fidelibus etiam defunctis applicabiles esse intelligantur » [1].

271. **De confessione ac communione ad indulgentias nonnullas requisitis.** — Pro consequenda indulgentia plenaria praescribuntur regulariter visitatio Ecclesiae vel Oratorii publici, de qua invenitur privilegium in can. 929 antea declarato, piae preces de quibus peculiaris est can. 934, et Confessio ac S. Communio quas moderatur praesens *can. 931.* Pius X per Dec^m^. S. Officii [2] « crebriorem cupiens facilioremque usum reddere Eucharisticae Communionis, et nihilominus aliquando obstare noscens praescriptam (pro indulgentiis lucrandis) sacramentalem confessionem (iuxta Dec^m^. 11 Martii 1908); firmis manentibus amplioribus iam factis concessionibus (vel generalibus vel aliis nunc ad normam tantum can. 4), ac nominatim relate ad eos, qui quotidie vel fere Angelorum pane reficiuntur (et quae inseritur in subsequenti § 3), benigne concedere dignatus est, sicut legimus in § 1. *Ad quaslibet indulgentias lucrandas*, sine harum discretione inter reales, locales, personales, *confessio forte requisita,* et circa quam sic statutum est per S. Congr^m^. Indulg^m^. [3] « Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus (idem dici debet de rescriptis) apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt »; quamvis iusta eiusdem S. Congregationis responsionem ad 2 [4]: « necesse non sit, ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad indulgentiam lucrandam ». — Haec ergo « confessio » iuxta canonem *peragi potest* etiam sine speciali motivo *intra octo dies*, qui « constant 24 horis continuo supputandis a media nocte » (can. 32), *qui immediate praecedunt diem,* non in quo visitatio Ecclesiae forsan iniuncta fieri potest, idest: a meridie quoad « indulgentiam alicui diei affixam » (can. 923), sed illum praecise *cui indulgentia fuit affixa.*

Sequens autem canonis pars excerpta est ex Dec.^o^ saepius cit.^ae^ Congr.^s^ [5]: *communio autem* in casu praescripta, et circa quam scitu digna sunt sequentia Dec.^a^ cit.^ae^ Congr.^s^ [6]: quod « eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae (ad normam can. 928,

[1] Vide in calce pag. 310. — [2] 23 Apr. 1914, CO. VI, 308. — [3] 19 Maii 1759, Dec. auth. n. 214. — [4] In Dec. 15 Dec. 1841, Dec. auth. n. 295. — [5] 6 Oct. 1870, Dec. auth. n. 426. — [6] 29 Maii 1841 ad 1.^m^ Dec. auth. n. 291.

§ 1 explicatam), quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae », atque [1] « Christifideles secundum canonem " Utriusque sexus „ (nunc Codicis 859) Sacramentum Eucharistiae suscipientes tempore paschali possint per hanc Sacram Communionem lucrari indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam inter cetera praescribatur S. Communio... dummodo indulgentia lucrifacienda non sit in forma iubilaei, pro qua tantum requiritur peculiaris Confessio ac Communio ». Haec igitur iuxta canonem « peragi potest » semper *in pervigilio eiusdem diei* assignati pro indulgentia; imo canonis concessio duplex ampliatur adhuc: *utraque vero* nempe: confessio ac communio praefatae peragi queunt *etiam intra subsequentem* diei, cui adnexa est indulgentia, *totam octavam* etsi non liturgicam, idest: intra octo dies immediate illum sequentes.

Huic postremo statuto consequens est § *2. Pariter ad lucrandas indulgentias* ut in §° 1°, sed *pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam,* quae « constat septem diebus » (can. 32, § 1) *etc.*, uno verbo: in plures dies *ductis concessae,* etiam pro unico casu, *confessio et communio* de quibus in §° 1° *fieri etiam potest,* salvo igitur illius praescripto, *intra octavam* (idest: octo dies) *quae immediate sequitur exercitium expletum,* nempe: ultimum tridui, hebdomadae, etc. diem.

Denique privilegium quoad confessionem ex Dec.° S. Congr.ⁿ [2] sed ampliatum, quod « valet etiam pro lucranda indulgentia vulgo de Portiuncula », ut declaravit ead. S. Congr. [3], simul cum alio quod Pius X concessit [4], coadunantur in § *3. Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur* ex motivo quod a lege excusaret, igitur habitualiter a) *saltem bis in mense,* scilicet: « infra spatium 30 dierum » (can. 32 § 1) *ad poenitentiae sacramentum accedere,* quod sufficit, quamvis non compleatur absolutione ipsis fortasse non necessaria, ut supra declaratum est, b) *aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie.* prout nempe ad hanc quotidianam receptionem sufficere declaravit S. Cong. Concilii in Dec.° « Sacrosancta Tridentina Synodus » [5], cum sequenti concessa moderatione: *quamvis semel aut iterum,* idest: bis etiam *per hebdomadam* seu « spatium 7 dierum » quodcumque (can. 32,

[1] 10 Maii 1844 ad 1.ᵐ Dec. auth. n. 327. — [2] 9 Dec. 1763; Dec. auth. n. 231. — [3] 12 Mart. 1855. Dec. auth. n. 364. — [4] 14 Feb. 1906. — [5] 17 Dec. 1905, CO. II, 894.

§ 1) *ab eadem abstineant*, quacumque vel nulla de causa, illi tam sub littera a) quam sub littera b) *possunt omnes indulgentias consequi*, plenarias quoque ac toties quoties, *etiam sine actuali confessione* ad normam §§ 1 et 2, *quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret* ut conditio ex earum concessione, *exceptis indulgentiis* a) *sive iubilaei ordinarii*, quod nunc elargitur Ecclesia quolibet 25° anno, b) *et extraordinarii* v. gr. occasione assumptionis novi Summi Pontificis, c) *sive ad instar iubilaei* propter facultates extraordinarias confessariorum ac speciales conditiones implendas [1].

272. **De supererogatoria qualitate operis indulgentiis ditati.** — *Can. 932. Opere*, v. gr. communione, precibus, *cui praestando quis lege* « proprie » dicta (can. 18), non ex constitutionibus religiosorum ad poenam obligantibus, *aut praecepto* « proprie » tali (can. 18), tum Superioris religiosi vi voti obedientiae in subditum, tum in constitutionibus aut regula expresso, tum per Ordinarium imposito ex iurisdictione, *obligatur* equidem sub culpa, *nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione*, saltem iuxta authenticam interpretationem, ut supra vidimus de communione per quam adimpletur praeceptum paschale, *aliud expresse dicatur* saltem implicite, quia de opere obligatorio agat concessio, v. gr. propter preces nunc recitandas statim post Missam. — E contra statuitur: *qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum*, idcirco ad quod « obligatur ex praecepto » iudiciali confessarii et sub culpa, recte igitur additum est verbum « tamen », *et indulgentiis forte ditatum, potest simul*, si conditiones ceteras adimpleat, *et poenitentiae satisfacere* simul *et indulgentias* illas *lucrari*. Consequens ergo est similia opera laudabiliter in poenitentiam iniungi, ut remissio poenae copiosior sit.

[1] Circa hunc §m utiliter memoratur Vicariorum ac Praefectorum Apostolicorum, quam subdelegare possunt (ex omnibus quinque Formulis) facultas illa « concedendi christifidelibus (singulis vel pluribus, non generaliter, tunc enim esset inutilis potestas subdelegandi elargita) ut *Indulgentias*, propter quas *confessio* saltem bis in mense requiritur, (ergo tantum « exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei »), lucrari possint (ad hanc conditionem quod attinet), etsi ob legitimum impedimentum (v. gr. absentiae missionarii, distantiae huius residentiae etc.) inde a mense (qui « sumatur prout est in calendario, ac dies confessionis ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » can. 34 § 3. 1° 3°) ad poenitentiae sacramentum non accesserint » eo modo quo haec conditio ad lucrandas indulgentias explicata est.

273. **De lucrandis pluribus indulgentiis localibus vel realibus coexistentibus.** — Duo Decreta S. Congr.ⁿ Indulgentiarum in eorum authenticis responsionibus ad 3ᵐ [1] congeruntur in *can. 933. Uni eidemque* a) *rei* v. gr. rosario, b) *vel loco* v. gr. determinatae Ecclesiae *plures ex variis titulis*, idest: c) originalibus concessionibus diversis v. gr. indulgentiae dictae Apostolicae et indulgentiae S. Birgittae, ac illae quae adnectuntur ex privilegio ab Ordine Praedicatorum, *adnecti possunt indulgentiae*, cumulando eas, « dummodo ad eas lucrandas renoventur opera iniuncta iterabilia »; quae clausula prioris Dec.[1] ampliata in altero ad opus ditatum indulgentiis, sic exponitur in canone: *sed uno eodemque opere*, exercito cum illius rei usu, vel in loco praedicto, aut ditato in seipso indulgentiis, praeterea *cui ex variis titulis* ut supra (et per istam clausulam diversi sunt canones iste ac 928) *indulgentiae adnexae sint, non possunt plures* illae *acquiri indulgentiae*. Hinc operans eligere debet, quas praefert, cum duabus tamen exceptionibus, prima iuxta cit. Dec.ª, « dummodo opera iniuncta vere iterari nequeant, vel non soleant, sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria », sed in canone coarctatur taxative: a) *nisi opus requisitum sit confessio vel communio*, quod ad hunc canonem attinet, salvis ceteris huius capitis, b) *aut nisi aliud expresse cautum fuerit* in concessione ipsa vel aliunde, v. gr. exceptio quae facta est a Pio X [2], quoad indulgentias crucigerorum, quae simul cum aliis Ssmi. Rosarii lucrari possunt unica recitatione, utendo rosario utrisque indulgentiis ditato.

274. **De oratione pro indulgentiis iniuncta.** — Quoad modum recitandi orationes quamplura prodierunt Decreta, quorum principaliora continentur in *can. 934.* § 1. *Si ad lucrandas indulgentias*, sola vel simul cum aliis conditionibus *oratio in genere ad mentem Summi Pontificis*, (scilicet: pro tempore existentis, quo indulgentia est lucranda), quod verbum ansam praebere posset falsae interpretationi, *praescribatur, mentalis tantum oratio*, seu interius deprompta, *non sufficit*; multo minus si mens Summi Pontificis illam concedentis exprimatur, quae solet esse pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, pro extirpatione haeresum, uno verbo pro fine determinato, quo in casu S. Congr. Indulg.ᵐ interrogata: « 3° an requi-

[1] 29 Febr. 1820, 12 Ian. 1878 nn. 249, 434. — [2] Dec. S. Congr. 12 Iun. 1907.

ratur intentio explicita, expressa singulis vicibus? respondit [1]: Ad 3.[m] Negative ». — Sequitur in canone: *oratio autem* necessario semper a) *vocalis* non solum in hypothesi praecedenti sed quandocumque praescripta in concessione sit b) *poterit arbitrio fidelium deligi*, v. gr. quinquies *Pater* et *Ave*, c) *nisi peculiaris aliqua* indulgentiis ob concessionem ditata *assignetur* in concessione ipsa.

Qua postrema conditione eveniente, illius orationis necessariam et accuratam recitationem praescribit § 2. *Si peculiaris oratio assignata fuerit*, I° *indulgentiae acquiri possunt* a) *quocumque idiomate oratio* « assignata » *recitetur*, b) *dummodo de fidelitate versionis*, cum versio ex seipsa sit orationi accidentalis, c) *constet ex declaratione* de illa disiunctive d) *vel Sacrae Poenitentiariae*, « cuius est (can. 258 § 2) de iis omnibus iudicare, quae spectant ad usum indulgentiarum », *vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio*, etsi locus ille sit pars dioecesis eius, potest enim pro ipsa edenda declaratione uti opera alicuius competentis parochi vel sacerdotis illius regionis, et hac in re nulli afferente detrimentum unus ac talis testis Ordinario sufficit, *sed*, tum in versione praedicta tum in originali orationis idiomate, II° *indulgentiae penitus cessant ob quamlibet* a) *additionem*, etsi laudabilem in seipsa, b) *detractionem* verborum, quae sensum illius quamvis modicum attingant, c) *vel interpolationem* verbi alicuius modo explicato; nam hae mutationes materiales v. gr. ob recitantis defectum parvipenduntur a legislatore. Prima §[i] pars integre congruit declarationi Pii IX per Dec.[m] S. Congr. Indulg.[m] [2], atque secunda Dec.° Congr. S. Officii [3] cuius ratio est: « cum huiusmodi formulae Indulgentiis ditatae, antea accuratae revisioni subiici soleant, ac eis proinde quidquam demere, superaddere vel in alios sensus inflectere, irreverentia et periculo non careat, et abusibus ansam praebere queat ».

In exemplum praxis contrariae huius §[i] praescripto placet referre « propositum S. Tribunali (Poenitentiariae) sequens dubium: " Quibusdam in locis consuetudo invaluit Litanias Lauretanas sic cantandi ut 1) semel tantum recitetur *Kyrie, eleyson* (Kyrie eleyson, Christe eleyson, Christe audi nos, Christe exaudi nos); 2) invocationes mariales ternae coniungantur cum unico *ora pro nobis* (Sancta Maria, Sancta Dei Genitrix, Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis);

[1] 12 Iul. 1847. Dec. auth. n. 344. — [2] 29 Dec. 1864. Dec. auth. n. 415. — [3] 22 Iun. 1916, CO. VIII, 265.

3) semel tantum pariter dicatur *Agnus Dei*, (Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine, exaudi nos, Domine, miserere nobis).

Attento can. 934, § 2 Cod. Iur. Canon. quaeritur utrum hac ratione fideles lucrari valeant Indulgentias Litaniis adnexas » – Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondendum censuit: *Negative* [1].

Hanc autem sententiam... Sanctitas sua confirmavit et insuper declarari iussit: « praedictam consuetudinem non esse approbandam, ideoque ab Ordinariis prudenter curandum ut in locis ubi viget submoveatur ». Atque in altero Dec.[o] [2] additur de alia ibi reprobata praxi: « et servetur integer Ordo Litaniarum cum indulgentiis adnexis approbatus, nempe: *Kyrie eleison - Christe eleison - Kyrie eleison*, etc. usque ad finem ». His non obstantibus Sacra Rit. Congr. respondendum censuit [3]: « Litaniae Lauretanae cantari possunt per trinas invocationes cum singulis respectivis *ora pro nobis*, populo quartam invocationem cum respectivo *ora pro nobis* respondente ».

Ad confirmationem interpretationis datae ac propter utilitatem practicam, afferre placet summarie declarationem et indultum S. Poenit. Aplcae. [4] de consuetudine « addendi cuilibet salutationi angelicae (in recitatione Ssmi. Rosarii) post vocem « Iesu » brevem enunciationem mysterii meditandi, ita ut dicatur, ex. causa: « Benedictus fructus ventris tui Iesus, qui pro nobis sanguinem sudavit ».

Quaesitum namque fuit: « Utrum praedicta consuetudo servari et *propagari* possit, integris manentibus indulgentiis Ss. Rosario adnexis ». Et die 27 Iulii anno 1920 haec S. Poenit. respondit: *Negative* ».

Itaque post expositionem nonnullorum Ordinariorum Helveticae et Germanicae Ditionis « S. Poenit. re mature perpensa censuit: 1) declarandum esse, can. 934 § 2 C. I. C. continere legem generalem, quae indultum Pianum (anno 1859 pro illis locis ubi iam mos invaluerat) nullimode revocat; 2) supplicandum Ssmo. pro extensione eiusdem indulti, favore omnium qui iuxta praedictum morem in quibusvis locis SS. Rosarium recitare consueverint. — Sanctitas Sua enunciatam declarationem approbavit, et indulti extensionem, uti supra benigne concedere dignata est ».

Aliae orationis circumstantiae non obstantes indulgentiarum acquisitioni, quamvis contrarium ex §[is] praecedentibus timeri posset, recensetur in § *3*. Prout iam Pius VII declaraverat [5] per Dec.[m] Urbis et Orbis cit.[ae] Congr.[s] ad 4[m]: *Ad indulgentiarum acquisitionem satis est* (seu « posse lucrari indulgentias ») a) vocalem *orationem* quamvis peculiarem *alternis cum socio recitare*, quando sit huiusmodi, ut hoc patiatur, v. gr. coronam quamcumque, alias prout sequitur b) *aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur*, quin necesse sit verba orationis simul ab omnibus recitari, modo forsan minus convenienti. — Ad complementum referri potest Dec.[m] S. Congr.[s] eiusdem [6] contentum implicite in can. 925 § 2: « 1° Utrum

[1] 21 Iul. 1919. CO. XII, 18. — [2] 10 Nov. 1921. CO. XIII, 566. — [3] 15 Oct. 1920. CO. XII, 549. — [4] 22 Ian. 1921. CO. XIII, 163. — [5] 29 Febr. 1820, Dec. auth. n. 249. — [6] 18 Sept. 1862: Dec. auth. n. 398.

preces praescriptae ad lucrandas indulgentias sive plenarias, sive partiales, sint recitandae flexis genibus?... Ad 1^m, Negative, nisi aliter praescriptum sit in documento concessionis ».

275. **De piorum operum commutatione ab homine.** — Pius IX clementer indulsit [1] per Dec. S. Congr. Indulg.^m, « ut fideles habitualiter infirmi, chronici, ob physicum permanens impedimentum e domo egredi impotentes », non exclusis ex simili Dec.^o Leonis XIII [2] iis qui in communitate vivunt, « acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias,... quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt,... dummodo vere poenitentes confessi, ac ceteris absolutis conditionibus, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario iniungenda fideliter adimpleant ». Non solum his, sed quibuscumque casibus, per generalem facultatem confessariis quibuslibet concessam providit sequens *can. 935. Pia opera,* non solum communio aut ecclesiae visitatio, sed unum vel plura ex his quae sint *ad lucrandas indulgentias* etiam partiales *iniuncta, confessarii,* nempe: qui iurisdictione sacramentali potiuntur respectu fidelis in loco, *possunt,* etiam extra confessionis sacramentalis actum *in alia commutare* (quin de operum aequipollentia sollicite curandum sit) non dispensare, *pro iis* tantum confessis, aut non, quos tamen absolvere possent, *qui, legitimo detenti impedimento* physico aut morali, quod a norma praeceptiva eos excusaret, proindeque peculiare eorumdem undecumque proveniat, pro indulgentiis igitur « quas acquirere possent in locis in quibus vivunt » sublato impedimento, propter quod *eadem* opera, ut supra determinata *praestare nequeant.*

276. **De surdo-mutis quoad modum orationes fundendi.** — Mutorum impotentiae, qua detinentur recitandi preces pro indulgentiis acquirendis iniunctas, satisfecit S. Congr. Indulg.^m per generale Dec.^m, quod publicari mandavit Pius IX [3], quod utpote casum particularem can.^s praec.^s ac optime restrictum proponit ultimus de indulgentiis *can. 936. Muti lucrari possunt indulgentias adnexas piis precibus*, alioquin « vocalibus » ad normam can. 934, a) *si una cum fidelibus in eodem loco,* v. gr. in ecclesia pro triduanis exercitiis, in processionibus peregrinationum, aut convenientibus proprio arbitro, *orantibus* oretenus, ipsi muti *mentem ac pios*

[1] 18 Sept. 1862, Dec. auth. n. 393. — [2] 16 Ian. 1886. — [3] 15 Mart. 1852; Dec. auth. n. 355.

animi *sensus* quoad voluntatem *ad Deum attollant,* idest: mentalem orationem effundant non praecise congruentem vocalibus orationibus ceterorum, dicente Dec.° « corpore quidem coniuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter (ac in n.° 1° eiusdem Decreti) mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus »; *et si agatur de privatis orationibus,* scilicet: ad quas fundendas vi concessionis necessaria non est coadunatio fidelium, ad indulgentias illis adnexas lucrandas praeter modum supra permissum, si possibilis sit, *satis est ut* I° *eas mente recolant* peculiares vel ex arbitrio delectas ad normam can. 934, *signisve* II° v. gr. genuum flexione, *effundant* interne *vel tantummodo* signorum orationis loco *oculis* devoto animo *percurrant* in folio ubi scriptae illae sint.

TITULUS V.

De extrema unctione.

Can. 937. – Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

277. **Inscriptio Tituli.** — Iam secundum Libri huius propugnatam distributionem considerandus est *Titulus V* inscriptus *De extrema unctione,* ac sic proprie vocatum est hoc sacramentum, ut distinguatur ab altero confirmationis, quod ut vidimus etiam unctione perficitur; additur tamen « extrema » tum quia « hoc sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam », tum « quia non debet dari nisi illis (infirmis) quorum mors est propinqua secundum existimationem hominum [1] ».

278. **Notio sacramenti extremae unctionis.** — Hanc tradit praeliminaris pro more huius Partis *canon 937. Extremae unctionis sacramentum* iuxta dogmaticam definitionem Conc. Trid. [2]: « Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a Beato Iacobo apostolo promulgatum... anathema sit ». — Hoc igitur *conferri debet,* tamquam per essentialia eius constitutiva, a) *per sacras unctiones,*

[1] D. Th. Suppl. q. XXXII a. 2. c. et q. XXXIII a. 1 ad 2[m]. — [2] Sess. XIV De sacram. extremae unctionis, can. 1.

numero plurali adhibito, quatenus saltem ob praeceptum extra verae necessitatis casum plures adhibendae sunt, et est materia proxima huius sacramenti, seu usus materiae remotae idest: rei, quae constituit partialiter sacramentum hoc, designataque verbis: b) *adhibito oleo olivarum*, sed iuxta prius dicta in can. 734, § 1, de sacramenti necessitate *rite benedicto, et* tamquam formale elementum sequitur: c) *per verba in . ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta*, dum sacrae illae unctiones fiunt.

279. **Distributio Tituli in capita ac eorum ordo.** — Verba quidem Iacobi apostoli, quibus promulgatum esse hoc sacramentum dogmatica definitio asserit, sunt iuxta cap. 1 Dec.[1] doctrinalis in ead. sess. Conc. Trid.[1]: « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum huius salutaris sacramenti: intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat, (et iuxta sacramentorum naturam confert, nam « alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei ») ; formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem, etc. ». — De ministro ac subiecto nihil addit hoc in loco S. Synodus, velut verbis Apostoli evidenter declaratum, « inducat presbyteros Ecclesiae, si quis infirmatur in vobis » seu inter baptizatos. Prout in aliis Titulis praesertim de baptismo et de confirmatione ordo servatur capitum, nempe: *Caput I. De ministro extremae unctionis, Caput II. De subiecto extremae unctionis*, et *Caput III. De ritibus et caeremoniis...* sub quibus de materia et forma praedictis agitur, nec alia capita sunt necessaria, quia locus et tempus necessitate infirmitatis non iure determinantur, eiusque susceptionis adnotatio (alias iam praescripta) non est necessaria, sicut nec sacramenti huius susceptio lege aliqua est praescripta.

CAPUT I.

De ministro extremae unctionis.

CAN. 938. - § 1. Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos.

§ 2. Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, §§ 1-3, minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest.

CAN. 939. - Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos.

280. **Inscriptio capitis et canones sub eo contenti.** — *Caput I* inscribitur *De ministro extremae unctionis,* tum valide conferendae tum licite inter illos propter iuris ordinationem, quae nota fiunt in can. 938, et alius can. 939 docet quinam ministrorum obligatione teneantur illud sacramentum conferendi.

281. **Minister validae ac licitae extremae unctionis.** — Conc. Trid. (loc. cit. can. 4) definivit: « Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit ». Idipsum enuntiat in *can. 938, § 1. Hoc sacramentum* ex tituli inscriptione atque can. 937 notum *valide administrat omnis* propter indelebilem characterem ordinis *et solus sacerdos,* non diaconus vel inferior clericus, sed, ut docet Conc. Trid. explicans Iacobi apostoli verba (loc. cit. cap. 3), « aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ordinati per impositionem manuum presbyterii », et quos nunc stricto sensu presbyteros nominamus, sicut in Codice. — Ratio autem est: quia « illa sacramenta dispensanda solis episcopis reservantur, quae suscipientem in aliquo statu perfectionis (interno) super alios ponunt. Hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur. Et ideo per simplices sacerdotes potest administrari [1] ».

§ 2. *Salvo praescripto can. 397, n. 3,* scilicet: deferentis « ius et officium ministrandi Episcopo decumbenti Sacramenta », item *can. 514, §§ 1-3* deferentis « idem ius et officium, in omni religione clericali Superioribus, in monialium domo confessario ordi-

[1] D. Th. Suppl. q. XXXI a. 3. c.

nario vel alteri qui eius vices gerit, atque in alia religione laicali ad parochum loci vel ad cappellanum », his casibus ad normam illorum canonum exceptis, *minister ordinarius*. seu iure regulariter deputatus, *est parochus loci, in quo degit infirmus* decumbens vel non quando recipere vult hoc sacramentum, sive illius sit subditus ad normam can. 94, sive peregrinus aut vagus ad normam can. 91. Huic § 1 regulae adduntur duae exceptiones, quibus designatur minister extraordinarius, statuente canone: a) *in casu autem necessitatis* physicae vel moralis, quando nempe minister ordinarius omnino nequeat, vel non absque incommodo gravi advocari, aut ministrare hoc sacramentum, qui casus accidet etiam si parochus ministrare nolet, b) *vel de licentia*, sive expressa verbis, scripto, aequipollentibus signis, sive tacita, quae adsit et colligitur ex factis eam tribuentis, imo ut ait canon: *saltem rationabiliter,* idest: ex circumstantiis prudenter *praesumpta* quod concederetur, aut factum haberetur gratum, etiamsi nulla subsit causa concedendae licentiae, sed haec sit *eiusdem* nempe: supra designati *parochi vel Ordinarii loci*, « in quo degit infirmus », et in hoc ultimo disiunctivae casu, etiam contradicente parocho; cum qualibet igitur ex his licentiis *alius quilibet sacerdos,* qui ex § 1 « valide administrat » *hoc sacramentum*, etiam licite, servatis ceteris aliunde servandis, *ministrare potest;* ergo est minister iure ecclesiastico extraordinarius sacramenti extremae unctionis.

282. **Obligationis hoc sacramentum ministrandi fundamentum.** — Dictum est in can. 682, primo « de laicis », quod « Laici ius habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona ». — Hanc ergo disciplinam, ad ministrum huius sacramenti quod attinet, pro data distinctione ministrorum statuit *can. 939. Minister ordinarius* in can. praec. designatus a) *ex iustitia* propter susceptum officium *tenetur hoc sacramentum* etiam infirmo non necessarium, sed iuxta reg. Iuris 68 in 6° *per se ipse vel per alium administrare:* ergo liberatur ab hac obligatione casu exceptionum eveniente, et in altera exceptione quando alius sacerdos licentiam acceptavit, prout sequitur; *et in casu necessitatis* declaratae in praec.is can.s § 2°, b) *ex caritate*, proinde iuxta istius ordinatae regulas morales, *quilibet sacerdos* « tenetur » obligatione; attamen oportet memorari « hoc sacramen-

tum per se non esse de necessitate medii ad salutem », ita ut necessitatem proximi extremam non constituat, nisi in casu declarando sub can. 943.

CAPUT II.

De subiecto extremae unctionis.

CAN. 940. - § 1. Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur.

§ 2. In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit.

CAN. 941. - Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione.

CAN. 942. - Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione.

CAN. 943. - Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur.

CAN. 944. - Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant.

283. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Sequitur *Caput II*, cuius inscriptio sic est intelligenda: *De subiecto* determinando quoad validitatem, liceitatem ac eiusdem obligationem suscipiendi *extremae unctionis* sacramentum, cuius naturam edocuit nos canon 937. — Proinde can. 940 determinat subiecti conditiones quoad validitatem ac infirmitatis quoque, propter quod necessario sequitur can. 941 de ministrando vel secus hoc sacramentum in quibusdam circumstantiis; de liceitate autem administrandae extremae unctionis causa subiecti sollicitudinem Ecclesiae patefaciunt can. 942, 943, atque demum obligationem respectu susceptionis edicit can 944.

284. **Subiectum extremae unctionis validae ac de huius iteratione.** — Conc. Trid. (loc. cit. cap. 2) docet: « Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei; res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint, adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; et aegroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert, tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur », et in can. 2 definivit: « Si quis dixerit, sacram infirmorum un-

ctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos,... anathema sit ». — Quam doctrinam ita explicat D. Th. [1]: « sacramentum efficit quod figurat. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis. Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra spirituales defectus quibus spiritualis vita tollitur;... sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae, gratiae, vel gloriae: et hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas, et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali: et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia et confirmatione dictum est. — Et ideo etiam Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: Si in peccatis sit, dimittentur ei, scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem praedictam, quam quidam reliquias peccati dicunt ».

Ex dictis patet quam accurate loquatur *can. 940.* § 1. *Extrema unctio*, dicta etiam sacramentum exeuntium ex hac vita, *praeberi non potest* valide cum effectu secundum naturam eius, *nisi* a) *fideli*, idest: baptizato habenti fidem, quia baptismus est ianua sacramentorum, et sine fide spiritualis corruit vita, b) *qui post adeptum usum rationis*, eo quod extrema unctio « non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. (Quod patet, quia illae reliquiae seu fomes infantium in coelum ingressui non obest). Unde principaliter contra actualia peccata datur (ut ex ipsa forma patet), quae non sunt in pueris » nec in carentibus ab infantia usu rationis [2].

Tertia infirmi necessaria conditio est, sub distinctione originis, quod a) *ob infirmitatem*, et quia « quaelibet infirmitas augmentata potest mortem inducere, ideo si genera infirmitatum pensentur in qualibet aegritudine potest dari hoc sacramentum: et hinc est quod Apostolus non determinat infirmitatem aliquam » [3], nec sanis tribui potest hoc sacramentum, quia « est quaedam spiritualis curatio, ut dictum est, quae per quemdam corporalis curationis modum significatur » (ib. a. 1 c.), unde Rit. [4] monet prohibens: « Non ministretur proelium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut

[1] Suppl. q. XXX a. 1, c. — [2] D. Th. Supp. q. XXXII, a. 4, ad 2[m]. — [3] D. Th. loc. cit., q. XXXII, a. 2 ad 1[m]. — [4] Tit. V. Cap. 1, n. 9.

alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis ». Sed ut dicitur ibidem n. 5, sunt « qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri », propter quod addit canon: b) *vel ob senium*, c) *in periculo mortis versetur*, nam « hoc sacramentum est ultimum remedium (a Christo institutum), quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur »; eo magis quod « habet pro principali effectu illam sospitatem quae exeuntibus, et iter ad gloriam agentibus est necessaria » [1].

Porro « nullum sacramentum, ait D. Th. [2], quod habet effectum perpetuum debet iterari, quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum; et sic fieret iniuria illi sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis et mentis, quae est effectus huiusmodi sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta; ideo hoc sacramentum sine sui iniuria potest iterari ».

Attamen « hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis qui secundum humanam aestimationem videntur morti appropinquare. Quaedam autem infirmitates non sunt diuturnae: unde si in eis datur hoc sacramentum, tunc quando homo ad statum illum pervenit quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata: et ita non debet iterum inungi. Sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas; et poterit fieri alia inunctio. Quaedam vero sunt aegritudines diuturnae, ut hectica, hydropisis et huiusmodi; et in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: et si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam aegritudinem reducatur, iterum potest inungi, quia iam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter » [3].

Recte igitur statuit sic intelligendus § 2. *In eadem* proprie *infirmitate*, sive diuturna sit, sive non diuturna, *hoc* extremae unctionis *sacramentum iterari non potest* sine ipsius iniuria seu sacrilegio, *nisi infirmus* quacumque praedictarum infirmitatum a) *post susceptam unctionem* de qua est inscriptio *convaluerit* respective ab infirmitate vel evaso mortis proximae periculo, propter quod recte ac proprie subiungitur: b) *et in aliud vitae discrimen* fortassis eiusdem infirmitatis, eo quod exceptionem canonis istud comma exhibet, sive novum tantummodo discrimen sit, sive quia

[1] D. Th., loc. cit., a. 2 corp. et ad 2m. — [2] Suppl. q. XXXIII, a. 1, c. — [3] Suppl. q. XXXIII, a. 2, c.

sanatus homo in eamdem quoque infirmitatem *inciderit*. Quae interpretatio huius conformitatem canonis pandit cum Rit. Rom. aiente [1]: « In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat ».

285. **Administratio sub conditione ob dubium de validitate.** — Quia praec. canon subiectum huius sacramenti determinavit sub §° 1°, et consequenter sub §° 2° iterationem prohibuit cum necessaria limitatione, exceptiones statim proponuntur per duos sequentes canones, et primus respicit quemlibet casum dubiae validitatis sacramenti ob subiectum, videlicet: *can. 941. Quando dubitatur* a) *num infirmus* inungendus *usum rationis*, qui praevie adeptus requiritur ad sacramenti validitatem, *attigerit* vere, respectu non habito ad aetatem, nam « detestabilis omnino est abusus non ministrandi extremam unctionem pueris post usum rationis », ut recte monet graviter Pius X per S. Congr. Conc. [2], b) *num in periculo mortis* necessario quoad huius sacramenti validam susceptionem, *reipsa*, nec solum quoad falsam existimationem, *versetur*, c) *vel num mortuus sit*, quod de infirmo subiecto dubitari pluries accidere potest; in singulis praefatis casibus ne subiectum privetur sacramenti fructu, *hoc sacramentum ministretur* iuxta obligationem in can. 939 decretam, attamen ut vitetur iniuria sacramenti, fiat administratio *sub conditione* diversis casibus aptanda, v. gr. si usum rationis attigisti, etc.

286. **Administratio sub conditione ob dubiam ipsius liceitatem.** — Huius sacramenti effectus optime a D. Th. exponuntur [3]. — Quia sacerdotes debent esse fideles mysteriorum Dei dispensatores quantum humana fragilitas nosse sinit, recte statuit *can. 942. Hoc sacramentum non est conferendum*, quod vetitum ministros respicit sed ratione subiecti, nempe: *illis* queis ceteroquin « praeberi potest » (can. 940, § 1), sed *qui impoenitentes* idest: poenitentiam cordis, qua indigent, non habentes, *in manifesto*, quia excusari nequeant ignorantia, etc. saltem quoad gravitatem, addente canone: *peccato mortali* etiam non actu ipso, sed *contumaciter* quantum cognosci potest *perseverant*, et haec certo constent; nam subdit canon: *quod si hoc* nempe: totum illud comma *dubium fuerit* pru-

[1] Tit. V, cap. I, n. 14. — [2] Dec. « Quam singulari » n. VIII, 8 Aug. 1910. CO. II, 583. — [3] Suppl. q. XXX, art. 1, c.

denter, tunc eo quod « si in peccatis sit, dimittentur ei » (Iac. V. 15), *conferatur*, sed *sub conditione*: « si non es impoenitens in mortali », propter sacramenti reverentiam.

287. **De ministranda extrema unctione sensibus vel usu rationis destitutis.** — Quia in canone praec. sub duplici hypothesi circumstantiarum subiecti statutum fuit « non conferendum hoc sacramentum », atque ut « conferatur sub conditione », prosequente legislatore in aliarum eiusdem circumstantiarum consideratione, cum debeat secus ac in praec. statuere, cum adversativa particula incepit *can. 943. Infirmis autem* « in periculo mortis » versantibus et ad normam can. 940, *qui, cum suae mentis compotes essent*, scilicet: ante infirmitatem vel in ea positi, proinde queis « extrema unctio praeberi potest » ex cit. can., ac magis proprie quam, ut ait Rit. Rom.[1] « dum sana mente, et integris sensibus essent », *illud* sacramentum a) *saltem implicite* (verba quae sequens Rit[s]. Rom[i]. declarant) *petierint*, v. gr. verbis postulantes, ut vocaretur parochus, gravi eorum infirmitate superveniente, b) *aut verisimiliter petiissent* v. gr. quia vitam christianam duxerunt, vel eo quod dixissent se in osculo Domini ac intra Ecclesiam velle mori, etiamsi non tam bonam vitam sectati fuerint; his ergo singulis, accedente conditione: *etiamsi deinde* videlicet: post dicta sub litteris a) et b) *sensus* tantummodo, ita ut communicare cum vivis nequeant, *vel usum rationis* ob deliquium, amentiam, etc., non iam sensus *amiserint*, non obstante quod « hoc sacramentum est dandum (ratione) recognoscentibus ipsum »[2], ut habetur ex can. seq.; seu ut ait can. praesens: *nihilominus absolute praebeatur*, quod verbum sonat praescriptum, quia voluntas necessaria eis non deest, nec fructu sacramenti sub talibus circumstantiis sunt indigni.

288. **De obligatione respectu susceptionis et administrationis huius sacramenti.** — Sub primo respectu ait *can. 944. Quamvis hoc sacramentum per se*, quia supponit infirmi animam gratia vivere, atque « gratia Dei (obtinetur) vita aeterna »[3], *non sit de necessitate medii ad salutem*, quamvis fuerit quandoque per accidens, nempe: dum infirmus mortali peccato gravatus de quo doluit, nec confiteri potest, aliam viam conscendendi in coelum, nisi hanc non habeat, *nemini tamen*, etiam illo sacramento non absolute

[1] Loc. cit. n. 6. — [2] D. Th., Suppl. q. XXXII. a. 3, sed contra. — [3] Ad Rom., VI, 23.

indigenti, *licet illud* gratiae instrumentum « magnam in infirmo divinae misericordiae fiduciam excitans, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert; et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis, facilius resistit » ut docet Conc. Trid. [1], propterea non « licet illud » *negligere* scilicet: voluntarie ac sine causa notabili omittere illius susceptionem, imo subiungit S. Synodus (ib. can. 3): « Si quis dixerit extremae unctionis ritum et usum posse a christianis absque peccato contemni, anathema sit ».

Quoad ipsius administrationem canon Rit[i]. Rom[o]. concordans edicit: *et omni studio*, prudentiae spiritu suadente, *et diligentia*, seu quacumque exclusa socordia, *curandum* tam a parocho ex officio, quam a familia et inservientibus infirmo ex charitatis christianae stimulo, *ut infirmi* sicut supponitur ex can. 940, § 1, *dum sui plene compotes sunt*, idest, sicut ait Rit. Rom.[2] « eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget », *illud recipiant*, « ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo ». Nam ut recte observat D. Th. [3] « ad effectum huius sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, et personale meritum conferentium, et generale totius Ecclesiae: quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur. Et ideo illis qui non possunt recognoscere, et cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet (hoc est, non decet, atque tempus praevenire oportet), et praecipue furiosis et amentibus, qui possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere; nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum recognoscerent; et sic eis conferri in illo statu posset ». — Quod ultimum praecipit Rit. Rom. [4] statuens: « Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino ». Idque servandum est, quia non correctum can. 943 respiciente solummodo defectum actualis intentionis ac devotionis.

[1] Sess. XIV, cap. 2. — [2] Tit. V, Cap. I, n. I. — [3] Suppl. q. XXXII, a. 3, corp. — [4] Loc. cit. n. 7.

CAPUT III.

De ritibus et caeremoniis extremae unctionis.

CAN. 945. - Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.

CAN. 946. - Oleum infirmorum parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stamneo diligenter custodiat, nec domi retineat nisi ad normam can. 735.

CAN. 947. - § 1. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur ; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo.

§ 2. Unctio renum semper omittatur.

§ 3. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest.

§ 4. Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant.

289. **Inscriptio capitis eiusque canones.** — Sequitur *Caput III*, sicut aequale de sacramento baptismi inscriptum : *De ritibus* scilicet : verborum formulis recitandis, *et caeremoniis* seu actibus ponendis in proxima relatione ad *extremae unctionis* collationem ; de illis nempe quae iure ecclesiastico praescriptae sunt in iuris divini determinationem. Hae praescriptiones se referunt ad remotam materiam sub can. 945 et 946, quae ad materiam vero proximam et formam huius sacramenti sub can. 947 continetur.

290. **De olei benedictione.** — *Can. 945. Oleum olivarum*, non aliorum terrae fructuum, *in sacramento extremae unctionis adhibendum* ad eius validitatem, ut probatum manet in can. 937, *debet esse ad hoc*, substitui ergo nequit per sacrum chrisma oleumve cathecumenorum, *benedictum* (quod propterea oleum infirmorum nominatur), quae benedictio est necessaria materiae saltem ex divino praecepto, nam Conc. Trid. ait : « ex apostolica traditione, Ecclesia didicit materiam esse oleum ab Episcopo benedictum » (loc. cit. cap. 1), sed sufficit quod data sit disiunctive a) *ab Episcopo*, nam « in omnibus sacramentis, quae indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiae fit per episcopum, et usus quandoque per sacerdotem, ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata, (sicut etiam haec a Christo, cuius omnes sunt ministri ac dispensatores sacramentorum) secundum illud [1] : *Sicut unguen-*

[1] Psalm. CXXXII, 2.

tum in capite scilicet: in Christo, *quod* prius *descendit in barbam Aaron*, deinde *usque ad oram vestimenti* » [1]. — Haec autem benedictio est quoddam sacramentale, et sicut alia quae in administratione sacramentorum adhibentur, in hoc differens ab eis, quod « sacramentale dicitur illa actio quae quamvis non pertingit ad effectum principaliter intentum in administratione illa, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem » [2]. « Sacramentalia vero sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet » (can. 1144), ac proinde ab eadem sunt iure instituta. Ergo quamvis ab Episcopo dari debeat illa benedictio, sequitur in canone: b) *vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi* « iure vel indulto » *a Sede Apostolica obtinuerit*, necessariam quidem ut « valide peragere possit » eam, quae, cum consecratio vere dici debeat eadem ratione ac sanctum chrisma, quod pro consecrationibus deservit, regitur ad normam can. 1147, § 1.

291. **De olei infirmorum asservandi modo.** — *Can. 946* verbis congruit Rit. Romano (loc. cit. n. 3). *Oleum infirmorum* sic dictum, quia destinatum est in huius sacramenti usum, *parochus* veluti minister ordinarius, « in ecclesia sub clavi » (can. 735) iuxta ibi datam interpretationem, *loco nitido* quoad munditiam *et decenter ornato*, uti postulat res tam sacra asservanda, *in vase argenteo vel stamneo* ad rubiginem vitandam *diligenter*, ut ministrum sacrorum decet, *custodiat*. Parochum tenet obligatio, veluti ad quem ceteri sacerdotes recursum habere debeant simul ac pro licentia obtinenda, et pro casu necessitatis in eiusdem absentia caute subiungitur: *nec domi retineat* etiam propriae *nisi ad normam can. 735* ibi declaratam.

292. **De unctionibus peragendis quid iure observari debeat.** — *Can. 947.* § 1. *Unctiones*, quae « quamvis sint plures simpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione, quae est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior » [3], et illae unctiones sunt « de perfectione sacramenti, quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices » [4].

Illae ergo a) *verbis*, non iam praecedentibus vel sequentibus ipsas, nam de his verbis sufficienter providit can. 733, § 1, sed unctiones

[1] D. Th., Supplem. q. XXIX, a. 6, c. — [2] D. Th., Suppl. q. XXXIX, a. 1 corp. — [3] Suppl. q. XXIX, a. 2 ad 2[m]. — [4] Loc. cit. corp.

concomitantibus, quae formam constituunt revera deprecativam, secundum beati Iacobi sententiam: «et oratio fidei salvabit infirmum», b) *ordine* praecedentiae inter eas, scilicet: ut ait Rit. Rom. (loc. cit. n. 15). « Quinque corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe: oculi, aures, nares, os et manus », c) *et modo* ad quem pertinent ex Rit. Rom. (loc. cit.) numeri 16, 17, 18, hoc est: « Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur. — Dum oculos, aures et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit. — Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma ». Et hoc postremum « quia quamvis mutilati non habeant membra, habent tamen potentias animae, quae illis membris debentur, saltem in radice; et interius peccare possunt per ea, quae ad partes illas pertinent, quamvis non exterius » [1].

Igitur « unctiones verbis ordine et modo » *in libris ritualibus*, sic dictis, eo quod ritus ac caeremonias per extensum ac praeceptive continent, *praescripto*, ergo alii ritus ac caeremoniae, scilicet: forsan directivae solum normae, vi huius canonis praeceptivae non fiunt; libri autem intelligantur quicumque sint authentici ac cuiuslibet ritus, v. gr. Rit. Rom. (loc. cit. cap. 2): « Ordo ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis », Caeremoniale Episcoporum, Caeremoniale Ordinis ritu proprio utentis, etc.; atque iussum canonis est: *accurate peragantur*, nempe: diligenter vitando mutationes, additiones vel omissiones quascumque, cum sequentibus limitationibus: *in casu autem necessitatis*, id est; ut ait Rit. Rom. (loc. cit. n. 10): « Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: Per istam sanctam unctionem, etc., ut infra », imo ut edicit canon: *sufficit* a) *unica unctio in uno sensu* quocumque ex dictis, b) *seu rectius*, proinde praeeligendum quando casus Dec[i]. citandi eveniat, *in fronte*, quia in capite sita est cogitationis sedes ac centrum nervorum sensuum, *cum praescripta* implicite saltem vi huius canonis *forma breviore* ob Dec[m]. S. Congr. S. Officii [2] in quo « cum

[1] D. Th. Suppl. q. XXXII, a. 7, c. — [2] 23 Apr. 1906, A. S. S. XXXIX, 273.

quaesitum fuerit, ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminentis, Emmi Patres decreverunt: In casu (notandum) verae necessitatis sufficere formam: Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen ». Igitur superflua sunt verba sensus quinque designantia, quae adhibenda esse quibusdam Auctoribus placuit, nam Dec^m. illud Pius X approbavit.

Attamen quia vera necessitas est iudicanda fallaci hominis existimatione, certeque absque scrupulis, subiungitur in canone: *salva obligatione* per hunc canonem confirmata *singulas unctiones* praefatas in hoc §^0 *supplendi, cessante periculo*, undecumque haec cessatio proveniat; imo « deinde, post quinque vel sex unctiones, si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae, suo loco positae ».

De huius §^i generali norma intelligere oportet Conc^i. Trid^i. dogmaticam definitionem [1]: « Si quis dixerit, extremae unctionis ritum, et usum, quod observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi Apostoli, ideoque eum mutandum,... anathema sit ». Cuius definitionis et huius canonis praescriptorum convenientem rationem excipere possumus a D. Th. [2]. Revera beatus Iacobus ait solummodo: *ungentes eum oleo in nomine Domini*, sed « hoc sacramentum per modum curationis exhibetur. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toto corpori appositam, sed illis partibus ubi est radix morbi. Et ideo etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum in quibus est radix spiritualis infirmitatis ».

Porro « principia peccandi in nobis sunt eadem, quae et principia agendi, quia peccatum consistit in actu. Principia autem agendi in nobis sunt tria: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva; secundum est imperans, scilicet vis appetitiva; tertium est exequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi; ideo inunguntur loca quinque sensuum; scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum praecipue viget, et propter appetitivam inunguntur aliquibus renes; pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius eius instrumentum. Et quia primum principium operationis humanae est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quae fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti: sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant, quae fit ad pedes, et non quae ad renes: quia appetitiva et motiva sunt secundaria principia ».

Non semper, teste sui temporis D. Thoma, adhibitae fuerunt renum et pedum unctiones. Recte igitur canon subiunxit §§ 2

[1] Sess.. XIV, can. 3. — [2] Suppl. q. XXXII, aa. 5 et 6.

et 3. — Rituale Rom. (loc. prox. cit.) addit: « attamen pedes etiam, et renes ungendi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest ». Optime igitur (can. 2) « illa liturgica lex expresse corrigitur » in § 2. *Unctio renum semper omittatur;* atque sub conditione relaxatur in § 3. *Unctio pedum ex qualibet rationabili causa,* v. gr. reverentiae Sacramenti ob eorum immunditiam, displicentiae infirmi, infirmitatis qua laborat, *omitti potest*, non vero ad libitum.

Denique ultimus § 4 continet praescriptionem huiusmodi: *Extra casum gravis necessitatis*, undecumque haec proveniat, v. gr. ex infectiva pellis aut ob proximitatem infirmitate, *unctiones ipsa ministri manu*, quamvis necessarium non sit, veluti e contra dictum est de confirmatione, *nulloque adhibito instrumento fiant*, quod innuitur illo in casu adhibendum.

TITULUS VI.

De ordine.

CAN. 948. - Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium.

CAN. 949. - In canonibus qui sequuntur, nomine ordinum *maiorum* vel *sacrorum* intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus; *minorum* vero acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus.

CAN. 950. - In iure verba: *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio*, comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur.

293. Inscriptio Tituli et canonum distributio sub illo. — Postquam hucusque Codex studium apposuit circa sacramenta, quae ad utilitatem singulorum immediatam fuerunt a Christo Domino instituta, hinc quamplures canones condidit de duobus sacramentis, quae ipsius Ecclesiae conservationi deserviunt, incipiens ab illo sine quo Ecclesia ut supernaturalis societas subsistere non posset. Hinc sequitur *Titulus VI* cuius inscriptio est *De ordine* proprie dicto, quia sub eo diversi gradus sunt rite dispositi maiores ac minores, quae inscriptio alteri de Ordinis sacramento fuit iure praeferenda, sub eo namque multa fuerunt ponenda praescripta de minoribus ordinibus, qui vere sunt gradus « in sacra hierarchia ratione ordinis, ex Ecclesiae autem institutione » ut in can. 108, § 3 fuit explicatum,

proindeque ad sacramentum ordinis vere et proprie dictum non pertingunt, eo quod carentes divina institutione nequeunt conferre gratiam.

Hic Titulus postquam praemittit unum can. 948 fundamentalem, prout mos est in Codice, ac duos alios 949, 950 de verborum illius significatione, totam eius materiam sub capitibus sex concludit, ordine inter haec servato, sicuti nobis est ille cognitus ex Titulis huius tertii Libri, nempe: *Caput I. De ministro sacrae ordinationis; Caput II. De subiecto sacrae ordinationis;* sed interiectum est propter naturam huius sacramenti: *Caput III. De iis quae sacrae ordinationi praeire debent;* cui simile aliud in Tit. seq. inveniemus. Tria postrema capita quoad ordinem concordant Titulo I. De baptismo, scilicet: *Caput IV. De ritibus et caeremoniis... Caput V. De tempore et loco sacrae ordinationis;* et ultimum *Caput VI. De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis.*

294. **Ordinis notio ex institutione ac fine.** — *Can. 948. Ordo* scilicet: in genere omnes eius gradus complectens, sed prout « eius ratione sacra hierarchia constat » (can. 108, § 3) *ex Christi institutione*, proinde in « Episcopis, presbyteris et ministris » (loc. cit.), ac prout Sacramentum est. Quoad ceteros vero gradus qui « ex Ecclesiae institutione accessere » (loc. cit.), cum sint sacramentalia, eo quod « sacramentale dicitur illa actio, quae quamvis non pertingit ad illum effectum principaliter intentum in sacramentorum administratione, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem », ut supra in can. 945 dictum est ex D. Th. (loc. cit.), atque iuxta can. 1144 « sacramentalibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet », proinde haec in illorum graduum collatione conformavit seipsam Christi institutioni quoad Ordinis sacramentum.

Hoc sensu datae interpretationis enuntiantur veri ordinis effectus, quod a) *clericos* ut segregatos sorte *a laicis* seu ceteris populi Dei fidelibus *distinguit*, ac praecise respectu finis duplicis: b) *ad fidelium regimen;* Apostoli enim sunt, quos in ultima coena Christus sacerdotes constituit, ut demonstratum est ad canonem 108, ipsismet illud regimen contulit eorumque successoribus, et diaconi per Apostolos ex divina inspiratione super administrationem temporalium, in suipsorum adiutorium spiritualis regiminis

assumpti fuerunt; c) *et ad cultus divini ministerium*, ut ex praedictis constat, et quoad diaconos ex Actis Apostolorum, ubi eos per impositionem manuum Apostolorum Spiritum Sanctum recepisse novimus, et verbi ministerio incubuisse per disputationes ut Stephanum, ac per catecheticam instructionem ut Philippum, ad quod « cultus divini ministerium » remotius ipsi gradus ecclesiasticae institutionis deputantur, quibus gradibus praediti soli « possunt potestatem iurisdictionis ecclesiasticae obtinere » (can. 118).

295. **Ordinum distinctio.** — Logice can[1]. praec[1]. subnectitur *can. 949. In canonibus qui sequuntur* sub hoc Titulo, ut constat evidenter ex contextu, sed certo etiam est interpretandum de his « canonibus qui sequuntur » usque ad Codicis finem, quia est id tenendum « secundum propriam verborum significationem » (can. 18), et quia non aliter verba Codex poterit rationabiliter accipere, quam in sensu per ipsum illis attributo, imo si in canonibus hos praecedentibus contrarius vel alius horum verborum sensus non appareat, seu eorum significatio « dubia et obscura manserit, ad hunc locum (seu canonem) Codicis parallelum est recurrendum » iuxta can[a]. 18 textum.

Sic igitur secundum canonicam significationem *nomine ordinum maiorum*, eo quod a tempore Innoc. III ex illis poterant iure eligi in Episcopos, et illi ad divinum sacrificii eucharistici cultum proxime accedunt, *vel sacrorum*, sive propter sacra ministeria ipsis attributa, vel rectius propter caelibatus ac recitationis horarum canonicarum obligationes, *intelliguntur*, non Episcopatus, sed coniunctim a) *presbyteratus*, qui confertur per impositionem manuum presbyterii, nempe Episcopi certo essentialem, aliorumque praesentium sacerdotum, ac saltem ut integrantem materiam proximam per traditionem patenae cum pane ac calicis cum vino, atque insuper per impositionem manuum Episcopi, cum respectivis singulorum actuum verbis; in ultima vero impositione manuum per verba « Accipe Spiritum Sanctum », de qua definivit dogmatice Conc. Trid.[1]; « Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum... anathema sit ». — Potestas vero in presbyteratu recepta est duplex iuxta Episcopi verba: « Accipe potestatem offerre Sa-

[1] Sess. XXIII, an. 4.

crificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini », atque post communionem « Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseris peccata, remittuntur eis: et quorum retinueris, retenta sunt » [1]. Sequitur in canone, b) *diaconatus*, qui confertur per impositionem manus dexterae Pontificis dicentis: « Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus eius: In nomine Domini », atque per traditionem libri evangeliorum, cum qua verbis enuntiat Pontifex collatam diacono potestatem: « Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Domini ». Sed praeter hanc potestatem ministerii eius praecipuam, docuit antea in Diaconi ordinatione Episcopus nomine Ecclesiae: « Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare » [2].

Prosequitur canon addens c) *subdiaconatus*, qui confertur per traditionem Calicis vacui cum patena vacua superposita, Pontifice dicente: « Videte cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis », atque per traditionem libri Epistolarum quando simul dicit Episcopus: « Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti ». Sed praeter hanc potestatem, uti eosdem docet Pontifex: « Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere; Calicem et Patenam in usum sacrificii eidem offerre » [3].

Postea subiungit canon: *minorum vero* « nomine » (qui sic appellantur respectu ad ordines maiores) « intelliguntur » simul sumpti a) *acolythatus*, qui confertur per traditionem duplicis instrumenti, nempe: candelabri cum candela extincta et deinde urceoli vacui tactorum dextera manu a promovendo et cum formis: « Accipe ceroferarium... etc. » et « Accipe urceolum... etc. ». Potestatem huius officii sic exponit Pont. Rom.: « Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre; luminaria Ecclesiae accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare ». Subdit canon: b) *exorcistatus*, qui sic confertur: « Pontifex tradit (ordinandis) librum, in

[1] Pontif. Rom. De ordinatione Presbyteri. — [2] Pontif. Rom. De ordinatione Diaconi. — [3] Pont. Rom. De ordinatione Subdiaconi.

quo scripti sunt exorcismi, cuius loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente: « Accipite et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos; sive baptizatos, sive catechumenos ». Officiumque ipsorum est: « ut sint spirituales imperatores, ad abiiciendos daemones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi ». (Pont. Rom.) Penultimus ordo minor est c) *lectoratus*, qui datur quando « Pontifex tradit (ordinandis) codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens: « Accipite, et estote verbi Dei relatores... etc. ». Officium sic a Pontifice docetur: « Lectorem siquidem oportet legere ea, quae (vel ei, qui) praedicat, et lectiones cantare, et benedicere panem et omnes fructus novos ». Ultimus recensetur in canone ordo minor d) *ostiariatus* collatus, dum « Pontifex tradit (ordinandis) claves Ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente: « Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur ». His edocens sic admonet Ordinans iuxta Pont. Rom. « Ostiarium oportet percutere cymbalum, et campanam, aperire Ecclesiam et sacrarium et librum aperire ei qui praedicat ».

296. **Aliorum verborum canonica significatio.** — *Can. 950.* *In iure* scilicet: scripto, proinde in toto Codice ac posterioribus legibus, cui opportune ad mentem legislatoris conformarentur cetera Praelatorum ac Romanae Curiae documenta, *verba* singula quae sequuntur: *ordinare*, designans actionem cum relatione ad agentem, *ordo*, seu proprie effectus illius actionis, *ordinatio*, significans proprie collationem cuiuscumque ordinis in se consideratam, *sacra ordinatio*, quia sacramentum est aut sacramentale, significatione iuridica et generali uti exprimuntur, *comprehendunt*, a) *praeter consecrationem episcopalem* nempe: relative ad supradicta verba, tum actionem conferendi sacerdotii plenitudinem, tum effectum relictum ex tali actione, b) *ordines enumeratos* propriis nominibus septem *in can. 949*, c) *et ipsam primam tonsuram*, quae ordo non est, sed praeparatio ad ordines, eaque confertur per tonsionem capillorum et superpellicei traditionem, dum « Pontifex cuilibet cum tondetur, dicit: Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es qui restitues haereditatem meam mihi; atque dum imponit superpelliceum dicit: Induat te Dominus novum hominem qui se-

cundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis », ac illius ritus vi fidelis quilibet servatis servandis ponitur in statu clericali, iuxta Pont^s. Rom^i. Rubricam: « De clerico faciendo ». — Significatio autem verborum iuridice supra posita ut generalis norma in can. 950, exceptioni seq^i. manet obnoxia: nisi aliud a) *ex natura rei*, eo quod v. gr. de ordinis sacramento proprie dicto disponatur, b) *vel ex contextu verborum eruatur*, quia v. gr. de peculiaribus maiorum ordinum obligationibus agatur.

CAPUT I.

De ministro sacrae ordinationis.

CAN. 951. - Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi.

CAN. 952. - Nemini licet ordinatum a Rom. Pontifice ad altiorem ordinem promovere sine Sedis Apostolicae facultate.

CAN. 953. - Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.

CAN. 954. - Episcopus consecrator debet alios duos Episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit.

CAN. 955. - § 1. Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis.

§ 2. Episcopus proprius, iusta causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.

CAN. 956. - Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem saecularium, est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur ad normam can. 969, § 2, vel de promovendo religioso professo, de quo in can. 964, n. 4.

CAN. 957. - § 1. Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, si charactere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem.

§ 2. Si episcopali charactere careant, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere, conferre primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est.

CAN. 958. - § 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt, quamdiu iurisdictionem in territorio retinent:

1.° Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit ad normam can. 334, § 3, licet nondum consecratus;

2.° Vicarius Generalis, ex speciali tamen Episcopi mandato;

3.° De Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum;

4.° Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, licet

episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores.

§ 2. Vicarius Capitularis litteras dimissorias ne concedat iis qui ab Episcopo reiecti fuerunt.

CAN. 959. - Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat.

CAN. 960. - § 1. Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur ad normam can. 993-1000.

§ 2. Si post datas ab Ordinario litteras dimissorias nova testimonia necessaria sint ad normam can. 994, § 3, Episcopus alienus ne ordinet, antequam eadem receperit.

§ 3. Quod si promovendus tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum ad normam mem. can. 994 transegerit in ipsa dioecesi Episcopi ordinantis, hic testimonia directe colligat.

CAN. 961. - Litterae dimissoriae mitti possunt ab Episcopo proprio, etiam Cardinali Episcopo suburbicario, ad quemlibet Episcopum, communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi.

CAN. 962. - Quilibet Episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, alienum subditum licite ordinat, dummodo



ipse de germana litterarum fide dubitare nullatenus possit, salvo praescripto can. 994, § 3.

Can. 963. - Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resoluto iure dantis.

Can. 964. — Quod attinet ad ordinationem religiosorum:

1.° Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius*, potest conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat;

2.° Religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris;

3.° Superiores professis votorum simplicium, de quibus in can. 574, litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores;

4.° Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores.

Can. 965. - Episcopus ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus.

Can. 966. - § 1. Tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat.

§ 2. Necesse est ut singulis in casibus id episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio.

Can. 967. - Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes.

297. Inscriptio capitis et canonum coordinatio. — In Ordinis sacramento, praeter gratiam sacramentalem, quam « non ponentibus obicem confert, semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, si rite illud suscipiant », ut definitum est in Conc. Trid. [1], « character imprimitur qui nec deleri, nec auferri potest » [2], uti Sancta Trid. Synodus definivit (loc. cit. can. 9), « unde iterari non potest ». Hinc sequitur posse hunc secundum tantummodo per ordinationem sacram subsequi effectum, non vero gratiam, propter obicem positum sive in subiecto conscio peccati mortalis non dimissi, sive in peccante dum ordinationis sacramentum recipit. — Proinde sacra ordinatio valida existere poterit, quamvis peccatum eius causâ admissum fuerit, sive ab eo qui eam tribuit, sive ab eo qui eamdem suscipit, sive a tertia persona, quae illius occasione quidquam praestare vel omittere iuxta ss. canones obligetur. Quae

[1] Sess. VII. De Sacramentis in genere. Can. 6 ac 7. — [2] Sess. XXIII, cap. 4.

a memoria in toto titulo ne excidant, et hinc est sic interpretanda *Cap. I* inscriptio: *De ministro,* qui nempe iuxta ss. canones ex habita divina potestate possit tum valide seu cum quodam saltem effectu peragere ritum *sacrae ordinationis* iuxta verbi sensum iuridicum ad normam can. 950, tum licite, seu quin peccatum eveniat. Propterea positorum in eo capite canonum primus seu 951 ministros validae ordinationis demonstrat, subnexo statim can. 952 de generali prohibitione ratione ordinandi. Postea sequuntur canones circa liceitatem, sive consecrationis episcopalis in can. 953, 954, sive ceterorum ordinum ac primae tonsurae usque ad capitis finem, sed primo quoad ordinandos saeculares 955-963, et quidem pro singulis ordinandis proprium ordinantem designant in genere can. 955 et in specie can. 956 et 957, nam ceteri 958-963 necessarias dimissorias moderantur et harum ratione licite ordinantes docent. Circa religiosos vero, quinam eos ordinare queant eisve dimissorias litteras concedere determinantur in can. 964, dum sequentes duo 965, 966 cuinam mittendae sint hae litterae, tum regulariter, tum per exceptionem praescribunt, et can. 977 serio admonet, quid a Superioribus religiosis sit hac in re cavendum.

298. **Minister validae ordinationis.** — *Can. 951. Sacrae ordinationis* cum iuridica significatione ad normam can. 950 ac proprie dictae seu validae, *minister,* ratione habitae potestatis per characterem, quo « Sacerdoti in aeternum » Christo conformatur, *ordinarius*, idest: iure divino ex tali potestate deputatus, *est Episcopus consecratus*, qua consecratione constituitur in gradu, quo « est presbyteris superior, habens potestatem confirmandi et ordinandi, quam illi non esse cum presbyteris communem » Sacrum Conc. Trid. dogmatice definivit [1]. — Imo cum ea potestas nonnisi ex divina ordinatione per consecrationem derivetur, sequitur hanc contineri sub ordinis sacramento characterem indelebilem imprimente, quapropter non obstante excommunicatione, suspensione, interdicto, irregularitate, atque ipsa degradatione, canonis assertio semper veritatem prae se fert. — In canone additur: « minister » ut supra, sed *extraordinarius*, nempe: tamquam per exceptionem cum deficiat eidem illa potestas, *qui, licet charactere episcopali careat,* dum est adhuc presbyter, disiunctive: *a iure* videlicet: in Codice vel

[1] Sess. XXIII, can. 7.

subsequuturis ss. canonibus, b) *vel a Sede Apostolica*, etiam Romana Curia ut intermediaria, ad normam can. 7, *per peculiare* idest: sibi elargitum *indultum potestatem* ab Episcopis consecratione obtentam *acceperit aliquos ordines* scilicet: tonsuram, minores ordines ac etiam forsan subdiaconatum, qui omnes « sacrae hierarchiae ratione ordinis ex Ecclesiae institutione accessere », *conferendi* proprie, ac proinde validos. Quinam sint ex iure, inferius in can. 957 et 964 designantur, praeter S. R. E. Cardinales idipsum habentes ex privilegio sub n.° 22° § 1, can. 239 eisdem, quatenus indigeant, concesso.

299. **Prohibitio universalis circa usum illius potestatis.** — Secundum admissam ab omnibus interpretationem cap. 12 « De temporibus ordinationum... » in Decretalibus (I, 11), in quo refert Innoc. III « Meminimus a nobis fuisse suppliciter postulatum et clementer indultum, ut quia praefatus A. Ecclesiae Romanae subdiaconus erat, mandaremus ipsum per Bononiensem Episcopum promoveri », praescribit *can. 952. Nemini licet,* sive minister ordinarius sit, sive extraordinarius, etiamsi S. R. E. Cardinalis, *ordinatum a Romano Pontifice* saltem per collationem ostiaratus, quia subiungitur: *ad altiorem* iam habito *ordinem promovere*, ordinationem conferendo, *sine Sedis Apostolicae* ad normam can. 7 *facultate*, quae supponitur plures promotiones successivas indultura.

300. **Consecrationis episcopalis reservatio.** — Sicut in iure praecedenti regularum Cancellariae Apostolicae edicit *can. 953. Consecratio episcopalis*, sic proprie dicta propter chrismatis usum in ea conferenda, *reservatur* (quia secus ac in canone praescribitur facta, valeret) *Romano Pontifici*, explicaturque reservatio, *ita ut nulli Episcopo* seu ordinario ministro eiusdem validae consecrationis *liceat,* idest: possit absque peccato, *quemquam*, etiam legitime ad Episcopatum promotum, expeditis litteris ac praesentatis cum dioecesis possessione, *consecrare in Episcopum* etsi proprie, utpote vere, *nisi prius* non solum obtenta fuerit commissio, sed *constet* certo testimonio *de pontificio mandato,* quod iuxta Pontificale Romanum in scriptis initio consecrationis est exhibendum.

301. **Episcopi pro hac consecratione adhibendi.** — Lucius III archiep. Turonen. respondebat [1]: « Reliqui vero compro-

[1] Cap. 6, tit. XI. De temporibus ordinationum etc. Lib. I.

vinciales Episcopi (si necesse fuerit) ceteris consentientibus, a tribus iussu Archiepiscopi poterunt ordinari ». Huic capiti ac Pont.[1] Rom.[0] congruit *can. 954. Episcopus* charactere ac cum pontificio mandato *consecrator debet alios duos Episcopos* pariter consecratos *adhibere* ad liceitatem, *qui sibi in consecratione* episcopali conferenda *assistant* ad normam Pont.[1s] Rom.[1] ministrantes, *nisi hac super re a Sede Apostolica* ad normam can. 7 *dispensatum fuerit,* prout oportet, sive generaliter pro aliqua regione, sive in casu, ad hoc nempe: ut alii duo sacerdotes forsitan in dignitate constituti suppleant Episcoporum assistentium defectum.

302. **Minister pro licita ordinatione.** — A primis Ecclesiae saeculis plura sacra concilia decreverunt quod recentius confirmavit Trid. [4], cuius verba transcribuntur in *can. 955. Unusquisque,* sive laicus, sive clericus, nisi iam presbyter sit ut statim patebit, *a proprio,* non qualitercumque ad normam can. 94, sed iuxta can. immediate sequentem, *Episcopo* nempe « consecrato » (can. 951), ac proinde secundum verbi propriam stricte significationem, non iuridicam secundum exceptionem in § 2 can.[s] 215, eo quod adiungitur: *ordinetur,* sive primam tonsuram recipiendo, sive ordinem minorem aut maiorem, excepta consecratione episcopali de cuius collatione aliter praescripsit can. 953, et hucusque data est norma generalis, cuius exceptiones iuridicae sequuntur: *aut cum legitimis* nempe: iuxta sequentes canones *eiusdem,* proprii Episcopi ut supra declarati, *litteris dimissoriis.* Haec litterarum denominatio provenit a Conc. Trid.[2], dum statuit: « Episcopi per semetipsos ordines conferant, quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam iam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant ». Hinc recte appellantur dimissoriae « illae litterae quibus Episcopus proprius (aut Ordinandi Praelatus habens hoc ius) dat alteri Episcopo non proprio ex iure privilegiove facultatem, ut licite promoveat ad ordines illum, quem in hoc subditum habet ». Duplex igitur ius Episcopi proprii est in hoc §[0] expresse confirmatum.

Sacra vero Congr. Consist. [3] de quodam privilegio anteactis temporibus obtento, et quod est contrarium huic canonis §[0] censuit: « memoratum privilegium, cessatis causis ob quas concessum

[1] Cap. 8, sess. XXIII, de Ref. — [2] Cap. 3, sess. XXIII, de Ref. — [3] 6 Nov. 1920. CO. XIII, 259.

est, cessare debere, et ius commune esse restituendum, incolumi tamen iure collegii S. Congr.[e] de Propaganda Fide ab Urb. VIII brevi *Ad uberes*, diei 18 Maii 1638 concesso, aliorumque Seminariorum seu collegiorum pro missionibus, (nota bene), a S. C. de Prop. Fide dependentium. — Ssmus. Bened. PP. XV hanc resolutionem ratam habuit et confirmavit, eamque publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuslibet minime obstantibus ».

Citatum vero caput Conc.[1] Trid.[1] continet iisdem fere verbis, ac « ius vetus ex integro referens » (can. 6, n. 2°) § 2. *Episcopus proprius* in can. seq. plene cognoscendus, *iusta causa non impeditus*, v. gr. « aegritudine » ex cit. Dec.° conciliari, quae causa interpretata fuit ab omnibus tanquam exemplum, ille iubetur: *per se ipse suos subditos* in hac re iuxta can. seq. *ordinet*, conferens vel primam tonsuram vel ordines singulos usque ad solum presbyteratum, iuxta dicta in praec. §°; *sed* cum sequenti prohibitione: *subditum* sibi in hac re ast *orientalis ritus*, « Episcopus proprius » latinus, quam « unam Codex respicit Ecclesiam » (can. 1), *sine apostolico indulto* propter implicitam prohibitionem *licite ordinare non potest*. Idque congruit « disciplinari legi, quae usque adhuc viguit » et ex dictis « vim non amisisse dicenda est » (can. 6, 6°). Sic enim legitur [4] in Decretalibus: « Cum secundum regulas ecclesiasticas: ...Quia vero (sicut dicitur) in partibus Calabriae Latini a Graecis, et Graeci a Latinis secundum alterutrius institutionis observantiam ordinantur: nolumus (ait Celestinus III) de cetero commixtiones et consuetudines rituum in ordinibus observari ».

303. **Episcopus proprius ordinandorum saecularium.** — Ab hoc canone incipit Codex tractare praesertim de clero saeculari, dicente *can. 956. Episcopus proprius* iuxta praecedentem iuris denominationem, *quod attinet ad ordinationem*, exclusa Episcopali consecratione ob can. 953, *saecularium* sive laicorum sive clericorum prout clerus saecularis distinguitur in Codice a clero religioso, *est tantum*, quod dicitur propter « opportunam immutationem quam Codex affert vigenti huc usque disciplinae » (can. 6).

Bonifacius enim VIII [2] declarationem sequentem edidit: « Cum nullus clericum parochiae alienae (idest: dioecesis), praeter superioris ipsius licentiam debeat ordinare: superior intelligitur in hoc

[1] Cap. 9, tit. XI, De temporibus ordinationum. — [2] Cap. 3, tit. IX, De temporibus ordinationum in 6°.

casu episcopus de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat oriundus, (et hoc attenditur in canone, sed non ut sufficiens), seu in cuius dioecesi obtinet beneficium ecclesiasticum, (quod ut sit ordinationis licitae ratio abrogatum est) seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem ». Quod motivum plene ac principaliter in canone retinetur. Postea Conc. Trid. et Innoc. XII const. « Speculatores » anni 1694 motivum familiaritatis consuetudine paulatim introductum expresse confirmarunt (nunc ex Codicis silentio abrogatum), adiungente praedicto Papa certas conditiones, tum illi motivo, tum aliis supra dictis. Quibus quatuor rationibus, scilicet: originis, beneficii, domicilii et familiaritatis, vigens usque ad Codicem disciplina concludebatur, addita incardinationis ratione, de qua in Titulo I Libri II per extensum canones ponuntur, et in canone iam commentando fit mentio.

Nunc igitur « Episcopus proprius » intelligitur *Episcopus dioecesis*, stricto sensu dictae iuxta §[1] 2[1] can.[s] 215 exceptionem, *in qua promovendus habeat* a) *domicilium*, quod « acquiritur commoratione in aliqua paroecia, aut saltem in dioecesi, coniuncta cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel protracta ad decennium completum » (can. 92, § 1), atque « amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93 » (can. 95). Nec illud sufficit, additur enim: *una cum origine*, quem locum originis declaravit canon 90 non congruens omnino iuri veteri, et sic manet retenta cum mutatione vetus originis ratio; domicilii autem motivum subiungitur in canone: b) *aut simplex domicilium*, quo addito verbo « simplex » innuitur non amplius necessarium domicilium, quod vocabatur qualificatum descriptum in const. Innocentiana « Speculatores » requirente decem annorum commorationem in loco et alias determinationes, inter quas iusiurandum de quo statim, proinde multo simplicior evasit legislatio.

A prima ergo domicilii acquisiti die quamvis *sine origine* in loco habetur ad ordines Episcopus proprius; una vero conditio est quamvis non semper servanda, scilicet: *sed in hoc altero casu* deficientis originis *promovendus* ad primam tonsuram, singulosve ordines, exclusa Episcopali consecratione, c) *debet animum*, non iam in parochia, sed *in dioecesi* « pro cuius servitio promovetur » (can. 111, § 2°) *perpetuo manendi*, prouti ad acquirendum « domicilium simplex » habitum iam talis animus praesupponitur, et hac

de causa iubetur: *iureiurando firmare,* huiusmodi praescripto const.[a] « Speculatores » ad hunc casum restricto, nec semper servando, ut patet ex subnexis exceptionibus: a) *nisi agatur de promovendo ad ordines* singulos maiores vel minores, ut supra, non ad primam tonsuram propter verbum: *clerico qui dioecesi* Episcopi proprii, qui hoc canone determinatur, *per primam tonsuram iam incardinatus est*, seu etiam « per incardinationem illius clerici prius alieni », quia haec incardinatio alteri « per primam tonsuram » merito aequipollet ob idem iusiurandum non iterandum vi huius canonis, quod a clerico incardinando fuit dandum « coram incardinante Ordinario eiusve delegato » (can. 117, 3°), *vel* « nisi agatur » b) *de promovendo* ad ordines ut supra, vel primam tonsuram *alumno*, scilicet: Seminarii vel in hac dioecesi studiis incumbens cum domicilio seu incardinatione, *qui servitio alius dioecesis destinatur* ex intentione utriusque Ordinarii *ad normam can. 969*, § 2, scilicet: quae exequenda erit, « praevia legitima excardinatione et incardinatione »; *vel* demum « agatur » c) *de promovendo*, sicut de alumno declaratum est, *religioso professo*, (non adhuc novitio, qui forsan cum dispensatione can. 567, § 2 promoveretur) et illo tantum « religioso » *de quo in can. 964, n. 4*, scilicet « cuius ordinatio regitur iure saecularium ». Igitur patet ad Episcopum proprium in sensu canonis 955 iure obtinendum requiri semper *a*) domicilium in eius dioecesi, sed *b*) cum origine, vel iureiurando, vel incardinatione seu praevia seu intenta cum exequutionis securitate, cui iure aequiparatur ex can. 111, § 1 professio quorumdam religiosa.

Huius interpretationis legitimitatem confirmant et declarant « quae responderunt Emi Patres Pontificiae Commiss. ad interpretandos auth. canones[1] ad dubia proposita, nempe: — 1° Quisnam sit Episcopus proprius pro ordinatione illorum, qui nullum domicilium habent. — 2° Utrum ille qui ordinetur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis (non iam « qui huiusmodi servitio destinatur » in futurum seu ad normam can. 969, § 2), incardinetur huic alii dioecesi iuxta canonem 111, § 2, an potius dioecesi proprii Episcopi iuxta canonem 969, § 2; — Et quatenus negative ad primam partem, 3° Quonam tempore incardinari debeat dioecesi cuius

[1] 3 Aug. 1919. Monitore eccles. Ser. IV, vol. II, 57.

servitio ordinetur ». — Animadvertatur primum dubium nullam facere mentionem de « servitio alius dioecesis » quod in secundo dubio exprimitur, quamvis dubia proponens fortassis ea colligata inter se considerabat, hinc responsum fuit: « Ad I. Prout dubium exponitur: est Episcopus loci in quo fit ordinatio, modo tamen ordinandus praevie acquirat domicilium cum iuramento ad normam can. 956. — Ad II. Affirmative ad primam partem: negative ad secundam. — Ad III. Provisum in responsione ad II ».

304. **Minister extraordinarius per se, ac proprius ordinandorum saecularium.** — Sequens *can. 957* tractat de Praelatis, qui, cum non sint « Apostolorum successores ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praefecti cum potestate ordinaria » (can. 329), non est necesse (seu per se) ut consecrationem episcopalem receperint; attamen quandoque (seu per accidens) ipsam rite susceperunt ac sunt Episcopi titulares: de his statuit § 1. *Vicarius ac Praefectus Apostolicus,* nempe: « qui regunt territoria quae erecta non sunt in dioeceses » (can. 293, § 1), *Abbas vel Praelatus nullius*, prout describuntur in can. 319. Singuli ergo praedicti Praelati, *si charactere episcopali* hanc validam consecrationem consequente *polleant, Episcopo* non iam titulari, sed *dioecesano,* qui in can. 334, § 1 et in aliis « residentialis » appellatur, *aequiparantur*, necessario declarandum hic iuxta interpretationem probatam in can. 955, nec solum asseritur aequipollentia quoad Capitis huius canones, sed in genere: *quod pertinet ad ordinationem.*

Praelati in §^i praec.^s initio declarati ut plurimum servare debent § 2. *Si episcopali charactere careant*, eo quod nec sint Episcopi titulares, *possunt nihilominus* vi huius canonis ut « ministri extraordinarii » (can. 951), nam supponuntur presbyteri propter can. 154, a) *in proprio territorio* sic vocato ratione ipsius personarum ac rerum quae subiiciuntur iurisdictioni singulorum, b) *et durante tantum munere* ad normam canonum sub cap.^s VIII et X, Tit. VII, Lib. II, c) *conferre primam tonsuram et ordines minores* usque ad subdiaconatum exclusive, a) *tum propriis subditis* ratione sola domicilii ac *saecularibus* imo *ad normam can. 956*, quae verba non respiciunt solum verbum immediate praecedens iuxta illud « quod attinet ad ordinationem saecularium », sed pro his (qua « subditis » tamen eorum) debent illam normam servare in omnibus eius partibus, sicut interpretata fuit, b) *tum aliis,* ac notandum non dici

alienis, quod verbum coarctaret interpretationem ad saeculares, sed « aliis » non subditis, saecularibus vel religiosis etiam exemptis, *qui* tamen singuli *litteras dimissorias iure* diversorum ss. canonum sequentium *requisitas exhibeant* ordinaturo Praelato eiusve Curiae; quae omnes ac singulae canonum determinationes sunt in praxi valde attendendae, quia *ordinatio* quaecumque ad normam can. 950 *extra hos fines*, videlicet: non solum territorii, sed extra limitationes potestatis (etiam quoad personas) de qua in hoc canone, *ab eisdem* singulis *peracta irrita est*, quia tunc « sacrae ordinationis minister » non est vi canonis 951.

305. **Quinam dare queant litteras dimissorias.** — Quia hae litterae in can. 955 explicatae quandoque sunt omnino necessariae iuxta praec. canonem, statim Codex se accingit ad eas iure moderandas incipiens ab earum origine. Hinc dimissoriarum litterarum legitimos auctores enumerat *can. 958.* § 1. *Litteras dimissorias* a) *pro saecularibus* laicis, clericis, ac religiosis quorum « ordinatio regitur iure saecularium » (can. 964, 4°) *dare possunt*, cum hac temporis duplici conditione: b) *quamdiu iurisdictionem*, non ubilibet aut quamlibet, sed *in territorio* ad ipsos attinente causa subsequentium denominationum *retinent;* scilicet: non ablatam quoad exercitii validitatem, dum in officio fortassis iure perseverant: — 1° *Episcopus* c) *proprius* « quod attinet ad ordinationem » (can. 956), d) *postquam possessionem suae dioecesis legitime* idest: servato canone citando *ceperit*, seu *ad normam can. 334*, § 3, sed capta sic possessione, *licet nondum* sit *consecratus*, proindeque non sit « sacrae ordinationis minister », nullo inconveniente inde enascente quoad suos subditos ad normam can. 955, § 1. — Praecedens numerus congruit initio cap.ª ex iure Decretalium citati ad can. 956. Et infra dicitur in eodem capite: « officialis Episcopi (intelligendus Vicarius generalis) cum ad hoc se ipsius officium non extendat, huiusmodi nequit licentiam impertiri ». Sequitur ergo quod nequeat ex mandato generali, sed non prohibetur Episcopus id Vicario specialiter committere. Additur insuper: « Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius generalis, vel sede vacante, Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi ». Unde sequitur id posse Vicarium capitularem.

Limitatio citatae Decretalis fuit statuta in Conc. Trid. [1]: « Non liceat capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere ». Sequuntur in eo capite poenae contra illas litteras dimissorias concedentes, aliosve earum vi ordinatos, quae poenae in cap. 10, Sess. XXIII aliis ac Vicario Capitulari aptantur, sicuti etiam in const. Apostolicae Sedis censurae latae sententiae inflictae fuerunt ratione dimissoriarum litterarum quibus uterentur clerici e sex Episcopatibus suburbicariis. Omnes hae poenae ipso facto prius incurrendae, « quarum in Codice nulla fit mentio, tanquam abrogatae habeantur » (can. 6, n. 5°).

Derogato cap. cit. Decretalium quod attinet ad hypothesim de « Episcopo in remotis agente », prosequitur can. 958 enumerans eos qui ut supra « litteras dimissorias *a*) pro saecularibus dare possunt *b*) quamdiu iurisdictionem in territorio retinent »: 2° *Vicarius generalis* de quo in Lib. II est Art. I Cap.[s] IV Tit.[i] VIII, c) *ex speciali tamen Episcopi mandato,* quod verbum « tamen » innuit dimissoriarum litterarum concessionem computari inter ea excepta, « quae ex iure requirunt speciale mandatum » (can. 368, § 1°:

3.° *De Capituli* c) *consensu* ad normam can. 105, 1°, 2° ac semper propter canonis contextum, qui constituit innovationem iuris praecedentis, *Vicarius Capitularis* de quo sunt conditi can. 433-444 d) *post annum* computandum « prout in Calendario », et disiunctive ad normam sub n. 2° vel 3° can.[s] 34 et accidentaliter sub n. 4°, *a sede vacante*, prout haec vacaverit alio quocumque modo vel translatione Episcopi ab una in aliam Ecclesiam, sicut de his diversis vacationibus canones (183-195) interpretati sumus in Comm. Textus; d) *intra annum vero* limitatur canonis sub hoc n.° data dispositio e) pro *solis arctatis* idest: qui iure indigent ordine suscipiendo a) *ratione beneficii recepti vel recipiendi,* ut inveniemus in canonibus sub Tit. XXV, b) *aut ratione certi* seu numero determinati *alicuius officii* « stricto sensu » (§ 2) ac definiti in can. 145, § 1, sub duplici conditione huiusmodi: *cui propter necessitatem dioecesis* non solum communiter, sed in quacumque eius parte, *sine dilatione* protrahenda « ultra annum a sede vacante » ut supra, *sit providendum;* et haec posterior ratio in promovendo arctato est nova respectu ad ius scriptum vetus:

[1] Cap. 10, sess. VII de Ref.

4.° *Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius,* ceteroquin « sacrae ordinationis ministri extraordinarii », ut vidimus, ad normam can. 957, § 2, quicumque eorum ut tales, quia subditur: c) *licet episcopali charactere careant*, clausula ex intentione addita, eo quod tunc conferre nequeunt nisi « primam tonsuram et ordines minores », attamen ad litteras dimissorias quod attinet, dare possunt eas d) *etiam ad ordines maiores* suscipiendos.

Hucusque determinati sunt limites enuntiatae potestatis in Praelatis. Quoddam praescriptum ab eorum aliquo servandum addit § 2. *Vicarius Capitularis litteras dimissorias,* quas possit dare ad normam § 1, n. 3°, *ne concedat iis qui ab Episcopo*, cui sequutus est in dioecesis regimine, et sub cuius nomine hic « venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215) consequenter can.[i] 327 § 1, ab ordinum susceptione *reiecti* nempe: positive *fuerunt* quacumque ex causa. Sed quamvis illicite ab ipso contra hunc §[m] concederentur litterae dimissoriae, iuxta declaratam vero potestatem tales litterae essent « legitimae », prout exiguntur ad normam can. 962.

Cum sub n. 4° specialiter nominentur Abbas vel Praelatus nullius, qui « in iure veniunt nomine Episcopi » (can. 215, § 2), quaeri potest an huiusmodi facultate careant tum Administratores Apostolici, tum ille penes quem sede impedita « est dioecesis regimen » ad normam can. 429, atque illi ad quos vicariatus aut praefecturae apostolicae vacantis cura devenerit. — Huic quaestioni sic erit respondendum. Abbas vel Praelatus nullius nominatim recensentur, quia idem est praescriptum de ipsis ac de Vicariis et Praefectis Apostolicis, qui nominari debuerunt, atque animadvertenda de illis in canone non facile coadunari poterant cum dicendis circa Episcopos. — Quoad Administratores Apostolicos ex can. 315 scimus quod « Administrator Apostolicus permanenter constitutus iisdem iuribus fruitur ac Episcopus residentialis » (§ 1), atque (§ 2) « si ad tempus datus sit: 1° Eadem iura ac officia habet, ac Vicarius Capitularis », ergo in canone quem commentamur Administratores Aplci. veniunt iuridice designati respective sub n.[e] 1° et 3°, imo in hoc altero casu tenentur illi servare §[i] 2[i] praescriptum. — Sede impedita iuxta can. cit. (§ 1) « dioecesis regimen, *a*) nisi Sancta Sedes aliter providerit », ex qua provisione ac isto canone 958 eruenda esset potestas, quam quaerimus, alias *b*) « penes Episcopi Vicarium Generalem », ac nulla est difficultas, « vel alium virum ecclesiasti-

cum ab Episcopo delegatum esto », ex qua delegatione quaestio praesens solvenda esset. Secundum § 3 eiusdem canonis nonnumquam « Capitulum ecclesiae cathedralis suum vicarium constituat (sed pro casibus his subditur): qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis »; videlicet: in concedendis dimissoriis ad normam can. 958, 3° seu « post annum a sede impedita, vel intra annum... ». — Demum illi « ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit (can. 310, § 2), uti possunt omnibus facultatibus ordinariis, quibus Vicarius vel Praefectus pollebat », proindeque illa quam eidem tribuit can. 958 sub n. 4°.

306. **Quid praedicti possunt etiam circa ordinationem.** — Determinata potestatis praefatae mensura in can. praec., valde opportune subnectitur immediate *can. 959* includens quosdam Praelatos exclusos ab ordinandi potestate licite utenda secundum can. 956, 957, videlicet: *Qui potest* iuxta interpretationem praec. can^{s}. et can^{s}. 964, 2°, 3° *litteras dimissorias ad ordines* quoslibet *recipiendos dare* ob ius proprium vel ob commissionem, imo ad omnes ut ex dicto can. patet, vi can. huius *potest quoque* licite propter seq^{m}. clausulam postremam, a) *eosdem ordines conferre per se ipse,* b) *si necessariam ordinis potestatem* pro sacrae ordinationis validitate *habeat;* quae potestas profluere debet ab episcopali recepta consecratione, ut sit minister ordinarius, v. gr. Administrator Apicus. qui est Episcopus titularis, vel ab ordinatione suscepta presbyteratus, si « a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi », v. gr. ille ad quem vicariatus aut praefecturae cura devenerit, qui simul sit vicarius provincialis religionis exemptae, posset ordines minores consodali legitime dimittendo conferre iuxta limites suae potestatis ordinandi.

307. **Requisita ut licite dentur dimissoriae** exprimuntur ad modum simplicis prohibitionis in *can. 960. § 1. Litterae dimissoriae ne concedantur,* ergo qui eas dare possunt qualibet ex causa praevie obtineant quod sequenti clausula edicitur, *nisi habitis antea* bene notandum *omnibus testimoniis* ac solis *quae iure* Codicis *exiguntur ad normam can. 993-1000* tunc ediscenda. — Adeo legislator Praelatis commendat illorum canonum observantiam, ut alia prohibitione idipsum obtinere intendat § *2. Si post datas ab Ordinario* competente *litteras dimissorias*, servatis canonibus

illis, ut supponitur, *nova testimonia necessaria sint,* ut contingere potest, *ad normam can. 994, § 3, Episcopus alienus,* idest: non « proprius » ordinandi ad normam can. 956, et ex hoc parallelo propter rationis paritatem hanc normam interpretari oportet etiam de ministro extraordinario pro his « qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant » ad normam can. 957, § 2, sic igitur declaratus « Episcopus alienus » in hypothesi §[1] *ne ordinet* alienum quoad hoc subditum, *antequam eadem* ut supra « testimonia necessaria » *receperit,* quae proinde eidem sunt mittenda, quin necessario sint ab eo colligenda. — Hoc ultimum e contra praescribitur expresse in § *3. Quod si promovendus* vi litterarum dimissoriarum ex canonis contextu, *tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum,* quod « est, regulariter, pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem » *ad normam can. 994 transegerit* taxative *in ipsa dioecesi Episcopi ordinantis,* seu Abbatia ac Praelatura nullius vi can. 215, § 2, et ut supra ob locum parallelum et rationis paritatem, seu Vicaria aut Praefectura Apostolica, imo etiam « si post obtentas (prius) litteras testimoniales et ante peractam ordinationem rursus moratus sit » ibidem (can. 994, § 3), tunc in his casibus unusquisque praedictorum nempe: *hic testimonia* illa necessaria *directe colligat,* atque ad hoc iste, non alius Praelatus, obligatur.

308. **Ad quem mitti possunt litterae dimissoriales.** — Conc. Trid. loc. cit. edixerat tantummodo « ad alium Episcopum ordinandum dimittant ». Huius Episcopi determinationem refert, ac « ex parte tantum cum iure veteri congruit » *can. 961. Litterae dimissoriae* supra definitae *mitti possunt ab Episcopo proprio* declarato in can. 956, et sub quibus verbis aliorum vi canonum continentur quoad praesentem normam omnes, qui iuxta can. 958 « litteras dimissorias dare possunt », ac propter iuris veteris mutationem addente canone: *etiam Cardinali Episcopo suburbicario,* quia hic in iure praecedenti ad solum Card[m]. Urbis Vicarium suos subditos dimittere poterat ordinandos, ut patet ex censura const[a]. Apostolicae Sedis VII[a] inter suspensiones nunc abrogata, ut in can. 958 dictum est. Dirigi ergo possunt praefatae litterae *ad quemlibet Episcopum,* sub cuius nomine huc ad normam can. 957, § 2 « venit quoque (Vicarius ac Praefectus Apostolicus) Abbas vel Praelatus *nullius* » (can. 215, § 2), sive relinquatur illius desi-

gnatio arbitrio ordinandi, sive determinetur unus inter plures, vel unicus, per ipsum dimittentem, hac limitatione iuris servata: « ad Episcopum » a) *communionem cum Sede Apostolica habentem,* quae limitatio, etsi non exprimatur in litteris dimissoriis, est subintelligenda ex dimittentis intentione, insuper: b) *excepto tantum* inter concessos, *citra apostolicum indultum* pro uno vel pluribus casibus, et quod supponit prohibitionem, *Episcopo ritus diversi a ritu promovendi* latino vel orientali, iuxta dicta in can. 955, § 2.

Dictum est ac nunc probandum contineri, ad canonem hunc quod attinet, sub verbis « ab Episcopo proprio » omnes, qui iuxta can. 958 « litteras dimissorias dare possunt ». — 1° Vicarius generalis facultatem amplam huius can. 961 vel limitatam in speciali mandato recipiet, cui stare debet sede plena vel impedita. Idemque valet de viro ecclesiastico « penes quem ad Episcopo delegatum sit dioecesis regimen sede impedita » ad normam can. 429, § 1. — 2° Vicarius capitularis, etiam sede impedita constitutus ad normam can^{a}. cit^{i}. § 3, cum ad eum « transeat ordinaria Episcopi iurisdictio, exceptis iis quae in iure expresse sunt eidem prohibita » (can. 435, § 1), fruitur quoque potestate Episcopi proprii statuta in can. 961. — 3° Vidimus in can. 957, § 1: « Vicarium ac Praefectum apostolicum, Abbatem vel Praelatum nullius Episcopo dioecesano aequiparari », quod si episcopali charactere careant, illi (can. 294) « iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus... » atque hi etiam (can. 323) « easdem potestates ordinarias habent, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi ».

309. **Conditio ad licite ordinandum alienum subditum** exprimitur sic in *can. 962. Quilibet Episcopus,* et propter ea quae ultimo relata sunt, idipsum est affirmandum de « sacrae ordinationis ministris » vi can. 957, *acceptis* a) *legitimis* seu iuxta sacros praec^{a}. ac subsequentes canones huius Capitis *litteris dimissoriis,* quamvis scripto privato seu absque signis Curiae authenticis, b) *alienum subditum,* cuius ipse non sit « Episcopus proprius » ad normam can. 956, vel ad normam can. 957, *licite ordinat* iuxta propriam potestatem, c) *dummodo ipse* de litterarum genuinitate quomodolibet certus sit, seu ut ait canon: *de germana litterarum fide dubitare nullatenus possit.* quod positiva certitudinis argumenta

non requirit, d) *salvo praescripto can. 894,* § 3 de novis litteris testimonialibus quandoque necessariis.

310. De vigore litterarum dimissoriarum. — Quia dimissoriarum concessio est ut plurimum quaedam gratia, iuste omnino disponit *can. 963* iuxta praecedentem disciplinam: *Litterae dimissoriae*, et ob verbum universale illae quoque concessae vi can. 964, *possunt ab ipso* a) *concedente* b) *vel ab eius successore* in singulari officio a) *limitari*, sive quando dantur sive post concessionem, vel quoad tempus intra quod subsequatur ordinatio, vel quoad Episcopos ex quibus eligat ordinantem, vel quoad ordines vi earum suscipiendos, b) *aut revocari* omnino ante ipsarum usum, c) *sed semel concessae non extinguuntur,* adhuc non sequuta ordinatione, seu dum sit « res adhuc integra » (can. 61), *resoluto* qualibet de causa *iure dantis* ad eas concedendas, quae postrema clausula est exceptio canonis citati.

311. A quibus dandae sunt litterae dimissoriales ordinandis religiosis. — *Can. 964* incipit hoc modo: *Quod attinet ad ordinationem religiosorum*, a prima tonsura usque ad presbyteratum inclusive: quia ab isto canone Codex tradit normas coordinatas praecedentibus circa « litteras dimissorias pro saecularibus », et can[1]. 958 respondit can. 964 in quo tamen primo inseritur potestas ordinandi limitata competens quibusdam Praelatis religiosis, quae norma uti determinans universalitatem can[is]. 959 servanda est congruenter reg[ae]. Iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur »; canoni 960 relativus non iste, sed opportunius can. 995 numeratur; oppositum can[i]. 961 tamquam regulam statuit can. 965, exceptiones addens can. 966; denique can. 962, 963 secundum eorum tenorem religiosos etiam omnes respiciunt, sicut interpretati sumus. — In vigenti disciplina ministri extraordinarii ordinationis repetuntur ex c. 14 Conc. Nic. II [1]: « Lectoris autem manus impositione licentia est Abbati solummodo in proprio monasterio faciendi (unde I° qui habet Abbatis officium, non tantum honorem), si dumtaxat II° eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo, secundum morem praeficiendorum Abbatum (idest: per benedictionem, non per episcopalem consecrationem) et III° dum constet illum esse presbyterum ».

[1] Cap. 1, Dist. LXIX.

Simili etiam modo secundum antiquam consuetudinem « Chorepiscopos praeceptione oportet Episcopi promovere lectores ». Hi Chorepiscopi, quamvis presbyteri tantum sint, fruuntur adhuc in ecclesia orientali potestate ordinandi clericos usque ad subdiaconatum inclusive.

In Ecclesia vero occidentali, Innoc. III in cap. 11 « de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum » (I, 14) allegat praedictum canonem Nicaenum quoad Abbates, concludens: « per primam tonsuram, iuxta formam Ecclesiae datam, a talibus clericalis ordo confertur ». Quod privilegium paulatim ex consuetudine ad omnes ordines minores conferendos extensus est, adhuc ante Conc. Tridentinum. Hoc limitavit saltem usum huius potestatis eorum Abbatum [1] per haec verba: « Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel ordines minores conferre:... non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus». Et S. Congr. Conc. [2] reposuit: Negative, « quia non habuit oblatum illum pro subdito regulari, cum non professus fuerit tribus votis sollemnibus, et Concilium praeservavit facultatem ordinandi ad subditos regulares ».

Cûm autem accidere posset, ut Episcopus renueret Abbatem benedicere, Alex. III Cisterciensibus scripsit: c. 1 de supplenda negligentia Praelatorum (I, 10): « Statuimus praeterea, ut si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione (sicut convenit) requisitus substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios monachos benedicere, et alia quae ad huiusmodi officium pertinent exercere, inter quae Glossa et DD. comprehendi interpretantur ordines conferre), donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent, et Abbates benedicere non recusent ». — Huic legislationi perfectionem declarativam Bened. XIII adiunxit per const. « Commissi » [3]. In § 1. praecipit Abbatibus regularibus..., ut infra annum a die eorum electionis computandum, solemnem benedictionem ab episcopis, in quorum dioecesibus monasteria consistunt, iuxta ritum in Pont. Rom. praescriptum, omnino suscipiant, vel saltem eam ter ab ipsis... postulent,... (iuxta cap. cit.). Declarat quod ipsimet abbates electi, durante praefato termino, ac interim, omnia munia abbatialia libere ac licite exercere possint et valeant, quodque abbas semel benedictus iterum benedictionem petere vel obtinere non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum monasteriorum aliarum etiam dioecesium translatus extiterit ». Quae ultima di-

[1] Cap. 10, sess. XXIII de Ref. — [2] 14 Maii 1689. — [3] 6 Maii 1725.

spositio can°. 964 implicite continetur. In §§ 2 et 3 loquitur de privilegio praedictae obligationi opposito ac limitat. In § 4 de aliis privilegiis, quibus eximuntur ab illa obligatione, loquitur et inconcusse observari praecepit.

« Ex parte tantum cum hoc veteri iure congruit » (can. 6, 3°) can. 964 dum edicit *1° Abbas*, id est: hoc titulo legitime potitus, *regularis*, scilicet: « qui vota nuncupavit in Ordine, quae est religio in qua vota sollemnia nuncupantur » (can. 488, 7°, 2°), a) *de regimine*, non solo titulo quamvis iure retento ad normam can. 515, proinde « Superior maior » actu (can. 488, 8°) b) *etsi sine territorio nullius*, unde a fortiori « Abbas nullius » quoque *potest conferre*, ut « sacrae ordinationis minister extraordinarius » a iure can°. huius constitutus, *primam tonsuram et ordines minores* tantum congruenter iuri praec¹. et can¹. 957, sub tribus bene perpendendis conditionibus ex veteri iure, nempe: a) *dummodo promovendus* ad praefatam tonsuram et singulos eos ordines *sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis* « votis sollemnibus praemittendae ad triennium valiturae vel ad longius tempus » (can. 574) forsitan etiam « renovatae ob temporis prorogationem », quam conditionem evolvit [1] declaratio Urbani VIII [2] sequens: « Abbates Regulares Benedictinos... habentes etiam iura episcopalia... ac facultatem primam tonsuram et minores ordines conferendi non posse dictam tonsuram vel minores ordines nisi suis subditis regularibus conferre, non autem regularibus alterius Congregationis et Ordinis vel Instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias superiorum suorum regularium, et consensum Ordinariorum intra quorum Dioecesium fines ipsi regulares ordinandi existunt, et multo minus personis saecularibus etiam habentibus litteras dimissorias a suis Ordinariis, ac propterea inhibet... Episcopis et aliis Praelatis... ut in futurum concedere non audeant supradictas litteras dimissorias huiusmodi Abbatibus directas, nec ab ipsis recipi ». Quod intelligatur de Abbatibus de solo regimine iuxta interpretationem can°. 957, § 2, quos tantum respiciebat declaratio.

Sequitur in canonis num°. 1° secunda conditio: b) *ipse vero* « Abbas » praedictus *sit presbyter*, ex qua confirmatur data interpretatio can°. 951, additumque fuit hic verbum huiusmodi ad innuendam conformitatem iuri praecedenti, atque uti can°. 154

[1] Bizzarri, Collectanea... pag. 128. — [2] 17 Ian. 1642.

rememoratio in casu, c) *et benedictionem abbatialem legitime*, hoc est: « intra tres menses ab electione accipiendam ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est » (can. 625), et Abbas *nullius* ad normam can. 322, § 2, eandem *acceperit* proprie seu de facto et valide. — In his quae sequuntur fit amplissima revocatio disciplinae praecedentis. *Extra hos fines* designatos pro « Abbate regulari de regimine » tantum seu qua tali *ordinatio* etiam cuiuslibet gradus « et ipsa prima tonsura » (can. 950) *ab eodem collata* etiam subdito adhuc novitio, vel ante susceptionem tum presbyteratus tum abbatialis benedictionis, quicumque tandem Abbas quatenus de regimine sit, nam subditur: *revocato quolibet privilegio* personali vel Ordini directe concesso, cuius meminit et quod inconcusse « observari praecepit » Bened. XIII in cit. const. « Commissi », *est irrita*, quia tunc non est illius « sacrae ordinationis minister » (can. 951), proindeque: *nisi ordinans charactere episcopali polleat*, episcopus titularis existens uti per exceptionem;

2° *Religiosi exempti*, scilicet: « regulares », novitiis tamen exclusis, qui sub nomine non veniunt religiosorum ad normam can. 448, 7°, e contra etiam « qui vota nuncuparunt in Congregatione religiosa (can. et num. cit.), cui specialiter fuerit concessum exemptionis privilegium » (can. 618, § 1), illi singuli *a nullo Episcopo* etiam titulari, (sed eo « nomine (non) venit quoque Abbas vel Praelatus nullius (qua talis) ex sermonis contextu », (can. 215, § 1) videlicet: ad normam can. 957, § 2, atque rationis paritate nec Vicarius et Praefectus Apostolicus), *ordinari licite possunt*, ita ut ordinandi ac ordinans peccarent, *sine litteris dimissoriis* a) *proprii* b) *Superioris maioris*, cui mediate vel immediate subiiciatur, unde implicite cavetur hos Superiores maiores ad normam can. 488, 8°, Abbatem quoque de regimine cum ordinandi facultate, posse dimissorias litteras solummodo religiosis propriis dare, non aliis eiusdem religionis.

Sequitur limitatio huius potestatis sub *n°. 3°. Superiores* praetati ex contextu a) *professis votorum simplicium* temporaneorum post Codicem, in eorum Ordine vel Congregatione religiosa exempta existentibus, nam dicitur *de quibus in can. 574* statutum est, b) *litteras dimissorias* vi huius canonis *concedere possunt* c) *dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores* suscipiendos, « servatis tamen de iure servandis » ut addit sub n. VII S. Congr. de Di-

sciplina regulari [1], cuius fuit haec Declaratio pro Regularibus, et supra ad alios religiosos pariter ampliata.

Cum ex dictis remaneant omnes novitii cuiuslibet religionis, professi religionum non exemptarum, imo quoad ordines maiores iidem professi votorum simplicium in religionibus exemptis, quos dimittere ad illos ordines proprii Superiores nequeunt, admonet statuens canon in n°. 4°. *Ordinatio* quaecumque vel in sacris, ut supra, proinde *ceterorum omnium alumnorum*, quibus non est provisum in num^s^. praec^s^. *cuiusvis religionis*, nempe: etiam clericalis exemptae, *regitur iure saecularium* quoad « ordinationis ministrum » iuxta inscriptionem Capitis, *revocato quolibet indulto* scilicet: proprie ad tempus vel ad determinatum casuum numerum, non privilegio directe religioni concesso, si quod extaret, idque patefit amplius ex verbo: *Superioribus concesso dandi* eorum subditis *professis a votis temporariis*, quaecumque illa sint, etsi praevia votis religiosis perpetuis ad normam can. 574 cit^t^. sub n°. 3°, *litteras dimissorias ad ordines maiores* suscipiendos. Salva erga manent similia indulta ad ordines minores quod attinet.

312. **Ius praecedens de litteris dimissoriis ordinandorum regularium.** — De ordinatione regularium vigebat const. « Impositi Nobis » Bened. XIV [2] in qua inseruntur quoddam Clem. VIII Dec. [3] et aliae declarationes S. Congr. Conc. — Ex Dec. Clem. VIII accipimus: « Quae S. Cong. censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii in cuius familia ab iis ad quos pertinet regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, episcopo (non) dioecesano, (iuxta dicta)... litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam *alterutram* exprimendam esse... Praeterea *Bened. XIV decrevit* ut superiorum regularium dimissoriae *tales*... nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii eiusdem episcopi dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto... Quod si aliquis antistes regularem virum, in sua dioecesi proprium domicilium non habentem, solis *praedictis* dimissorialibus... sine adiuncta praefata attesta-

[1] 12 Iun. 1858. — [2] 27 Febr. 1747. — [3] 15 Mart. 1596.

tione in forma legitima probante, ad ordines promovere praesumpserit, *decernit*... hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint ».

Tempore Sedis vacantis dioecesanae, quae dicta sunt applicanda erant respectu ad Episcopum viciniorem, ex Decls. S. C. C. [1]. Tamen Bened. XIV [2] « regularium privilegia firma et rata esse *vult*, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo huiusmodi privilegia post Tridentinum Concilium, et ipsis Ordinibus nominatim atque directe non autem per communicationem fuerint concessa; »... et cetera *similia privilegia*... nulla et irrita esse *vult* et *statuit*... *Decernens* « huiusmodi privilegia nequaquam post Conc. Trid. indulta censeri, nisi.... quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, huiusmodi confirmationes in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione eiusque expressa innovatione factae dignoscantur »...

313. **Ad quem ordinaturum mitti debent religiosi exempti ordinandi.** — Ad rectam intelligentiam can. 965 recolere oportet adhuc caput supra citm. 3 de temporibus ordinationum in 6o (I, 9), in cuius ultima parte Bonif. VIII ait: « Religiosi vero a suis Superioribus in non exemptis Prioratibus deputati Priores (id est Superiores) et eorum socii (hoc est: ceteri religiosi) possunt a locorum dioecesanis, quamdiu morantur in his Prioratibus ordinari licite, licet non sint de eorum dioecesibus oriundi ». Huic vero iuri concordat can. 965, dummodo sint de familia Prioratuum. — Antea vero in eod. cap. legitur: « Inferiores quoque Praelati (scilicet: ex iure Decretalium, non habentes dioecesim stricte dictam), religiosi vel alii, nisi eis, quod suos clericos aut subditos, possint, a quo voluerint Episcopo facere ordinari a Sede Apostolica specialiter sit indultum,... (sicut nunc iure competit pluribus ad normam can. 957, § 1 et 961),... huiusmodi nequeunt licentiam impertiri ». Quod vetitum nunc est restrictum ad litteras dimissorias vi can. praec. concedendas.

Loquitur caput de exemptis ab Episcoporum iurisdictione, sive regularibus, sive saecularibus, non autem determinat Episcopum proprium. Conc. vero Trid. [3] ait: « sed horum omnium ordinatio (scilicet: qui non sint subditi regulares, ut dicitur paulo ante in eod. Dec°. et cap.), servatis omnibus, quae in huius S. Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus ». Ad maiorem autem determinationem huius Episcopi proprii, pertinent verba Card. Petra [4]: « S. C. C. usque ab an. 1602 ita declaravit (tom. V Decret. fol. 66), censuitque: Facultatem ordinandi ad Episcopum intra cuius dioecesis fines Abbatia (seu Praelatura exempta) consistit, pertinere; quod si intra nullius dioecesis fines posita sit, ad viciniorem Episcopum; vicinitatem autem ratione Ecclesiae non territorii esse attendendam ». Id est: inspicienda distantia inter ecclesiam Abbatiae seu Praelaturae nullius et

[1] 24 Aug. 1619, 20 Iul. 1675. — [2] Const. cit. § 12. — [3] Cap. 10, sess. cit. XXIII de Ref. — [4] Tom. V ad const. IV Callisti III, sect. I, n. 67.

conterminas ecclesias cathedrales. Hoc ius, ad Abbatias et Praelaturas nullius quod attinet, abrogatum est ad normam can. 958, § 1, n. 4° et 961 ibi expositam.

His praesuppositis est facilis interpretatio *can. 965. Episcopus,* cuius nomine venit « Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), *ad quem Superior religiosus* qua talis, scilicet: concedens litteras dimissorias vi can. 964, proinde vel Superior maior exemptus, (num^{s}. 2° 3°), vel Abbas de regimine, vel Abbas *nullius* religiosus et charactere episcopali non insignitus, quoad ordinandos in sacris « ipsi subditos vi professionis saltem simplicis » (num. 1°), unusquisque ipsorum tunc *litteras dimissorias mittere debet*, quo verbo, ut in praec. iure, simul cum obligatione limitatur earum litterarum legitimitas necessaria ordinanti, vel Episcopo vi can. 962 ad ordinationis liceitatem vel Praelato vi can. 957 ad illius validitatem, *est* a) *Episcopus dioecesis* ac, ut supra, « Abbas quoque vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), b) *in qua sita est domus religiosa*, non in qua ordinandus degat qualitercumque, sed c) *ad cuius familiam* iuxta constitutiones religionis *pertinet ordinandus* equidem religiosus, « cuius ordinatio non regitur iure saecularium » (can. 964, 4°), de qua ordinatione « iure saecularium » sunt servandi can. 958 et 961 loco huius, quia can. 691 contrarium huic concedit. — De Abbate autem *nullius* obligato ad normam can. 965 in casibus, scilicet: pro suorum subditorum regularium ordinatione in sacris ob can. 964, 2°, et pro minoribus ordinibus ipsorum, quando illos per se non conferant, iuxta can. 964 n°. 3°, « Episcopus dioecesis » est interpretandus de viciniori dioecesi declarata per S Congr. Concilii iuxta testimonium Card. Petra supra citatum.

314. **Exceptionis praecedentis canonis.** — Quam noscimus disciplinam in const. Bened. XIV « Impositi Nobis » supra citata optime expositam, ex parte tantum retinuit, eamque simpliciorem reddidit *can. 966* § *1. Tunc tantum*, ergo extra sequentes casus, nisi habeatur privilegium directe concessum post Conc. Trid., servandus est can. 965, *Superior religiosus* in cit. can. declaratus *ad alium Episcopum* prae « Episcopo dioecesis » declarato in cit. can., vel « ad alium Abbatem vel Praelatum nullius » (can. 215, § 2) iuxta citatam declarationem *litteras dimissorias* vi can. 964 *mittere potest* scilicet: « ad quemcumque communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum,

Episcopo ritus diversi a ritu promovendi » ad normam paralleli can^s. 961, *cum Episcopus dioecesanus* secundum can^s. interpretationem a) *licentiam dederit*, quod est novum ex Codice, b) *aut sit diversi ritus*, et hoc nunc expresse positum in scripto iure, c) *aut sit absens* a dioecesi legitime aut illegitime, d) *aut non sit ordinationem habiturus* praecise *proximo legitimo tempore ad normam can. 1006*, § 2, quae exceptio non existit, si extra illa tempora ob vigens religionis privilegium velit Superior subditos ipsius ordinari, e) *vel denique cum dioecesis vacet*, nec sufficit hoc simpliciter assertum in const. Benedictina, sed ex Codice insuper: *nec eam regat* fortassis Administrator Apostolicus vel Vicarius capitularis *qui charactere episcopali polleat*, uti Episcopus vel titularis vel alterius dioecesis residentialis.

Sed sicut in const. Bened. XIV et iuxta eam interpretandus addit § 2. *Necesse est ut singulis in casibus* quinque §^i praec^s. etiam per Codicem inductis, *id* scilicet: pro diversitate casus unaquaeque contingens exceptio a) *episcopo* seu « Abbati vel Praelato nullius » (can. 215, § 2) *ordinaturo* b) *constet*, non qualitercumque, sed c) *ex authentico* ob subscriptionem ac sigillum *Curiae episcopalis*, scilicet: illius « ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet » (can. 965) *testimonio*.

Quaeres: an Abbas vel Praelatus *nullius* ordinans ad normam can. 957 § 2 cum « dimissoriis iure (§ 1^i huius canonis) requisitis » quoad exceptos ibidem casus, sed absque hoc necessario testimonio, invalide ageret, vel tantum illicite. Omnino tenendum esse invalidam huiusmodi ordinationem (nota bene vi cit. § 2 sub can. 957). Nam verbum « necesse est » (can. 966, § 2) debet eumdem sensum habere quoad omnes casus in §^o 1° expressos; sed quoad illos sub litteris *c*) et *d*) « cum veteri iure (videlicet cum const. « Impositi » Bened. XIV) congruit » (can. 6, 3°). Ergo « ex iure antiquo aestimandum est » verbum « necesse est ». Nempe: prout decrevit Bened. XIV loc. cit.: « dimissoriae tales... nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii eiusdem Episcopi dioecesani, ex qua constet » de occurrente casu per can^is. 966 §^m 1^m excepto. Ita porro quia verbum « necesse est » cum ad validitatem vel liceitatem actus intelligi possit, ob ratiocinium praedictum ex canonum contextu petitum, dimissoriales litteras in casibus « esse nullas expresse (quamvis implicite) statuitur » et proinde « irritans lex habenda est » (can. 11), quae hoc in §^o 2° can^is. 966 continetur.

315. **Cavendum a Superioribus religiosis in hac materia**. — Bened. XIV in saepius cit. constitutione (n. 9) narrat sibi in Bononiensi Archiepiscopatu residenti contigisse, « ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus suique superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi

nullo pacto docere posset, ipsummet clericorum ordinationem non habiturum, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interiecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur ». Et infra Episcoporum querelas refert, « quod superiores regulares, ad eludendum decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilium moveant, eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti iubeant » ; et merito subiungit : « siquidem regulares huiusmodi agendi rationem,... tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros ecclesiasticarum antistites observantiae contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent ».

His rationibus fulcitur aequitas *can. 967. Caveant*, veluti a re prohibita per canones praecedentes, eo quod actiones recensendae (propter inordinatam contra eos voluntatem cui uniuntur) subiectae sunt sociali Ecclesiae potestati, et quia secundum reg. Iuris 88 in 6° « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem ». Ideo « caveant » *Superiores religiosi* iidem ac in can. 965 sunt declarati, *ne in fraudem*, scilicet : ne actibus celantes intentionem non rectam vitandi ius *Episcopi dioecesani* ad quem in praecedentibus declaratum est quod pertinet ex iure promovere Superioris religiosi a) *subditum ordinandum* etiam per primae tonsurae collationem, *ad aliam religiosam domum*, etsi eiusdem religionis, *mittant*, quae fraus eveniet quando nulla iusta extranea subsistente causa, ita operatur Superior forsitan timens ab Episcopo reiiciendum esse subditum ab ordinibus, hunc « mittendo » equidem ad tempus. Si contra Superior in propriae auctoritatis usu subditum transferat in perpetuum, removens ab hac domo, etsi cum intentione ut facilius ordinari queat, vel alia iusta existente causa, tunc fraus praedicta abest omnino. Additur alius fraudandi modus « contra legis voluntatem » : b) *aut concessionem litterarum dimissoriarum*, quae clausula restrictivam firmat interpretationem datam verbis : « Superiores religiosi », *de industria* scilicet : cum hoc studio et proposito in quo fraudis substantia posita est, *in id tempus differant*, *quo* « legis verba complectens » eas mittere queat ad alium Episcopum non dioecesanum, nempe : quando *Episcopus vel abfuturus* a dioecesi, qui est casus can^s. 966 sub littera c) declaratus, *vel nullas habiturus sit ordinationes* iuxta explicationem huius clausulae in cit. can. Quamvis hae fraudes multoties ignotae hominibus maneant et impunitae, legis transgressorem efficient coram Deo in propria conscientia talem Superiorem.

CAPUT II.

De subiecto sacrae ordinationis.

CAN. 968. - § 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus; licite autem, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento.

§ 2. Qui irregularitate aliove impedimento detinentur, licet post ordinationem etiam sine propria culpa exorto, prohibentur receptos ordines exercere.

CAN. 969. - § 1. Nemo ex saecularibus ordinetur, qui iudicio proprii Episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis.

§ 2. Non prohibetur tamen Episcopus proprium promovere subditum, qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur.

CAN. 970. - Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior potest suis clericis ex quavis canonica causa, occulta quoque, etiam extraiudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo iure recursus ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis.

CAN 971. - Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere.

CAN. 972. - § 1. Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata eius conscientia, dispensaverit.

§ 2. Qui ad ordines adspirant et extra Seminarium legitime morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet.

316. **Inscriptio capitis.** — Sequitur *Caput II* quod canones complectitur *De subiecto*, illa nempe: physica iuridica persona, quae, recipere in seipsa possit effectus uniuscuiusque ritus sacri per quem constituatur in aliquo ex diversis gradibus ordinis: vel unicum characteris ac potestatis effectum, qui iure divino in ordinis sacramento confertur, quaeve iure ecclesiastico promanat in gradibus inferioribus diaconatu, vel utrumque, scilicet cum praedicto gratiam quoque in ordinis gradibus, qui sunt certo sacramentum, in quantum ab eiusdem subiecti conditionibus peccatum excludentibus illius consecutio non impeditur in receptione *sacrae ordinationis*, seu primae tonsurae usque ad ipsam episcopalem consecrationem, ad normam can. 950.

317. **Distinctio capitis in articulos ac ordo canonum ante ipsos.** — Conc. Trid. [1] « declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia (a iure divino solum moderanda), ea statueret, vel mu-

[1] Cap. 2, sess. XXI.

taret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret ». Nunc vero sacramentum ordinis per quod ad Christi sacerdotis ministerium quis evehitur, et quo potestas in utilitatem ipsius Ecclesiae confertur, requirit profecto ut praecipuis dotibus prae communi etiam bonorum fidelium statu ornatus sit assumendus, et simul ab his omnibus liber, quae ex ipsius ministerio derivandae utilitati officere queant. Propterea non est mirandum canones de subiecto sacrae ordinationis multiplices promulgatos fuisse, qui iuxta dicta in duos articulos commode distribuuntur, videlicet: *Art. I. De requisitis in subiecto sacrae ordinationis* atque *Art. II De irregularitatibus aliisque impedimentis.* — His praecedunt prout de more canones generales, et primo de conditionibus subiecti diverso iure firmatis agit can. 968, alii vero loquuntur propter praefati subiecti causam cum aliis personis, scilicet: Superioribus ecclesiasticis, quoad non ordinandos tum propter ministrorum sufficientiam Ecclesiae utilitati, tum propter privatas ordinandorum causas, hinc duo can. 969, 970. Sequitur can. 971 ordinandi libertati prospiciens in hoc quam maxime necessariae, et can. ultimus providens ne deficiant, qui ad ordines in Ecclesia rite promoveri queant.

318. **Subiecti conditiones ad sacram ordinationem valide ac licite recipiendam.** — Ecclesia in gradibus qui ex eius institutione complent ordinatissimam ordinis hierarchiam divino in aliis iuri se conformavit, ut cum eisdem defectibus illi collati sint invalide sicut et isti, vel tantum illicite recepti. Hinc de omnibus indiscriminatim edixit *can. 968. § 1. Sacram ordinationem,* prout haec « verba comprehendunt » collationem omnium et singulorum graduum primaeque tonsurae, *valide recipit* a) *solus vir,* exclusis inter intellectuales creaturas angelis animisque separatis, atque inter homines mulieribus: de illis namque Apostolus ad Haebreos [1] testificatur: « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit his, qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro pec-

[1] Cap. V, vers. 1 et seq.

catis ». Quibus verbis manifeste indicat Apostolus sacerdotium viatoribus hominibus reservari. Quoad mulieres Apostolus [1] ait: « Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse ». Et [2] alibi similiter: « Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum ». Exinde patet manifeste illas prohiberi ab ordinibus. Attamen hanc esse proprie inhabilitatem, traditio et communis Doctorum catholicorum doctrina est interpretata sententiam Apostoli, et ideo SS. Patres uti Epiphanius, Ambrosius, Augustinus et Iraeneus recensent inter haereses doctrinam, qua sacerdotalis dignitas mulieribus tribuitur.

Inter viros inhabilis est, qui nondum est b) *baptizatus*, etsi catechumenus fide charitateque praeditus existat. Innoc. III rescribens ad Archiep. Ferrariensem cap. 3, « de presbytero non baptizato » (III, 43) ait, postquam plures retulit sententias: « Quia vere in concilio apud Compendium legitur constitutum: quod si quis in presbyterum ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur: Nos in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes: Mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines, usque ad sacerdotium promovere procures, et permittas eum in sacerdotio ministrare; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, nec male de sacramento sentitur, cum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit ».

Prosequitur canon: *licite autem* qua subiectum ordinationis hanc recipit, *qui ad normam sacrorum canonum* sub hoc capite et aliis in locis positorum a) *debitis qualitatibus*, quae, ut videbimus in art. 1°, cum latitudinem quamdam patiantur, sunt ponderandae *iudicio*, non confessarii virique prudentis cui competit solum ut adspirantis conscientiam dirigat in hac re, nec parochi, quia de assumptione ad publicum in foro Ecclesiae externo ministerium agitur, sed *proprii Ordinarii*, sive Superioris maioris quoad religiosos exemptos religionis clericalis ad normam can. 488, 8°, sive « Ordinarii » loci quoad religiosos ceteros vel clericos, ad quem horum ordinatio pertineat, et quia illae qualitates sunt positivae ac ut plurimum acquisitae, adiungit canon: *praeditus sit*, unde sequitur: « Neminem habere unquam ius ullum ad ordinationem an-

[1] I ad Corinth. XIV, 34. — [2] I ad Timoth. II, 11.

tecedenter ad liberam electionem Episcopi » proprio iure ordinaturi, seu ante acceptationem candidati ab illo ob praefatum iudicium [1], in quo ferendo ille morem gerere debet iudicio Superioris maioris, qui ordinandi sit proprius Ordinarius, sed oportet adhuc b) *neque ulla detineatur* ordinationis subiectum *irregularitate* stricto sensu accepta, *aliove impedimento* sive communi huic cum aliis sacramento, uti est censura, homonyma poena, privatio status gratiae, de quo hic non cavet Codex, sive peculiari quoad sacram ordinationem, inveniendo proinde sub Art. II huius Capitis.

Cum vero tum irregularitas tum impedimentum sacrae ordinationis proprium sit constitutum propter honorem utilitatemque sacri ministerii, additur § *2. Qui irregularitate aliove impedimento* ex verbi proprietate *detinentur* a bene gerendo ministerio utili ac honorabili, ut dictum est, *licet* a) *post ordinationem*, quo carebant ante ipsam, b) *etiam sine propria culpa exorto*, sicut accidere potest de aliquibus irregularitatibus, *prohibentur receptos ordines exercere.* Ex hoc canone duo sunt canonici effectus irregularitatis sicut et impedimentorum sub Art. II recensitorum.

319. **Prohibitio conferendi ordines propter ministrorum sufficientiam.** — *Can. 969* determinat fere iisdem verbis utens Con.[1] Trid. cap. 16 sess. XXIII. § *1. Nemo ex saecularibus*, prout verbum opponitur clero religioso, *ordinetur* etiam per « primam tonsuram » (can. 950), *qui iudicio proprii* ob rationem in can. 94 vel 111 expressam *Episcopi*, (scilicet: sumpto verbo cum significatione canonica) *non sit necessarius vel utilis*, quae inutilitas oriri posset ex ordinandi conditionibus; sed considerat canon ipsam dioecesim, addens: *ecclesiis* quibuslibet *dioecesis*. Prohibitio igitur pendet a prudenti Episcopi iudicio. Sed quod sequitur in cit.[o] cap.[e] Conc. Tridentini statuente « ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus »; id potest ab Episcopo in praxim deduci, sed qua lex abrogata est, quia nunc sufficit adscriptio dioecesi consequens « receptionem primae tonsurae » (can. 111, § 2) vel legitimam incardinationem.

Exceptio normae §[1] 1 traditur in § *2* propter hoc sic inci-

[1] Epistola Secret. Status, 2 Iul. 1912, CO. IV, 485.

piente: *Non prohibetur tamen Episcopus* cum significatione supra dicta *proprium* ad normam can. 956 *promovere* ad singulos ordines, non exclusa prima tonsura, *subditum*, etsi nec « necessarius nec utilis » sit, contra praescriptum § 1[1], *qui in futurum*, quandocumque post receptos ordines, *praevia legitima excardinatione* ab Ordinantis dioecesi *et incardinatione* in altera, quae proinde ab utriusque Ordinario complenda est, *servitio alius dioecesis* nempe: futurae incardinationis *destinetur*, quod verbum designat propositum futuri eventus, commune proinde ex praevio mutuo tractatu Ordinariorum tempore primae saltem ordinationis.

320. **Interdictio ab homine ascensus ad ordines.** — Lucius III Archiepiscopo Turonen. scripsit [1]: « Ad aures nostras pervenit, quod religiosi quidam ad superiores desiderant ordines promoveri, sed praelati eorum desideriis contradicunt. — Tuae igitur quaestioni taliter respondemus quod honestius et tutius est, subiectis debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum appetere dignitatem ». (Et est ratio iuridico-moralis) — Sequitur alia. « Nec est in hac parte subiectorum desiderium confovendum: quoniam esse potest, quod praelati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeunt sublimari; quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei ».

Conc. Trid. [2] inducens primam rationem cit.[1] capitis Decretalium extendit illud ad clerum saecularem quoad ascensum ad sacros Ordines iisdem verbis, quae adhibet *can. 970. Proprius* a) *Episcopus* ad normam can. 956, et cum iuridica significatione, ille namque solus potest sequentem prohibitionem efficaciter indicere, b) *vel Superior religiosus maior* etiam non exemptus, sed religionis clericalis ob ea quae sequuntur, *potest suis* idest: eidem subditis *clericis*, seu eis qui « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (can 108, § 1) a) *ex quavis canonica causa*, hoc est: ad expressam sacrorum canonum normam circa ordines, non ex alio motivo vi huius canonis, b) *occulta quoque*, scilicet: quae nec pluribus nota sit, c) *etiam extraiudicialiter*, id est: non servatis normis canonum Lib. IV, quoad interventum notarii, modum excutiendi testes, naturam documentorum, etc., sed habens probationes causae praefatae quae virum prudentem suadeant, *ascensum ad ordines interdicere*, non ad modum sententiae cuiuscumque, sed

[1] Cap. 5 « De temporibus ordinationum... » tit. 11, Lib. I Decretalium. — [2] Cap. 1, sess. XIV de Ref.

praecepti ex iurisdictione aut dominativa potestate, *salvo iure*, proinde *recursus*, non appellationis, a) solummodo *ad Sanctam Sedem*, tam pro saecularibus, quam pro religiosis interdictis, ut dictum est, a Superiore religionis generali; sic tamen ut interdictio interim servanda sit, eiusdem namque (quia non supponit actum positivnm) nec intelligitur suspensivus per recursum effectus; idemque valet de sequenti recursu: b) *vel etiam*, nempe: non excluso priori recursu, si eum praeferat religiosus, *ad Moderatorem generalem* quocumque appelletur nomine, tantum *si agatur de religiosis* « qui nempe vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 8°), *quibus ascensum* praefatum *interdixerit Superior provincialis*, vel ex paritate rationis alius Superior maior infra generalem constitutus.

321. **Libertas servanda in status clericalis electione.** — Quia dictat ratio et iura confirmant « quae vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis » [1], quae in ordinibus voluntarie receptis subsistit, et ex alia parte vota non aliena sed nostra Deo depromere debeamus, seu graves obligationes status clericalis, quae in huiusmodi Titulo III Lib. I recensentur, optime *can. 971* edicit: *Nefas est*, tanquam ex se prohibitum, a) *quemquam*, nulla distinctione subiecti admissa, b) *quovis modo* nocente plenae libertati, c) *ob quamlibet rationem*, etiam ex praetextu virtutis exercendae erga ipsum et ad hoc impellentis, d) *ad statum clericalem* per primam quoque tonsuram suscipiendum *cogere*, quod verbum innuit non prohiberi simplex consilium etiam pluries datum. Quia vero Ecclesia ius habet erga omnes ne defraudetur illorum adiutorio, qui sponte ac fortassis urgente conscientia illud praestare in praefato statu rite suscipiendo velint, addit canon: *vel*, subintellectis particulis quae in prima canonis parte sunt expressae, a) *canonice idoneum*, aliter sentiendum quoad eum qui praefata idoneitate caret, ac evidens est, b) *ab eodem* statu clericali amplectendo, vel servando etiam per subsequentium ordinum receptionem, *avertere* suasionibus quoque secundum quod iustitiae virtus erga Ecclesiam sic laederetur.

322. **De commoratione in Seminariis eorum qui ad sacros ordines adspirant.** — Conc. Trid. initio cap.° 18 sess. XXIII hanc considerationem inducit: « Cum adolescentium aetas, nisi

[1] Cap. 2 et 4, Tit. XL, Lib. I Decretalium.

recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica perseveret »; atque propterea « Sancta Synodus statuit, ut singulae ecclesiae, certum puerorum numerum in collegio ad hoc alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur ». Propter illam rationem optime idem proponit decretum sed aptiori forma *can. 972.* § 1. *Curandum* ex praescripto iuxta prudentiam ob circumstantias servando a) *ut ad sacros ordines* « vel maiores » (can. 949) *adspirantes*, scilicet: « quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros », ut ait Conc. Trid. (loc. cit.), b) *inde a teneris annis*, nempe: « qui ad minimum duodecim annos nati sint » (loc. cit.), *in Seminario* interpretando pro aedibus seu « collegio, in quo certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur » (can. 1354, § 1). *recipiantur*, quo verbo praescriptum huc usque intelligitur ad Ordinarios locorum directum.

Sequens canonis pars ordinandos respicit, aiens: *sed omnes*, nullo ex iuris tenore excepto, *ibidem* in supra declarato Seminario, sed in maiori « si bina constituta sint Seminaria, minus et maius » (can. 1354 § 2), *commorari tenentur* equidem pro modo facultatum, sive gratuito, si pauperum filii, « quos Conc. Trid. praecipue eligi vult » (loc. cit.), sive minori pensione solvenda per eos, sive « ditiores suo sumptu alantur » completum pensum solventes, *saltem*, ex quo verbo desiderium patefit legislatoris et potestas implicite Ordinariorum recognoscitur ampliandi praescriptum, forsitan iam severiori vigente, *per integrum sacrae theologiae curriculum*, « qui saltem integro quadriennio contineatur » (can. 1365, § 2), illaque clausula comprehendit menses « post medietatem quarti anni », (can. 976, § 2) suscepto forsitan presbyteratu. — Hoc secundum §[1] praescriptum admittit exceptiones ab homine, dum additur: *nisi Ordinarius* loci ob contextum a) *in casibus peculiaribus* et implicite propter singulorum casuum circumstantias, non ex proprio arbitrio nec ob quamlibet rationem, sed b) *gravi de causa*, quae talis revera inveniatur post prudentem considerationem, iuxta sequentem clausulam: c) *onerata eius conscientia* ob gravitatem

transgressionis, si aliter *dispensaverit*, forsan « cum iusta et rationabili causa » (can. 84) in seipsa solum considerata.

Ad complendum §[i] praec.[s] intentum deservit § 2. *Qui* a) *ad ordines adspirant,* quod deprehenditur praesertim ex studio apud Seminarii scholas, *et* b) *extra Seminarium legitime* ad §[i] 1 normam diu noctuque *morantur,* scilicet: ante cursum theologicum, et dum hic percurritur ex legitima Ordinarii dispositione, ut supra, *commendentur* ab Ordinario vel per Seminarii rectorem *pio et idoneo sacerdoti,* omnes unico, vel melius plures singulis, vel forsitan singuli singulis, cuius sacerdotis idoneitas est ex illius munere perpendenda: *qui* numero singulari *eis* omnibus vel saltem pluribus a) *invigilet* equidem quoad mores b) *eosque ad pietatem informet,* qua ille, ut supra, praeditus est.

Art. I. — *De requisitis in subiecto sacrae ordinationis.*

Can. 973. - § 1. Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros,

§ 2. Ordinatus tamen qui superiores ordines recipere recuset, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa.

§ 3. Episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis.

Can. 974. - § 1. Ut quis licite ordinari possit, requiruntur:

1.° Recepta sacra confirmatio;

2.° Mores ordini recipiendo congruentes;

3.° Aetas canonica:

4.° Debita scientia:

5.° Ordinum inferiorum susceptio;

6.° Intersitiorum observatio;

7.° Titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus.

§ 2. Quod pertinet ad consecrationem episcopalem, servetur praescriptum can. 331.

Can. 975. - Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum.

Can. 976. - § 1. Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum.

§ 2. Firmo praescripto can. 975, subdiaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno, diaconatus, nisi incepto quarto anno; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni.

§ 3. Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem can. 1365 determinatam.

Can. 977. - Ordines gradatim conferendi sunt ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur.

Can. 978. - § 1. In ordinationibus serventur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, sese exerceant

§ 2. Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti Episcopi iudicio committuntur; acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolythus

unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat.

§ 3. Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul.

CAN. 979. - § 1. Pro clericis saecularibus titulus canonicus est titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis.

§ 2. Hic titulus debet esse et vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas.

CAN. 980. - § 1. Ordinatus in sacris, si titulum amittat, alium sibi provideat, nisi, iudicio Episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum sit.

§ 2. Qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris sine titulo canonico scienter ordinaverint aut ordinari permiserint, debent ipsi eorumque successores eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuerit.

§ 3. Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret.

CAN. 981. - § 1. Si ne unus quidem ex titulis de quibus in can. 979, § 1, praesto sit, suppleri potest titulo servitii dioecesis, et, in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis, titulo missionis, ita tamen ut ordinandus, iureiurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate.

§ 2. Ordinarius presbytero, quem promoverit titulo servitii ecclesiae vel missionis, debet beneficium vel officium vel subsidium, ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens, conferre.

CAN. 982. - § 1. Pro regularibus titulus canonicus est sollemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, paupertatis.

§ 2. Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis*, *Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum.

§ 3. Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium reguntur.

- Art. I. De requisitis in subiecto sacrae ordinationis
  - cui tantum conferenda sit — Can. 973
  - omnibus — » 974
  - singulis nempe:
    - aetatis diversae — » 975
    - cursus theologici — » 976
    - ascensus successivi — » 977
    - interstitiorum servandorum — » 978
    - tituli canonici
      - pro clericis saecularibus
        - quoad eius conditiones — » 979
        - amissi vel non habiti — » 980
        - supplendi — » 981
      - pro religiosis votorum perpetuorum — » 982

323. **Inscriptio articuli et ordo canonum.** — Post canones generales sequitur *Art. I. De requisitis in subiecto*, veluti de conditionibus aut qualitatibus positivis, quas ius postulat praevie obtinuisse subiectum *sacrae ordinationis*, ut haec « comprehendit ipsam primam tonsuram usque ad consecrationem episcopalem » (can. 950). In hoc articulo can. 973 respicit propositum in subiecto, et in eius respectu certitudinem ab ordinante possidendam, propter Apostoli monitum ad Timotheum [1] « manus cito nemini imposueris ». Post hunc canones sic ordinantur, ut can. 974 summarie illa enumeret requisita, et eorum quatuor pro omnibus ordinibus diversa sub mensura iniungunt can. 975-978, scilicet: aetatem, peracta studia, successivam graduum receptionem, et servauda diversa interstitia. Post illos adduntur canones de titulo canonico pro maioribus recipiendis ordinibus, primo in clericis saecularibus can. 979-981, ita ut in illo exponantur eius tituli conditiones, in 980 expendantur casus tituli amissi, vel ordinationis ob eius defectum illicitae, et in can. 981 quomodo suppleri possit titulus in can. 974 determinatus. Demum titulus canonicus designatur pro religiosis votorum perpetuorum.

324. **Quibusnam solummodo ordines conferendi sunt.** — Conc. Trid. [2] de recta intentione sic loquutum fuit: « Prima tonsura non initientur,... de quibus probabilis coniectura non sit, eos... ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse ». Perfectius hanc intentionem complexus est *can. 973.* § 1. *Prima tonsura et ordines* singuli minores et duo maiores *illis tantum* ex comprehensis personis sub § 1 can.ª 968 cum aliarum exclusione *conferendi sunt, qui* coniunctim a) *propositum habeant,* quod velut internum aliquomodo externe constet, vel praesumatur prudenter, *ascendendi ad presbyteratum* b) *et quos merito coniicere liceat,* scilicet: ex eorum qualitatibus praesumi queat, *aliquando* nempe: temporis progressu et animi cultura *dignos futuros esse presbyteros,* quando hunc ordinem recipient, atque cum huius ordinationis proximitate firmior coniectura sit oportet.

Cum dicto vero proposito dum quis ordinatur, vel propter Ordinantis fallax iudicium evenire potest casus, cui providet § 2. *Ordinatus tamen* per primam quoque tonsuram (can. 950) *qui superiores* iam habito *ordines recipere recuset*, quamvis positive, a) *nec*

[1] I ad Thimoth. V, 22. — [2] Cap. 4 sess. XXIII de Ref.

potest ab Episcopo cum iuridica verbi significatione, cui subiiciatur clericus, *ad eos recipiendos cogi,* unde hoc effugit iurisdictionem eius, idque congruenter can.[1] 971 propter rationes ibidem allatas, b) *nec prohiberi* praedictam solum ob causam *a receptorum* saltem minorum vel etiam maiorum *ordinum exercitio.* — Aliter dicendum ob additas expresse causas: *nisi* a) *impedimento canonico detineatur,* quando nempe a iure « prohibetur receptos ordines exercere » (can. 968, § 2), aut sine iuris vetito, b) *aliave gravis, iudicio Episcopi* ponderanda, in illius exercitii respectum *obsit causa.*

Demum quia sacrum ministerium non ad privatam ordinati utilitatem praecipue, sed in aedificationem Corporis Christi est institutum, quae Praelatis Ecclesiae a Christo est commissa, severissime ipsos admonet Codex Apostolo Paulo concinens ipsumque declarans in § *3. Episcopus,* non Abbas vel Praelatus nullius ob exceptionem can. 215, § 2, ille autem consecratus quamvis titularis, prohibetur enim: *sacros ordines* nempe: « presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum » (can. 949) *nemini,* qualibet exclusa limitatione, eo quod ex rei natura necessario profluit norma, *conferat* etiam cum legitimis dimissoriis, *quin* a) *ex positivis argumentis,* quae Ordinaturo ex commissione sunt ipsae dimissoriae litterae supponentes « habita fuisse antea omnia testimonia », seu positiva argumenta, « quae iure exiguntur » (can. 960, § 1), itaque nisi oppositum ei constet, b) *moraliter certus sit,* nec sufficit quaecumque maior probabilitas, atque obiectum certitudinis est: c) *de eius* ordinandi *canonica idoneitate* pro illo gradu ad quem assumitur per ss. canones determinata; *secus* scilicet: si contra declaratum praescriptum ordinet, *non solum* a) *gravissime peccat* contra Christi sponsam ab idoneis ministris custodiendam, saltem coram Deo, qui « scrutatur renes et corda », conscientiam quoque certam vel dubiam, *sed etiam* b) *periculo sese committit,* cum agatur de futuro contingenter eventu, ac proinde virtualiter participationem voluntate acceptat, *alienis communicandi peccatis*, videlicet: huius non idonei ad sacrum ministerium, qui proinde obligationes graves sibi iure impositas verisimiliter non implebit. Hunc et 1^m^ §§ complexus est eisdemque lucem affert Epistola Secretariae Status supra citata, dum ait: « 3° nihil plus in ordinando... requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita, et per eam vitae probitatem ac doctrinae suffi-

cientiam comprobata, quae spem fundatam faciant fore, ut sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat »...

325. **Summaria requisitorum enumeratio.** — In hoc canone commentando exponemus duo priora requisita de quibus canones alii desunt. *Can. 974.* § 1. *Ut quis* hoc est: « vir baptizatus » (can. 968, § 1) *licite* iuxta articuli inscriptionem ac praesupposito pcaec.[1] can.[e] *ordinari,* exclusa nunc consecratione episcopali « ex contextu verborum » (can. 950), *possit,* (quae actualis ordinatio aliunde forsan erit illicita), iure quandoque divino, semper ecclesiastico *requiruntur* praeviae singulae ac positivae conditiones: — 1° *Recepta sacra confirmatio,* sicut tradit Conc. Trid.[4]: « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint ».

Hoc stante Dec.°, proposita fuerunt S. Congr. Conc. sequentia dubia in Augustana[2]: « 1° Quaeritur an primam tonsuram et quatuor minores ordines male vel per saltum suscepisse dicatur, qui sacramento confirmationis solum post illos susceptos fuit perunctus; 2° an idem, ut supra, ordinatus et provisus de simplicibus beneficiis ante sacramentum confirmationis, legitime dicta beneficia acquisiverit ita ut nulla indigeat nova provisione; 3° an idem possit ad sacros ordines ascendere, nulla petita absolutione vel dispensatione. S. Congr. reposuit. Ad 1[m] esse male promotum; ad 2[m] minus legitime acquisivisse, atque egere nova provisione: ad 3[m] non posse nisi praevia S. Aplcae. dispensatione ». Huius loco dispensationis propter iuris veteris ampliationem ad omnes ordines, confirmandum erit subiectum ante subsequentem sacram ordinationem, ne iterum male promoveatur ob num.[i] huius 1[i] declaratum praescriptum.

Prosequitur canonis enumeratio: 2° *Mores ordini recipiendo congruentes;* sic dicitur, omissis aliis determinationibus iuris veteris, unde videtur id relictum « iudicio proprii Ordinarii » ad normam can. 968, § 1, qui ut normas saltem directivas consulere potest capita Conc. Trid. 11 ad 14 sess. XXIII De ref. et quoad diaconos in Epistola I B. Pauli ad Thimoth. (Cap. III, vv. 8-10) scilicet: « Oportet diaconos esse similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura ». Conc. vero Trid.[3] requirit pro prima tonsura talem vitae rationem « ut probabilis coniectura sit eos hoc vitae genus elegisse, ut Deo fidelem cultum praestent ».

[1] Cap. 4, sess. XXIII. — [2] 27 Sept. 1601. — [3] Cap. 4, sess. XXIII.

Pro minoribus ordinibus Trid. l. c. c. XI requirit ut promovendi « in unoquoque munere iuxta praescriptum Episcopi se exerceant, idque in ea cui adscripti sunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu ad gradum ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat: quod et bonorum morum exemplum et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt ».

Eadem S. Synodus l. c. cap. XII episcopos monet non omnes in aetate canonica constitutos debere ad maiores ordines assumi, « sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit ». Quid autem postremis verbis significetur egitur in Sapientia (IV, 9) *Aetas senectutis vita immaculata*. Et in c. XIII vult Conc. ut « subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus iam probati..., qui sperent. Deo auctore, se continere posse. Ecclesiis quibus adscribuntur inserviant ». Demum, in cap. 14 eiusdem sess. habetur: « Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium... atque ita pietate ac castis moribus sint conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari ».

Additur in canone inter requisita: 3° *Aetas canonica*, cuius diversa determinatio in can. 975 est exploranda; — 4° *Debita scientia*, quae revera sit obtenta per studia rite peracta ad normam can. 976; — 5° *Ordinum inferiorum* alio adhuc recipiendo *susceptio*, de qua iterum tractat can. 977; — 6° *Interstitiorum observatio*, quae in can. 978 diversa praescribuntur; et huc usque recensita singulis suscipiendis ordinibus minoribus ac maioribus communia sunt. — Enumeratur aliud requisitum 7° *Titulus canonicus, si agatur de* singulis *ordinibus maioribus:* « titulus » simpliciter vocatur in Pontificali Romano, enuntiandus quidem in singulari pro unoquoque in subdiaconum ordinando, atque additio « canonicus » innuit eum esse ss. canonum praescripto conformandum, ac definiri potest ex c. 4 de Praebendis et Dignitatibus (5 III) « illud certum, de quo necessaria vitae percipiat, ex ss. canonum praescripto possidendum, ab eo qui est ordinandus in sacris ». Definiri potest etiam: « Cautio legitima de perpetua et honesta sustentatione pro ss. ordinum susceptione iu iure can. praescripta ». Eiusdem ratio enunciatur initio cap. 2 sess. XXI de ref.: « Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere ».

Illa cautio multiplex esse cum possit, distinguebantur in praec. iure tituli per ss. canones admissi, alii priv°. aplco. concessi et quidam denique tolerati. Ex titulis vero alii erant proprii quamvis non exclusive clericorum saecularium,

alii (non exclusive) religiosorum, et unus proprius omnino regularium. Demum inter titulos iure admissos erant tituli ordinarii, qui absolute admittebantur, ac tituli extraordinarii seu subsidiarii, quia in priorum tantum defectu seu conditionate fuerunt admissi.

In eadem praec[i]. disciplina quatuor fuerunt sacrae ordinationis tituli canonico iure admissi, quorum tres clero saeculari proprii, unus vero regularium fuit, scilicet: paupertatis. Illi autem sunt titulus ordinarius beneficii, ac tituli extraordinarii patrimonii atque pensionis ecclesiasticae. Mutationes patebunt in can. 979-982.

Talis est tenor §[i] *2. Quod pertinet ad consecrationem episcopalem*, circa ea quae in promovendo « requiruntur », *servetur praescriptum can. 331,* in cuius « §° 1. Ut quis idoneus habeatur, quid debet esse » sub quinque numeris dicitur, in quibus hic enuntiata requisita, sed potiora recensentur. Hinc sequentes canones sicut praesentis §[us] 1 de aliis solum ordinibus interpretandi veniunt, quod ex verbis ipsis ostendetur.

326. **Aetas canonica pro diversis ordinibus suscipiendis.** — Ex Pontificali Romano: « Prima tonsura et minores ordines ante 7 annum completum dari non debent », seu ut aiebat Bonif. VIII cap. 4 de temporibus ordinationum (I, 9) in 6° « nullus Episcopus vel quivis alius infanti (iuxta Glossam: minori 7 annorum) clericalem praesumat conferre tonsuram ». Illa « liturgica lex vim suam retinet, cum in Codice expresse (non) corrigatur », sed maior aetas indirecte ob can[m]. seq[m]. erit necessaria. — Cum Conc. Trid. [1] congruit sensu verbis differens aptioribus ad interpretationem. *can. 975. Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum*, quando « persona maior est » (can. 88. § 1), in hoc sibi constans Codex eamdem statuens aetatem pro emittendis « votis publicis » perpetuae castitatis (can. 1308, § 1) tum in ordinatione, tum in professione religiosa « perpetua, sive sollemni, sive simplici » (can. 573): *diaconatus* supple: « ne conferatur » *ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vigesimum quartum completum,* in singulis casibus supputandum sicut prius a die nativitatis, iuxta annum solarem seu « prout in calendario », et ad normam can. 34, § 3, n. 3°, cum anni diebus constent ad normam can. 32, § 2 exiganturque completi. Et quia canon de ordinatione in se ipsa loquitur, Tridentinam implicite con-

[1] Cap. 12, sess XXIII de Ref.

tinet legem (loc. cit.) « Regulares quoque nec in minore aetate... ordinentur, privilegiis quibuscumque (ante Concilium), quoad hoc, penitus exclusis.

Huc etiam se refert cap. 4 de temporibus ordinationum (I. 11) in quo Honorius III sic loquitur: « Vel non est compos sui Episcopus Couventrensis, vel nimis videtur a se scientiam repulisse, qui M. puerum... adhuc tredecim annorum contra ss. canonum instituta, inordinate in diaconum dicitur ordinasse, in ludibrium ordinis clericalis:... quem ab exequutione officii diaconi usque ad aetatem legitimam in iniuriam suspendimus ordinantis ». Quae suspensio-prohibitio nunc ob Codicis omissionem « vim omnem amisisse dicenda est » (can. 6, 6°) [1].

327. **Debita pro singulis ordinibus studia.** — Quoad scientiam ordinandorum disciplina per Conc. Trid. stabilita, neque posteriore generali lege mutata sequens fuit [2]: « Ad minores ordines promovendi, bonum a parocho et a magistro scholae in qua educantur, testimonium habeant (c. 5)... qui saltem latinam linguam intelligant... (c. 11). Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat ». — « Subdiaconi et diaconi ordinentur... litteris et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi » (c. 13). — « Qui... ad presbyteratus ordinem assumuntur,... etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur ». (c. 14) « eo quod, ut ait D. Thomas [3], scientia legis est adeo adnexa officio sacerdotis, ut simul cum iniunctione officii intelligatur etiam et scientiae legis iniunctio; et ideo non oportuit specialia praecepta (in lege veteri) dari de instructione sacerdotum ». Ut

[1] Vicarii et Praefecti Apostolici solummodo ex quatuor formulis (excepta nempe prima) obtinent a S. Congr. de Propaganda Fide facultatem: « Dispensandi gravi tamen de causa (v. gr. necessitatis presbyterorum in Missionibus), cum utriusque cleri (saecularis ac religiosi etiam exemptis) *diaconis* (tantummodo) super defectu aetatis (canonicae, scilicet: ante vicesimum quartum completum ») decem et octo mensium (in Formulis tertiis), unius anni (in Formulis secundis, ac illorum huiusque computandorum ut in calendario, ut, eo non obstante (defectu), ad s. Presbyteratus ordinem promoveri ab eodem dispensante vel ab alio legitimo ministro ordinis licite) possint, dummodo *a*) idonei sint (ad normam can. 968, § 1 quoad cetera), *b*) et (specialiter) dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite, (nempe: ad normam § 3) secundum Codicis praescriptiones Can. 976 (statim declarandi), absolverint ».

[2] Capp. 5, 11, 13, 14, sess. XXIII de Ref. — [3] II-II q. XVI, a. 2, ad 3m.

patet, instructio pro singulis ordinibus praescripta in Conc. Trid. infimum attingebat necessitatis gradum, ast Episcopi suo iure utentes maiorem hac scientiam exigere poterant ab ordinandis, sicut tempora et loca expostularent.

Pro Italia vigebat specialis disciplina ex « Normis... » S. Congr.s. EE. et RR., quas Pius X s. m. servari et exequutioni demandari iussit Kalendis Ian. 1908. — « Art. 12. La tonsura non si conferirà se non agli alunni che frequentano il corso di Propedeutica, e gli Ordini minori se non a quelli che già sono nei due primi anni di Teologia. — Art. 13. Nessuno, che pure abbia l'età prescritta dal S. Concilio di Trento, sarà ordinato suddiacono prima di aver compiuto il terzo anno di Teologia; diacono, prima della Pasqua del 4° anno; Sacerdote prima della fine del quarto anno medesimo ». Et hae normae, aliquantulum moderatae, in Codicem translatae sunt, simul eas extendendo ad universam latinam Ecclesiam omnesque huius ordinandos religiosos. - Quoad hos enim sic scriptum est in art. 6° Dec[1]. « Auctis admodum » S. Congr. EE. et RR. [1]: « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad ss. ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».

Huius Art[1]. Declarationes prodierunt a S. Cong. de Religiosis [2], quae « respiciunt Domus religiosas studiorum... ubique terrarum constitutas » [3], et « eisdem Declarationibus sese conformare debuerunt... etiam illae Congregationes quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, ut apud Eudistas » [4].

Exponamus inductam a Codice disciplinam. *Can. 976.* § 1. *Nemo* absque ulla personarum exceptione, *sive saecularis* pro quorum clero magis determinatur disciplina, *sive religiosus* erga quorum clerum vigens prius fuit convenienti mutatione mitigata, « nemo » *ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum* scilicet: de facto in Universitate, Seminario, etc. per scholarum initium frequentatarum a promovendo *cursum theologicum*, qui praesupponit promovendum « in philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis per integrum saltem biennium incubuisse » (can. 1365, § 1), cursusque inceptus theologicus denominatur ob theologiam saltem generalem seu fundamentalem, cui alumni in scholis vacant.

Remanet vigens pro illis omnibus ex cit[s]. normis iussum « Ordines minores nonnisi eis esse conferendos qui student in duobus primis annis cursus S. Theologiae », hoc enim eruitur velut impli-

[1] 4 Nov. 1882. — [2] 7 Sept. 1909, CO. I, 701. — [3] S. C. de Relig[s]. 31 Maii 1910 ad 1, CO. II, 449. — [4] Loc. cit. ad 2.

citum ex praec. §°, dum statuit sequens § 2. *Firmo praescripto can. 975* de aetate canonica, a) *subdiaconatus ne conferatur*, (prohibitio haec sicut et ceterae huius canonis ordinantem obligant) *nisi exeunte* videlicet: appropinquante ad finem, v. gr. Paschatis tempore aut Pentecostes, etiam non completo per examina *tertio cursus theologici anno;* similiter nec b) *diaconatus, nisi incepto*, ut declaratum hoc fuit in §° 1°, *quarto anno*: item nec *presbyteratus, nisi post medietatem* temporis, quo cursus *eiusdem quarti anni* perdurat ab eius initio usque ad scholarum finem si eas sequantur examina, usque ad horum finem si cum illis haec erunt paulatim subeunda.

Naturam huius legitimi cursus praescribit aiens § 3. *Cursus theologicus* de quo hic loquitur canon, *peractus esse debet non privatim*, etiamsi sub professoris competentis ductu ac explicationibus, *sed in scholis* (quamvis unus vel alter scholaris adsit) *ad id* nempe: ad theologicas saltem docendas pluribus scholaribus disciplinas *institutis*, non praecise ab auctoritate Ecclesiae publica conditis, sed in quibus ille peragatur *secundum studiorum rationem can. 1365 determinatum.* Videlicet: « § 2. Cursus ille theologicus saltem integro quadriennio contineatur, (non abbreviato tempore propter qualemcumque rationem), et, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium Sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici. — § 3. Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis ».

Dum igitur in praefatis scholis fiant studia, etsi in Athaeneo una alterave disciplina deficiat, quod vitandum est a Moderatoribus ipsius, cursus theologicus debito tempore peractus permitteret Ordinaturo licitam ordinationem; ac manent penes Moderatores Seminariorum, Universitatum, etc. facultates dispensandi, quae ipsis per Statuta conceduntur, dummodo cum causa et discretione illis utantur. — Ceteroquin Episcopi ordinaturi deferre in conscientia possunt testimonialibus illorum Moderatorum litteris circa studia necessaria, et habere ipsa velut ad normam canonum sufficientia, nisi de opposito fundatam prudenter habeant gravem probabilitatem. — Circa Declarationes S. Congr. de Religiosis [1] citatas hoc teneatur. Quatenus asserunt: « quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est et penitus illicita », quolibet ex motivo atque dummodo gravis eveniat, et si quae sit alia expresso canonis praescripto congruens dictio viget; aliae

[1] 7 Sept. 1909, CO. I, 701.

autem determinationes in canone omissae « vim omnem amississe dicendae sunt », quia canon multiplici modo quoad illas mutavit huiusmodi de religiosis disciplinam, idipsum innuens verbis « sive saecularis, sive religiosus » quae illas determinationes pro saecularibus clericis respuunt.

328. **Successiva graduum ordinis susceptio.** — « Ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 977. Ordines*, tum minores tum maiores, prout « intelliguntur » ex can. 949, gradatim scilicet: ordine successivo sicut in cit. can. recensentur, sed incipiendo ab ostiariatu *conferendi sunt*, ministrum quod attinet, sed explicite idipsum ordinando iubetur ob clausulam: *ita ut ordinationes* in seipsis *per saltum* id est: etiam sola ordinatione inferiore praetermissa, *omnino prohibeantur* vi canonis huius.

De clerico per saltum promoto [1] adest in Decretalibus unicum caput sequens. Innoc. III: « Tuae litterae continebant, quod (sicut ex relatione quorumdam receperas) P. presbyter Diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri... Mandamus quatenus condignam poenitentiam, pro huiusmodi negligentia iniungas eidem (sunt ergo illicitae promotiones ad ordines, praetermisso inferiore gradu): qua peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinari procures: et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine Sacerdotis ». Hinc sequitur ipsum promotum per saltum non posse uti licite ordine sic suscepto. Quod nunc manet verum, sed propter incursam suspensionem ab eo « qui malitiose accesserit » (can. 2374), et cum talis suspensio reservata non sit, utilitate vacat clausula Conc. Trid. aientis: [2] « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare ».

329. **Ordinationum interstitia.** — Conc. Trid. plura de his statuit [3], cuius praescripta non parvam mutationem ex Codice subierunt. *Can. 978.* § 1. *In ordinationibus* quoad seipsas, proinde ab ordinantibus et ordinatis *serventur*, quod verbum supponit statutum canonicum infra insertum circa *temporum interstitia*, id est: temporis lapsus, quibus perdurantibus ordinatus perstat inter duas successivas ordinationes, nempe: « ut eo accuratius, quantum sit huius disciplinae pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, iuxta praescriptum Episcopi, se exerceant », quae clausula in canone fuit retenta; sequenti vero omissa propter abrogationem adscriptionis determinatae ecclesiae: « idque in ea, cui adscripti erunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint »; ac aliae utilitates interstitiorum ibi sequuntur: « atque ita de gradu in gradum ascen-

[1] Tit. XXIX, Lib. V, X. — [2] Sess. XXIII, cap. 14 in fine. — [3] Capp. 11, 13, 14 sess. XXIII de Ref.

dant, ut in iis cum aetate vitae meritum, et doctrina maior accrescat ». — Canon vero, relictis, prout de more, iuris rationibus, ex Conc. Trid. mutuavit: *quibus* perdurantibus interstitiis *promoti in receptis* usque tunc, sed praesertim ultimo, *ordinibus*, *secundum Episcopi praescriptum* quoad frequentiam, modum et locum sacrum in quo *sese exerceant*, verbumque continent iussum ab Episcopo solo moderandum quoad eius utriuslibet cleri subditos, religiosos etiam non exemptos.

§ 2. *Interstitia* quoad eorum durationem a) *primam tonsuram inter et ostiariatum*, qui est infimus ordo minor, b) *vel inter singulos ordines minores* usque ad acolythatum, qui est eorum supremus, *prudenti episcopi iudicio*, quod supponit rationem seu causam, non pro eius libito, *committuntur*, verbis Concilii Trid[1]. parum sed caute mutatis; a) *acolythus vero ad subdiaconatum*, qui est ordo illi subsequens maior, b) *subdiaconus ad diaconatum*, c) *diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur*, etsi parum temporis deficiat, *quam* a) *acolythus unum saltem annum*, ut ex Con. Trid. in cap. 11 cit., et computandum « prout in calendario » non quoad idem tempus ordinationum liturgicum, imo « primus dies (seu ordinationis) ne computetur et tempus finitur expleto ultimo die eiusdem muneri » mensis quam in anno praec[t]. (can. 32, § 3, 1°, 3°). E contra Conc[t]. Trid[t]. lex alteri supra cit[ae]. ex cap. 11 valde similis facta est mitior in hoc canone adiungente: b) *subdiaconus et* c) *diaconus tres saltem menses*, eodem modo ac supradictus annus computandos, *in suo quisque* eorum *ordine*, videlicet: subdiaconatus, diaconatusve *fuerint versati*, et clausula subinfertur in canone « cum veteri iure (Conc. Trid. cap. 11) congruens » : *nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat.*

Eadem igitur interpretatio est tribuenda iuxta can. 6, 2° et 3°, et quamvis verba viderentur proprie requirere Episcopi iudicium, perpendens necessitatis aut utilitatis sufficientiam in respectu ad canonis inobservantiam, « ex iure antiquo » interpretata sunt « apud probatos auctores » de vera dispensatione propter hanc taxative causam concedenda, nec Episcopi prudentiae remissa prout a Conc. Trid. factum fuerat quoad interstitia inter subdiaconatum et diaconatum.

[1] Cap. 13, 14.

Exempla necessitatis utilitatisque afferuntur a Bened. XIV (Instit. eccles. LVIII). Quia ergo hae causae solum Episcopo loci domicilii ordinandi possunt esse notae, optime dicitur ad eumdem pertinere interstitia dispensare, atque insuper quia necessariam iurisdictionem erga ordinandum habet. Idipsum adiudicandum iisdem de causis Episcopo loci ubi existit beneficium residentiale, quod ordinandus obtinet. Imo quid de regularibus sentiendum sit constat ex declaratione S. C. C. evulgata sub die 12 Sept. 1609: « Sacra etc. saepius declaravit remissionem interstitiorum ex causis a Conc. expressis pertinere ad Episcopum ordinantem, quoad regulares ab eo ordines suscipientes, non autem ad Regulares Superiores, ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris Regularis ».

Denique recolere oportet Dec. S. Congr^{s}. de Sacramentis [1]: « utrum Episcopus, gaudens indulto conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis, eo uti possit erga alienos subditos, suorum Ordinariorum dimissorias habentes ». Emmi. Patres... respondendum censuerunt: « Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo ». Quamvis haec decisio utilis amplius non sit, sublatis forsitan in hac re indultis S. Congr^{s}. de Sacramentis, illa potest aptari Formulis S. Congr^{s}. de Prop. Fide.

Ab hac interstitiorum « generali Ecclesiae lege dispensandi potestas Episcopis explicite concessa » (can. 81) in praec. §° sequentibus coarctatur finibus in § *3* propterea dicente: *Numquam tamen*, quin dispensationis possibilitas iuridica denegetur, eo quod addit: *nisi de peculiari* quoad casum et ad hoc *licentia Romani Pontificis*, quae proinde videtur posita ultra ordinarias S. Congregationis de Sacramentis facultates, a) *minores ordines cum subdiaconatu*, etiam eveniente forsan praetextu necessitatis vel utilitatis Ecclesiae, ac nova quidem est haec expressa limitatio, b) *duove sacri ordines uno eodemque die*, qui « constat 24 horis continuo supputandis a media nocte », non secus ac in iure Decretalium circa id ipsum [2], unde Conc Trid. edixit [3]: « Duo sacri ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur; privilegiis, ac indultis quibusvis concessis (ante Conc. praefatum), non obstantibus quibuscumque », imo ex can^{n}. §° quem commentamur: *reprobata quavis contraria consuetudine*, « quae, sive universalis, sive particularis, tamquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5), nunquam igitur quemadmodum sub litteris a) et b) fuerunt declarati ordines *conferantur*, unde implicita est prohibitio ne recipiantur. — Haec clausula consuetudinem reprobans non extenditur ad sequentem §^{i} partem

[1] 15 Aug. 1909, CO. I, 656. — [2] Cap. 13 de temporibus ordinationum... tit. 11 Lib. I. — [3] Cap. 13, sess. cit.

potestatis Episcoporum restrictivam non secus ac fuit prima, nempe: *imo nec primam tonsuram conferre* Episcopo, Praelato vel Abbati *nullius, licet* a) *una cum aliquo ex ordinibus minoribus*, scilicet: vel ostiariatu, vel altero forsitan per saltum, aut cum intermediis, *neque* b) *omnes quatuor ordines minores una simul* successiva ordinatione, nec prohibitio respicit eamdem diem. Ergo pro tonsurae primae ac ordinum minorum collatione, tres saltem ordinationes erga idem subiectum diverso tempore perficiendae sunt [1]

330. **Titulus canonicus pro clericis saecularibus.** — Cum « Codex vigentem huc usque disciplinam » de titulis pro ordinatione in sacris fere totaliter « retineat, licet opportunas » parvi momenti « immutationes afferat » (can. 6), valde opportunum iudicamus sequentium canonum interpretationi relativum singulis praecedens ius praemittere cum explicationibus et animadversionibus, quae faciliorem reddant eorumdem canonum intelligentiam, eo quod ipsi multa ferant implicita prius authentice declarata. Hoc ius pro clericis saecularibus fuit ultimo conditum in Conc. Trid. [2].

Quae supra ad can. 974 dicta sunt de beneficio ecclesiastico, quod nempe clericorum sit ordinarius titulus, quo indigent solum ad sacros ordines suscipiendos, constat ex Conc. Trid. (loc. cit.), ubi etiam recensentur conditiones in eo beneficio inveniendae, ut hoc evadat ordinationis sacrae titulus... « Statuit S. Synodus, ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius I° optime constet, eum II° beneficium ecclesiasticum, III° quod sibi ad victum honeste sufficiat, IV° pacifice possidere ». Primo ergo seu melius generaliter opus erat, quod « constet », idest: certo noscatur, et quidem « legitime », ac si dicatur probationibus, quae sint legibus sufficientes ad faciendam fidem omnium conditionum beneficii quae in praefato Dec°. subsequuntur. Debet esse verum beneficium ecclesiasticum, iuxta ea quae explicabimus in Tit. de beneficiis ecclesiasticis, tantummodo hic animadvertentes vocabulum beneficii ecclesiastici sumendum favorabiliter. Insuper « sibi ad victum honeste sufficiat », hinc tales redditus praebeat, ut honestam sustentationem iuxta circumstantias temporis, loci, ordinis, ac dignitatis etc. ordinatus obtineat. Haec sufficientia vero determinabatur in singulis dioecesibus, vel per taxam synodalem, aut regionis mo-

[1] Hanc respicit paragraphum potestas Vicariis ac Praefectis Aplcis. concessa in Formulis quatuor (Formula igitur prima excepta): « Conferendi (per se, nam ista potestas ea lege conceditur, ut non subdelegari possit), rationabili de causa (etsi haec gravis non sit), *Ordines Minores* omnes simul, (quod est unum ex vetitis sub §° 3), etiam cum prima tonsura » una successiva ordinatione, dispensato altero vetito sub eodem §°.

[2] Cap. 2, sess. XXI de Ref.

rem. Si agatur de beneficio residentiali absdubio beneficii locus regit hanc sufficientiam, ut constat ex declar. S. Congr. Conc. in Romana. Demum non sufficit ius possidere ad beneficium v. gr. ex patroni praesentatione, nec ius in beneficio consequutum esse propter institutionem aut collationem, sed opus est ut praefato iuri accedat immissio in beneficii possessionem, et hanc esse talem ut nemo iure contradicat.

Prosequitur autem S. Synodus: « Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, (idest: certo sit notum, quamvis non dicatur hic legitime) quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Et hanc Conc. Trid. dispositionem « ex integro retert » can. 185. Verbis praedictis provisum est perpetuitati quoad hunc ordinationis titulum, et inde recte deducunt Doctores iuxta mentem Patrum, beneficium amovibile aut temporaneum non deservire ad constituendum titulum, nisi legitime provideatur eiusdem perpetuae possessioni in ordinando v. gr. per legitimam obligationem non amovendi eum a beneficio, priusquam sit aliter provisus.

Patrimonium sunt « bona propria clerici, unde ordinatus congrue subsidium vitae habere possit » [1]. Haec bona debent esse immobilia vel eis aequiparata et quidem frugifera, atque existit Declaratio S. C. C. [2]: « Communitas S. Angeli, Sipontinae dioecesis exponit, per Ordinarium admitti ad ss. Ordines clericos, assignato patrimonio in bonis mobilibus, et se moventibus; et cum hoc tendat in grave damnum eiusdem Communitatis, dum fraudantur impositiones, et alia onera Communitatis, quibus animalia sunt obnoxia, et credat esse contra canonicas dispositiones, ad tollendas controversias, supplex instat declarari, an possit Patrimonium assignari super rebus mobilibus, et dictis animalibus. Sacra, etc. respondit, negative ». — Pensio est « census quidam aut impositus rite beneficii fructibus vel aliis bonis ecclesiasticis, aut praestandus per ecclesiasticam laicamve personam seu communitatem, in clerici sustentationem certo tribuendus post eius ordinationem in sacris ».

De utroque loquitur Conc. Trid. (loc. cit.) quando ait: « Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum, (et sic sunt tituli subsidiarii, iuxta dicta); eo quoque prius perspecto, (idest: certe cognito), patrimonium illud vel pensionem I° vere ab eis obtineri, (unde non sufficit promissio vel spes quamvis certae, ac multo minus quaecumque fictio), ac II° taliaque esse, quae eis ad vitam satis sint (de qua sufficientia valent dicta de beneficii titulo): atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui,

[1] Capp. 4 et 23 de Praebendis... tit. 6, Lib. I. — [2] 29 Nov. 1670.

vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint » : proinde videtur quod talis alienatio vel remissio contra legem hanc facta esset irrita. Sed de hac extinctione in subsequentibus canonibus nihil directe statuitur. Voluit S. Synodus perpetuitati patrimonii vel pensionis providere, unde Doctores inferunt quod si stabilitas huius tituli ab ecclesiastica potestate non pendeat, illa legitime caveatur. Istud Conc.[i] Trid.[i] caput explicit clausula: « antiquorum canonum poenas super his innovando », de quibus in seq. can. 980.

Haec sufficiunt ad satisfactoriam explicationem *can. 979. Pro clericis* nempe: iam acolythis *saecularibus* etiam in communi viventibus sine votis, nam « in iis, quae ad suscipiendos ordines pertinent, sodales iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici, salvis peculiaribus praescriptionibus a Sancta Sede datis » (can. 678), *titulus,* cuius verbi historica origo et sensus in Decretalibus fuit « inscriptio seu intitulatio clerici ecclesiae, quae titulus dicebatur, tacienda, ubi deserviens sacro ministerio necessariam et honestam ex illius bonis perciperet portionem », iuxta illud quod ait Innocentius III[1]; « secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari; et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede »... Nunc « titulus » post Decretalium ius retento nomine mutatus fuit quoad verbi eiusdem sensum, sed a iure propter quod additur recte: *canonicus est* a) *titulus*, quoad significationem sequentem praecedenti Codicem iuri aequipollens, *beneficii* ad normam can. 1409, exclusis etiam cum derogatione praec.[s] iuris his, quae « licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt » (can. 1412), titulusque ille manet a Codice admissus et ordinarius, ac similiter sequentes admittuntur quoque ut subsidiarii, idest: *eoque deficiente* beneficii titulo, « est canonicus » ut ante Codicem titulus (aequipollenti iuridica significatione paulatim introducta) b) *patrimonii* c) *aut pensionis*, quae antea definita sunt.

Conditiones horum titulorum utpote communes eis, simul recenset § 2. *Hic titulus,* tam « beneficii » quam « patrimonii aut pensionis », *debet esse* a) *et vere*, non ficte aut falso suppositus, eo quod est requisitus « si agatur de ordinibus maioribus » (can. 974, § 1), atque alias non esset ut praescribit quoque canon « vere » *securus* ex natura ipsius, vel legitime cauta securitate, *pro tota*

[1] Cap. 16 De Praebendis et Dignitatibus, Tit. 5, Lib. III.

ordinati in sacris vita, proindeque ab ordinationis die in perpetuum more humano, b) *et vere sufficiens,* ergo quoad redditus ex titulo de facto percipiendos *ad congruam eiusdem* « ordinati » *sustentationem* in victu, vestitu, habitatione, aliisque, *secundum normas,* non iam consuetudine introductas, sed quae tamen prudenter condantur *ab Ordinariis* generaliter, proinde non respectis diversorum clericorum qualitatibus, sed *pro diversis* a) *locorum* b) *et temporum* c) *necessitatibus,* quia hae ab illis pendent, d) *et adiunctis dandas* quandocumque Episcopi opportunum videatur, sive nunc post Codicis promulgationem saltem tacite approbando illas, quae in dioecesibus singulis existant, tum illas nunc vel in futurum mutando in alias...

Huc pertinet praescriptumque canonis declarat quod refert Bened. XIV [1] n. VI: « An a beneficio, seu Cappellania, ad cuius titulum quis intendit ad SS. Ordines promoveri, detrahenda sint onera Missarum eidem adiecta, quando Beneficiatus non tenetur eas per seipsum celebrare, vel potius, oneribus missarum non detractis, sive illae celebrandae sint per seipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a Synodali constitutione, vel regionis more requisita pro Sacris ordinibus suscipiendis. 17 Iul. 1723 a S. C. C. ita responsum fuit: esse relinquendum arbitrio et conscientiae Ordinariorum ». Atque in n. X. « Primo, an Clericus alioqui idoneus habens Beneficium insufficiens de per se, sed qui, iuncto Patrimonio, habeat, quod sufficiat ad honestam vitae sustentationem, possit promoveri; Sacra C. C. mense Octobri 1589 respondit ad primum, posse iuxta formam Concilii Tridentini ». Quae concordat cum §⁰ nunc interpretato.

331. **Existentia tituli stabilis iure praescripta.** — Attenta rerum humanarum instabilitate, providet sustentationis ordinati in sacris perpetuitati praesertim quoad titulos subsidiarios *can. 980.* § 1. *Ordinatus in sacris*, de quo unice loquuntur hi canones, *si titulum* in ordinatione aut eiusdem canonica substitutione habitum *amittat* quomodolibet, sine culpa vel cum ea, *alium* ex tribus praedictis vel ex can. 981 suppletorium *sibi provideat* ob iussum eidem hic datum, cum hac tantum exceptione: *nisi iudicio Episcopi* cum iuridica significatione et cui subiiciatur, *eius* ordinati de quo in §⁰ *congruae sustentationi aliter* quam per titulum *cautum sit.* Hoc statu rerum perdurante suspenditur §¹ praescriptum. Ad quod elucidandum iuvant seq. Declarationes [2]. S. C. C.

[1] Instit. eccles. XXVI. — [2] Bened. XIV. Instit. eccles. XXVI, n. VIII.

mense Octobri 1589 interrogata fuit: « Si quis tantum habeat, quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta quod sit musicus, Magister grammaticae, Pictor, Scriptor, aut alterius licitae professionis, idque sit sufficiens ad sustentationem vitae; poteritne promoveri? Decretum fuit: Non posse ». Item « S. C. Conc. [1] respondit gradum Doctoratus tam in Theologia quam in Iure canonico non esse titulum, ad quem aliquis ad sacros Ordines promoveri queat, sed requiri omnino, vel Beneficium, vel Patrimonium ad vitam promovendi honeste sustentandam sufficiens ».

Iuxta cap. 4 « de praebendis et dignitatibus » III, 5, in Decret.[s]: « Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat in *sacris* ordinaverit: tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiae clericalis assignet: Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna haereditate subsidium vitae possit habere ». Clausula: *Nisi taliter ordinatus de sua*, etc. fuit concessio ex qua sequutus est titulus patrimonii nunc iam admissi sicut dictum est.

De hac poenali obligatione loquitur Inn. III in c. 16 eiusdem tit. dicens: « Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari: et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede. ...dignum est ut Ecclesiae stipendiis sustententur, in qua et per quam divinis obsequiis adscribuntur. Licet autem praedecessores nostri, ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes: Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur ». Vel etiam sufficeret quod legitimo titulo provideantur. Secundum Innocentium ergo huiusmodi onus gravat Episcopale officium ordinantis aliquem sine titulo.

Caput vero 37 huius tit. in 6° tres hypotheses considerat sic ordinantis vice alterius Episcopi, ad determinandum quisnam Episcopus maneat ob hanc rationem obligatus. « Si Episcopus, cui nullis personis expressis in genere commisisti, ut vice tua ordines in tua dioecesi celebraret, ad sacros ordines promoverit quempiam titulum non habentem: ei (cum in culpa fuerit taliter ordinando eundem) tenebitur vitae necessaria ministrare, donec sibi per eum, vel alium de competenti beneficio (vel titulo) sit provisum. — Si vero certas commisisti ei ordinare personas, ut (qui praevidere hoc casu, an haberent titulum, debuisti) taliter ordinato ad praedicta, donec per te beneficiatus fuerit (vel titulo provisus), obligatus existis. — Eis autem, quibus a dioecesanis datur licentia, ut possint, a quo voluerint Episcopo ad omnes sacros ordines promoveri: non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam (cum eam dare non debeant titulum non habenti) ad praemissa, si titulum non habeant, obligantur ». Unde solum in prima suppositione ordinans ex delegatione clericum sine titulo, incurrebat obligationem sustentationis eiusdem.

[1] 23 Maii 1609.

Cum ergo secunda vel tertia hypothesis semper ob Codicis disciplinam verificetur, primam non considerans statuit § 2. *Qui*, minister ordinarius vel extraordinarius, a) *citra apostolicum indultum*, quod supponitur obtineri posse ad unum vel plures casus, ac potest obtentum ante Codicem in usum deduci ad normam can. 4; b) *suum subditum* scilicet: cuius est « Episcopus proprius » ad normam can. 956, 957, vel « pro quo litteras dimissorias dare potest » iuxta explicatum can. 958, c) *in sacris*, pro his enim singulis ordinationibus ille indiget deficiente seu: d) *sine titulo canonico*, idest: ad normam can. 979, 981 uno ex quinque, e) *scienter*, atque cum agatur de crimine ob can. 2373, n. 3°, verbum illud « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2) de canonici tituli deficientia. Si ergo, ut declaratum est hucusque, praedicti locorum Praelati disiunctive a) *ordinaverint*, proinde sacrae ordinationis ministri ordinarii, b) *aut ordinari permiserint* videlicet: dantes litteras dimissorias, ob praefatam culpam incurrunt obligationem, ita tamen ob eius fundamentum expressum ab Innoc. III (cit. cap. 16) quod *debent ipsi* contra hunc can. agentes *eorumque successores* in officio propter quod habuerunt proprium illum subditum, a) *eidem egenti* quandocumque, secus suspensa obligatione, b) *alimenta solummodo necessaria* qualitercumque *praebere*, obligatioque non extinguitur, c) *donec congruae eiusdem sustentationi* ad can. 979 explicatae *aliter*, quamvis sine canonico titulo, *provisum fuerit* stabili modo, nam instabili provisione solum suspenditur, undecumque illa provisio derivata sit.

Ne vero canonica haec dispositio §^{i} 1^{i} humana eluderetur arte, Pius IX in const. « Aplcae. Sedis » edixit suspensionem nunc retentam cum immutatione per Codicem sub alia generaliori can.^{a} 2373, 3°, sed expressa in illa const. prohibitio iisdem verbis relata est in § *3. Si* a) *Episcopus* ex consecratione quilibet, non iam proprius ut in §° 2°, nam subditur b) *aliquem* etsi non subditum c) *ordinaverit* in sacris ut « ex contextu verborum eruitur » (can. 950), d) *sine titulo canonico* scilicet: ad normam solius can. 979, sed copulative *cum pacto* cuius obiectum sit: *ut ordinatus non petat ab ipso alimenta*, ad quae forsitan ius haberet ad normam can. 980, § 2, can. 981, § 2, *hoc pactum omni vi caret*. Et recte sic edicitur, quia iuxta reg. Iuris 69 in 6° « In malis promissis (sicut est hoc pactum contra leges latas in bonum commune decentiae status

clericorum maiorum) fidem non expedit observari ». Imo etiamsi additum fuisset iuramentum, propter aliam reg. Iuris 58 in 6° « Non est obligatorium, contra bonos mores praestitum iuramentum ». Et cum pactum irritum dicatur a quocumque Episcopo aliquis ordinetur, etsi non subditus illi (casus in 2° §° non comprehensus) etiam hic Episcopus ordinans in aliorum defectu personaliter obligatur implicite in hoc §° ad praestanda eidem male sic ordinato alimenta, quandocumque his hac de causa ille indigeat.

332. **Doctrina iuris praecedentis de aliis titulis** privilegio Aplco. concessis aut toleratis cognoscitur ex his documentis: I° Instructione S. Congr. de Prop. Fide, de titulo Ordinationis [1], II° resolutionibus S. Congr. Consistorialis [2] et III° S. C. C. Decreto circa titulum « servitii Ecclesiae » pro regionibus Americae Latinae [3]. Titulis ordinationis iam explicatis « aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adiiciendae sunt, tituli nempe... servitii Ecclesiae, Missionis, (mensae), sufficientiae, Collegii » (et administrationis). (Ex Instr. n. 3).

(Ib. n. 6). « Titulus missionis, de quo potissimum sermo est, praetermissis titulis (mensae) sufficientiae et Collegii, *quos utpote raro occurrentes* vel tolerati *tantum commemorasse sat erit*) adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis, qui maioribus ordinibus initiari cupiunt, ut Aplcarum. missionum servitio sese devoveant... Qui vero huiusmodi titulo ordinati sunt, ii ex Aplco. ministerio in missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur (n. 7). Sed exploratum est, Ordinarios clericis titulo Missionis non posse ss. Ordinationum numera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint ». Hic titulus ordinationis ab Urbano VIII Const. « Ad uberes » [4] fuit extensus ad omnia Collegia S. C. de Prop. Fide subiecta.

(Ib. n. 8). « Non secus ac alumni Collegiorum Pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter sacros Ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant missionis cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos ». Huc pertinet resolutio (S. Congr. Cons.) sequens: « XIII. Quid statuendum sit circa iuramentum ab alumnis eorumdem collegiorum in ingressu in collegium praestandum... Ad XIII. Conservandum esse iuramentum ab Urbano VIII praescriptum, cum clausula adiecta ab Alexandro VII, in iis collegiis et pro iis alumnis, qui hucusque illud praestare tenebantur, reformatum tamen iuxta adnexam formulam ». Sed prius invenitur dictum: « quod clerici ordinandi titulo missionis generatim adiguntur ad certam iurisiurandi formam praeviae praestandam, quae ex Dec.° S. Congr. de Prop. diei 27 Ap. 1871, ita est »: (ut ibidem). Plura de hoc titulo continentur in praelaudata Instructione.

(Inst. n. 5). « Titulus servitii Ecclesiae, qui ...evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur (ex priv. Aplco.) qui, ...ea lege ordinantur, ut alicui Ec-

[1] 27 Apr. 1871; Conc. Plen. Baltim. III, p. 209. — [2] 29 Iul. 1909. CO. I, 678. — [3] 11 Iun. 1879. — [4] 18 Maii 1638.

clesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis a piis Christifidelibus elargiendis substentari possint, et ab eadem Ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit ».

Ad dubium itaque « XII. Utrum et quinam titulus ad ss. Ordines, post Const. *Sapienti consilio*, subrogandus sit titulo *Missionis*, quoad alumnos Collegiorum, de quibus supra... Emmi. PP. S. C. Cons.... responderunt... Ad XII. Affirmative, et subrogandum esse titulum *servitii Ecclesiae* titulo *missionis*, quoties alius canonicus titulus desit, servatis de iure servandis, prout in rescripto S. H. C. pro Hibernia, diei 27 Maii 1909; salvo titulo *missionis* pro alumnis, qui a S. Congr. de Prop. dependent ». Memoratum rescriptum sic refertur [1]: « Pro gratia ad quinquennium (a 27 Maii 1909); ut in omnibus et singulis dioecesibus Hiberniae, clerici, quoties aliquo canonico titulo careant, ad ss. maiores Ordines promoveri queant titulo *servitii Ecclesiae*, hoc est dioecesis. Caveant autem singuli... Episcopi, ut, qui ita promoti sunt, honestae sustentationis rationibus non careant, et ut ii, qui iuxta C. *Speculatores* et decreta S. C. Conc. de excardinatione et s. ordinatione (nunc ad Codicis tenorem) ad iuramentum praestandum tenentur, huic obligationi, prout ibi praescriptum est, et non ultra, satisfaciant ». Pro isto vero titulo iuramentum non requiritur de quo emittendo pro missionis titulo vidimus, sicut apparet in resolutione S. C. Cons. ad dubium « XIV. Utrum clerici Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, qui vi peculiaris indulti, a S. Pont. per Secretariam Status die 2 Ian. 1909 concessi, promoventur ad ss. Ordines titulo servitii Ecclesiae, teneantur emittere iuramentum sese mancipandi servitio suae Ecclesiae seu dioecesis... Ad XIV. Negative, nisi ad id adigantur in casibus a iure communi praescriptis: facta tamen obligatione alumnis, qui gratuito in bonum dioecesis aluntur, promissionem scriptam emittendi, sese fideliter inservituros esse propriae dioecesi ».

(A. S. S. XII p. 659). « Titulo administrationis intelligitur destinatio ordinandi ad munia ecclesiastica, ubi Episcopo videbitur, obeunda cum iure ad pensionem congruentem pro sustentatione ex fidelium oblationibus recipiendam, dummodo ex sua culpa inhabilis ad illa officia non reddatur ». De hoc titulo dicitur in Dec.is Conc. Plen. Americae Latinae n. 582: « In nostris regionibus sufficit titulus administrationis seu ministerii sive servitii Ecclesiae, iuxta Dec. S. C. C. diei 21 Iun. 1879 » ...videlicet: « An praxis Ecclesiae de Chiapas (in Mexico) Clericos ad ss. ordines, titulo *Administrationis* promovendi, sustinenda sit in casu?... S. C. C.... respondere censuit: Affirmative ».

Adnotandum quod ibidem refert Episcopus ab Archiepiscopo Mexicano confirmatum: « Praxis ordinandi ad hunc titulum sacros ministros ab immemoriali proficiscitur tempore »; quod esse asserendum de omnibus Americae latinae regionibus testes sunt PP. Conc. Plen. implicite idipsum in praelaudato Dec.° confitentes.

333. Tituli s. ordinationis ex iure supplementari. — *Can. 981.* § 1. *Si ne unus quidem ex titulis* sacrae ordinationis

[1] Ibidem. CO. I, 682.

de quibus in can. 979, § 1 commentarium datum est, *praesto sit*, quolibet ex motivo id proveniat, *suppleri potest* hoc requisitum can.s 974, n. 7° *titulo servitii dioecesis*, id est: antea dicto « Ecclesiae », *et, in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis*, quae recensita fuerunt in Commentario Textus ad can. 252, aequipollente *titulo missionis*, qui duo definiti sunt in praedictae S. Congregationis Instructione supra cit., *ita tamen*, seu cum hac partiali mutatione praec. iuris, *ut ordinatus* cum alterutro titulo, a) *iureiurando* semper *interposito* sub praescripta fortassis formula, *se devoveat* b) *perpetuo dioecesis aut missionis* c) *servitio*, ac « pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat » idest: nisi dispensentur, « invalide ad novitiatum admittuntur » in qualibet religione (can. 542, 1°), d) *sub Ordinarii loci* cuiuscumque *pro tempore auctoritate*, non solum illius coram quo iuramentum dedit. Si ampliora de hoc iureiurando desiderentur, inveniri queunt in Commentario Textus ad can. ultimo cit.

Aliam partem definitionis horum titulorum datae in praelaudata Instructione, sic moderatur § 2. *Ordinarius presbytero*, non diacono vel subdiacono, *quem promoverit* vel ordinans eum, vel ad ordinationem presbyteralem dans litteras dimissorias *titulo servitii ecclesiae vel missionis*, cui alterutri praesit, *debet* a) *beneficium* definiendum in can. 1409, b) *vel officium* etiam « lato sensu » ad normam can. 145, v. gr. contentum sub can. 1412, c) *vel subsidium* aut ex propriis bonis officii vel patrimonii aut receptum ab aliis, sed eorum quodlibet *ad congruam eiusdem* sic promoti ad presbyteratum *sufficiens*, proinde « subsidium » etiam periodice *conferre*.

334. **Tituli canonici religiosorum peculiares.** — Titulus ordinarius regularium seu titulus paupertatis, idem dicit ac titulus monasterii sive religionis sive professionis religiosae, ac est « ius competens regularibus ad hoc ut de bonis monasterii sustentationem congruam suscipiant, propter quod iuxta ss. canones licite hac de causa promoventur ad ordines sacros » [1].

In Const. « Romanus Pontifex » Pius PP. V ait: (§§ 2 et 3) « Cum nulla in Tridentino Decreto citato supra religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli... Religionis praetextu,... nec iuxta dicti Decreti tenorem,

[1] Const. « Romanus Pontifex » Pii PP. V. 14 Oct. 1568.

ad ss. ordines se promoveri praetendant, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per saeculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quaestum exercere... cogantur.

§ 3. Nos igitur,... decretum praedictum, de clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos, etiam cuiuscumque Ordinis clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum, viventes in communi, *non professos*, harum serie extendimus et ampliamus... ». Postea, inducta per Pium PP. IX in Ordinibus regularibus triennali professione votorum simplicium ante professionis solemnis emissionem, sequens dubium propositum fuit: « 1° Possuntne Novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad ss. Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante C. " Romanus ,, S. Pii V die 12 Novembris a. 1568 in lucem edita?... [1]. Ssmus rescribendum mandavit: Ad 1. Negative quoad ordines sacros ». — Restat videre ius de hac re quoad professos Congregationum votorum simplicium. His responsio data multo magis aptatur, quia titulus paupertatis iuxta omnes DD. competit solum proprie dictis regularibus. Quod evidens fit per sanctionem poenalem Const.[i] « Aplcae. Sedis » a Pio PP. IX insertam, quae talis est: « Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo ». Quae nunc est partialiter suppressa vi can. 2373, 3° simul cum §° 2° sequenti.

Huic iuri veteri plene congruit simul cum can. 979 nunc declarandus *can. 982. § 1. Pro regularibus* nempe: « qui vota nuncuparunt in Ordine » (can. 488, 7°), *titulus canonicus* declaratus tamquam requisitum in can. 974, § 1, 7° *est sollemnis* non temporaria *religiosa professio seu titulus*, *ut dicitur*, quia minus proprie, *paupertatis*, quae potius excludit per se congruam sustentationem.

Similis titulo paupertatis concedi solebat Aplco. privilegio titulus *mensae communis* proprius Congregationibus sine votorum solemnitate, vel etiam titulus *missionis*, qui eis communis est cum clericis saecularibus. Titulus mensae communis est « certum subsidium vitae honeste sustentandae ex communitatis bonis, propter quod ipsius alumni permittuntur ad sacros ordines promoveri ».

Quoad hos religiosos votorum simplicium ordinandos in sacris, ante Codicem servandum erat Dec.[m] « Auctis admodum » circa titulum ordinationis, haec statuens:

1. « Firmis remanentibus Const.[e] S. Pii V cit. ...et declaratione Pii PP. IX [2], eaedem dispositiones extenduntur etiam ad instituta votorum simplicium, ita ut

[1] 20 Ian. 1860. — [2] 12 Iun. 1858.

horum institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad ss. ordines alumnos promovere titulo mensae communis, vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem: Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a Sede Aplca. approbatae ».

Hoc ius praecedens solum partialiter fuit admissum in § 2. *Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum*, abrogata ergo manet pars secunda cit. numeri ex Decreto, nec §ª suffragatur professis non solemniter in Ordinibus. Pro illis ergo supple: « titulus canonicus » *est titulus mensae communis* iam definitus, alio nomine *Congregationi aliusve* quoad appellationem *similis* quoad rem, concessus vi huius canonis sed interpretandus *ad normam constitutionum.*

§ 3. *Ceteri religiosi* nempe: votorum temporariorum in Ordinibus et Congregationibus, imo et novitii, quando ex dispensatione can. 567, § 2, « ad ordines sacros, durante novitiatu, promoveantur », praeterquam circa ordinationis ministrum ac litteras dimissorias vi can. 964, 4°, *etiam ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium* scilicet: can. 979-981 *reguntur.*

Art. II. — *De irregularitatibus aliisque impedimentis.*

Can. 983. - Nullum impedimentum perpetuum quod venit nomine *irregularitatis,* sive ex defectu sit sive ex delicto, contrahitur, nisi quod fuerit in canonibus qui sequuntur expressum.

Can. 984. - Sunt irregulares ex defectu:

1° Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi;

2° Corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt;

3° Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere;

4° Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt;

5° Qui infamia iuris notantur;

6° Iudex qui mortis sententiam tulit;

7° Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae.

Can. 985. - Sunt irregulares ex delicto:

1° Apostatae a fide, haeretici, schismatici;

2° Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt;

3° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta;

4° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes;

5° Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi etiam adimere tentaverunt;

6° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur;

7° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti.

Can. 986. - Haec delicta irregularitatem non pariunt, nisi fuerint gravia peccata, post baptismum perpetrata, salvo praescripto can. 985, n. 2, itemque externa, sive publica sive occulta.

Can. 987. - Sunt simpliciter impediti:

1° Filii acatholicorum, quandiu parentes in suo errore permanent;

2° Viri uxorem habentes;

3° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint;

4° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem;

5° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint;

6° Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint;

7° Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat.

Can. 988. - Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat.

Can. 989. - Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario.

Can. 990. - § 1. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, n. 4 aliave deducta ad forum iudiciale.

§ 2. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat.

Can. 991. - § 1. In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis bona fide, iis exceptis quae in can. 990, § 1 excipiuntur, non autem pro reticitis in mala fide.

§ 2. Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis.

§ 3. Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque maioribus; et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus *nullius*, Superior maior in religione clericali exempta.

§ 4. Dispensatio, in foro interno non sacramentali concessa, scripto consignetur; et de ea in secreto Curiae libro constare debet

335. **Inscriptio Articuli et canonum coordinatio.** — Deinde considerare oportet *Art. II* inscriptum *De irregularitatibus*, quod verbum vi nominis compositi ex particula negativa praemissa et nomine regula, idem sonat ac id quo est aliquis alienus a regula, vel non attingens perfectionis mensuram his positam, qui sacro mi-

nisterio addicuntur, proinde constituit ad ordines suscipiendos impedimentum, sed huiusmodi alia quoque adesse innuitur subsequentibus verbis: *aliisque impedimentis:* quae diversitas fuit iam posita in can. 968, § 1.

Irregularitatis propriam notam et duplicem originem tradit can. 983, quot vero iuxta alterutram ex iure sint, statuunt can. 984, 985, cui ut complementum sequitur can. 986. Quinam vero « sunt simpliciter impediti » edocet can. 987, atque post hunc circa utraque impedimenta versantur can. 988-991, ita ut de ignorantiae influxu quoad ea incurrenda sit can. 988, eorumque multiplicationem in eodem subiecto determinat can. 989, dum potestatem dispensandi ac dispensationis concessiones moderantur can. 990, 991.

336. **Irregularitatis notio ac divisio.** — De irregularitatis natura triplex prolata fuit sententia. Quidam enim considerarunt ipsam ut poenam, quia vi eius a consequendis ordinibus subiectum capax et illos fortassis desiderans arcetur, imo quandoque delictum supponitur, sed haec opinio paulatim et consequenter explicationibus irregularitatis ac poenarum fuit derelicta, et recte quia irregularitates plures ab omnibus admissae propriam poenae notionem non habent. Altera fuit sententia sub irregularitatibus comprehendens omnia sacrarum ordinationum impedimenta iuris ecclesiastici, imo nec defuerunt usque ad nostram aetatem qui et defectus requisitorum positive inter illas enumerarent. Et haec a Codice non est admissa, atque rationabiliter eo quod verbum illud irregularitatis, quidquam non honorabile exprimens, potest quidem proprie designare ordinum impedimenta, quae temporis progressu vel subiecti industria auferri nequeunt, minime vero proprium esset quoad illas deficientes conditiones, quas unusquisque naturaliter post aliquod tempus habet, v. gr. adolescentis nescientiam doctrinae theologicae vel carentiam aetatis maioris necessariam.

Sic igitur ad normam statuentis can. 18: « Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem », adoptavit tertiam sententiam edicens *can. 983. Nullum impedimentum* in subiecto, qui « sacram ordinationem valide recipit », *perpetuum* ex ipsius natura, quamvis miraculose vel extraordinarie auferri queat, *quod venit* iuxta validiorem canonistarum sententiam et nunc iure canonum *nomine irregularitatis* cum propria significatione, quod duplicis classis esse potest iuxta diversam originem in eius subiecto, a) *sive ex defectu* permanente *sit* b) *sive ex delicto* equidem praeterito, proinde immutabili, *contrahitur*, quatenus lege statuta prohibitio recipiendi ordines illosque exercendi tenet hanc alteramve personam defectui vel delicto quandoque subiectam, *nisi quod fuerit in canonibus* duobus *qui sequuntur expressum*

saltem implicite ast necessario, servante canone generale principium communiter admissum iurisprudentiae vi tempore Bonifacii VIII et deinceps [1]: « irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit »; imo verbum « in iure », de quo disputarunt Auctores probati num consuetudinem comprehenderet, fuit convenienti Codicis mutatione ad scriptum ius coarctatum.

337. **Definitio**. — Irregularitatis ergo nomine ad normam Codicis venit: « impedimentum perpetuum in ss. canonibus expressum (can. 983), quo detinetur vir baptizatus a sacra ordinatione licite recipienda (can. 968, § 1), et prohibetur receptos forsitan ordines exercere » (§ 2).

Qua « impedimentum » differt ab inhabilitate, quatenus « perpetuum » ab aliis impedimentis, quae non sunt proprie irregularitates: eo quod « in ss. canonibus expressum » designatur earum iuridica origo diversa ab impedimentis simpliciter ex iure divino, in verbis « quo detinetur a sacra ordinatione licite suspicienda » innuitur formalis ratio effectusque irregularitatis, qua simul differt ab impedimentis, quae sint pluribus communia sacramentis, sicut postremis verbis designatur finis ad quem ordinatur irregularitas, aestimatio nempe ac honor sacri altaris ministerii.

338. **Irregularitates ex defectu**. — *Can. 984. Sunt irregulares ex defectu* unoquoque designatorum sub sequentibus numeris: *1°* « *Ex defectu* » *natalium,* seu nativitatis ipsius derivato ex culpa genitorum in conceptione eius. *Illegitimi,* scilicet: non « concepti nec nati ex matrimonio valido vel putativo, aut concepti a parentibus quibus ob solemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti » (can. 1114) congruenter omnino iuri praecedenti, v. gr. cap. 1 De filiis presbyterorum ordinandis vel non [2]. « Ut filii presbyterorum (scilicet: sacrilegi ob patris peccatum qui solemne castitatis votum violavit, proptereaque filii etiam tum cuiuscumque ordinati in sacris, tum professi vel professae solemniter in ordine regulari) et ceteri ex fornicatione nati (proindeque multo magis omnes spurii) ad sacros ordines non promoveantur ». Et in c. 14 Clem. III ait: « Intelleximus quod H. in sacerdotio genitus, de uxore legitima natus, et conceptus, affectavit a pueritia mini-

[1] Cap. 18, de sententia excommunicationis, tit. 11, Lib. V, in 6°. — [2] Tit. 17 Lib. I Decretalium.

strare Domino in officio clericali. Verum licet a filiis paterna incontinentia modis omnibus propellenda noscatur: (hic vult dicere, iuxta Glossam: licet filii sint repellendi propter paternam incontinentiam): si tamen aliter, dignus inventus fuerit, permittimus ipsum ordinari in clericum »... Unde sequitur quod filii sacrilegi antedicti, quamvis geniti fuerint ex uxore legitima. utpote ducta matrimonio ante votum contracto nec propter istud soluto, sacrilegi tamen utpote geniti cum voti solemnis violatione, patiuntur natalium defectum ac sequentem irregularitatem.

Posita vero illegitimitate, nihil refert ad normam prosequentis canonis: *sive illegitimitas sit publica,* eo quod generaliter vel pluribus nota sit, *sive occulta* paucis nota. Cum vero illegitimitas quoad eius effectus canonicos possit auferri, eo quod hi omnes vel maior eorum pars relaxentur, addit canon exceptiones huius irregularitatis: *nisi fuerint* a) *legitimati,* vel « per subsequens parentum matrimonium » ad normam can. 1116, et tunc ipso iure, vel ab homine scilicet: per rescriptum Sedis Apostolicae ita ut « in omnibus aequiparentur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit » in iure (can. 1117), b) *vel vota sollemnia professi,* eo quod in cap. 1 Decretalium citato, post verba: « ad sacros ordines non promoveantur », subinfertur: « nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes; praelationem vero nullatenus habeant ».

Vi ergo huius capitis tales illegitimi adhuc impediuntur a Praelaturis ipsius etiam Ordinis [1], nempe: a munere Superioris maioris, et praeterea quamvis sufficiens videatur ad exceptionem habitum induere ordinis religiosi, tamen S. C. super statu Regularium [2] implicite declaravit professionem requiri sollemnem, quando interrogata: « 2. Possunt Provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum sollemnium, ad hoc ut his ordines conferantur?... rescribendum mandavit:... Ad 2. Affirmative pro prima tonsura et ordines minores, quantenus Provinciales ex Apico. indulto legitime (non ergo eis competebat ex iure) gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit ». Etiam illud probatur hac ratione, quia huius decretalis tempore solum erat sollemnis professio in Monasteriis et congregationibus canonicis regulariter viventibus, quae quidem designant Ordines proprie regulares.

Irregularitatis fundamentum sic a D. Th. traditur [3]. « Respondeo dicendum, quod ordinati in quadam dignitate prae aliis constituuntur. Et ideo ex quadam ho-

[1] In can. 504 legitur « ad munus Superioris maioris inhabiles sunt qui,... non sunt ex legitimo matrimonio nati ». — [2] 20 Ian. 1860. — [3] Suppl. q. XXXIX, a. 5.

nestate requiritur in eis claritas quaedam, non de necessitate sacramenti sed de necessitate praecepti, ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus ornati, non publice poenitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine; ideo etiam ex illegitimo thoro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur : et tanto est difficilior eorum dispensatio, quanto eorum origo est turpior ». Unde quia « dicitur in Deuteron. (XXIII, 2): Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem. Ergo multo minus illegitime natus debet promoveri ad ordines... Et patet quod illegitime nati non portant iniquitatem patris, ex hoc quod irregulares sunt; quia irregularitas non est poena iniquitati debita » [1].

339. **Ex defectu corporis.** — Sequitur in canone: « Sunt irregulares ex defectu » corporali. 2° *Corpore vitiati* non omnes, sed *qui* a) *secure propter debilitatem* alicuius ad ministerium necessarii membri, b) *vel decenter propter deformitatem,* etsi membra integra habeant, aut e contra ex membri alicuius privatione illa deformitas proveniat, *altaris ministerio defungi* absque periculo vel cum decore *non valeant.*

Irregularitas ex defectu est « quaedam ineptitudo subiecti ordinationis propter quam iure canonico prohibetur ipsum ab ordinibus suscipiendis ». Nunc vero ex D. Th. [2]: « aliquis efficitur ineptus ad susceptionem ordinum vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personae. Et ideo patientes defectum in membris impediuntur a susceptione ordinis, si sit talis defectus qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personae claritas (ut abscissio nasi), vel periculum in exequutione facere possit », multo magis si hanc exequutionem impossibilem reddat; « alias non impediuntur. Haec autem integritas exigitur de necessitate praecepti, sed non de necessitate sacramenti ». Hucusque Angel[s]. Doctor. Cui concordem referre placet responsionem Supr. S. Officii Congr[e]. Interrogata enim « num in casu praedicto, ob rescissionem integrae manus dexterae, aliquod impedimentum habeatur a quo dispensari nequeat *ratione collationis sacramenti Ordinis* » [3] responsum fuit: *negative.*

Cui concordant sequentes canones. Imprimis rubrica ipsa Tit. 20, Lib, I « De corpore vitiatis ordinandis vel non » innuit non omnes vitiatos defectu corporis comprehendi canonum prohibitione. Et revera in cap. ult. h. t. refert Honorius III: « Thomas monachus proposuit, quod cum in annis puerilibus esset constitutus, quaedam barra ferrea super dextrae suae pollicem fortuito casu ca-

[1] Ib. ad 1[m]. — [2] Suppl. q. XXXIX, a. 6 c. — [3] S. Congr. de discipl. sacram. Dioecesis L, 1 Iul. 1918. CO. XIII, 437.

dens ungulam avulsit ab eo » : ac respondet S. Pontifex : « Quocirca mandamus, quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens, et aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoveas Sacerdotis ».

Et hic legislator innuit duo motiva, impotentiam et deformitatem, quae tamen in casu non adeo magna erant ut sufficerent pro exclusione ab ordinibus suscipiendis. Positive autem loquuntur alii duo canones.

Primus est Innoc. III in h. t. « Exposuisti nobis quod praedecessor tuus H. in Abbatem promovit, nesciens quod ipse esset manu altera mutilatus. Nos igitur fraternitati tuae taliter respondemus, quod cum pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordines promoveri »... Alter canon Eugenii Papae invenitur in tit. de clerico aegrotante vel debilitato (III. 6), scilicet : « Presbyterum cuius duos digitos cum medietate palmae a praedone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare » : prohibitus ergo erat talis presbyter, et quidem propter ministerii sacri decorem ; nam subiungitur ut ratio « quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus ». Quibus duobus motivis si addatur ex cit. canone Innocentii III impossibilitas exequendi ministerium ob membri carentiam ; habemus ea quae a D. Thoma enumerata fuerant. Et non tantum valet Eugenii canon de presbytero iam ordinato, sed ad cuiuscumque ordinis susceptionem prohibitio extenditur, cum enim in hodierna disciplina sint gradus ad Sacerdotium, cuius principalis actus est consecrare corpus et sanguinem Christi, sequitur prohiberi propter ministerii reverentiam ab inferioribus ordinibus, qui removendus est a principali actu sacerdotii.

Nec obstat quod irregularitas est totalis, et tamen in fine capit[is] 2 citati Eugenius ait : « Ipsum autem ceteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus ». Haec enim est indulgentia iuris quoad ordinatos, fundamentum aequitatis habens idem quod in c. 5 eiusdem tit. traditur quoad « Episcopum gravi et incurabili morbo fere per quadriennium laborantem, ita quod pastorale officium non posset nullatenus exercere » : ubi etiam subdit Innoc. III : « Verum cum ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas ullo modo, (et notanda ratio) nec afflicto afflictio sit addenda, imo potius ipsius miseriae miserendum, eo quod idem vir bonus extiterit, et Ecclesiam salubriter sibi commissam gubernaverit »...

Hanc aequitatem Codex servavit addens in canone : *Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime,* nam ex corporis defectu irregularitas non dispensata et existens ante ordinationem relaxationem hanc non consequeretur, « tamen ad exercitium ordinis legitime » *recepti* quod attinet, seu ob supervenientem defectum cum « irregularitate post ordinationem etiam sine propria culpa exorta » (can. 968 § 2), a) *gravior requiritur defectus* illo qui sufficeret ad impediendam ordinationem, b) *neque ob hunc defectum* v. gr. impediens missae celebrationem *prohibentur actus*, v. gr. auditio con-

fessionum, *qui rite poni possunt.* Et est notanda exceptio §[1] 2[1] can[s]. 968.

Valde animadvertatur numeri huius plena cum veteri iure congruentia. Propter hoc enim doctrinae Auctorum probatorum, qui *a)* plures corporis defectus recensent uti secumferentes vel non irregularitatem, atque *b)* SS. Romanarum Congr[m]. iurisprudentiam in dispensationibus concedendis vel secus *a)* pro defectuum ac ordinum susceptorum diversitate, simul et *b)* respectu habito ad ordines aut suscipiendos aut exercendos, de his omnibus illae doctrinae cum utilitate non parva consuli adhuc queunt. Duos casus innuere placet ex Comm. officiali [1].

Quoad ordinatos sacerdotes dicit Gelasius Papa et habetur in Decretis [2]: « Praecepta canonum quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut ad sacerdotium debiles corpore non patiuntur venire: ita et si quis in eo fuerit constitutus, ac tunc fuerit sauciatus, amitti ab eo non potest, quod tempore suae sinceritatis accepit ». Quod sic optime a D. Thoma explicatur [3]: « dicendum, quod debilitas vel aegritudo superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit; exequutionem tamen ordinis impedit quantum ad consecrationem Eucharistiae, quandoque quidem propter impossibilitatem exequutionis, sicut si privetur oculis, aut digitis, aut usu linguae; quandoque autem propter periculum, sicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis; quandoque propter abominationem, sicut patet de leproso, qui non debet publice celebrare »; (arg. ex cc. 3 et 4 de clerico aegrotante...) « potest tamen missam dicere occulte, nisi lepra adeo invaluerit, quod per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem ». Et haec infirmitas hic affertur tamquam exemplum, idemque alii cuicumque morbo abominabili applicandum esset.

340. **Ex defectu mentis.** — De morbo caduco mentisque alienatione, quae D. Thomas memoratur, habemus can. 1 causa VII q. II et Alex.° II inscribitur. « Quia vero languor (morbi caduci) in culpa non est, super hac re auctoritatis nostrae decreto consulendo deliberavimus ». Decretum est ergo, seu consilium reverentiae. « Consulimus itaque, ut si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione, et missarum celebratione modis omnibus prohibeatur. Indecens enim est, et periculosum, ut in consecratione Eucharistiae, morbo victus epileptico cadat ». Haec ratio eadem indecentiae ac periculi cum non minus in mentis alienatione ex habituali causa verificetur, etiam canon ipse huic morbo applicatur. Prosequitur

[1] S. C. Rit. Instructio diei 12 Ian. 1921, CO. XIII, 154 et S. Congr. de disc. Sacram. Dioecesis L, 1 Iul. 1918, CO. XIII, 437. — [2] Dist. LV cap. 12. — [3] 3 Part. q. LXXXII art. 10 ad 3[m].

Pontifex: « Si vero Dei misericordia convaluerit (quandoquidem non culpa, sed infirmitas est in causa) eum sacrificare iam non interdicimus ». DD. communiter docuerunt, epilepticum ac mentecaptum esse irregulares, quamvis convaluerint, quia vix perfecte convaluisse censentur, nec de ipso morbo caduco post pubertatem contracto.

Haec doctrina etiamsi nullo iure sancita, vera erat ac retinenda, utpote conformis praxi S. Congr. Conc. Sed nunc melius ac plene provisum est in canone, cuius praescripto standum est sub n°. 3°. « Sunt irregulares ex defectu » mentis ob frequentem alienationem, *Qui*, a) *epileptici*, seu morbo caduco correpti in terram cadere, spumare vel contorsiones pati solent, b) *vel amentes*, quamvis ex alia infirmitate amentia vera proflueret, c) *vel a daemone possessi*, prout possessio proprie ab obsessione differt, ita ut patiens sua privetur mentis libertate in propriis actionibus, eis ergo, « qui » tales a) *sunt* in praesenti, b) *vel fuerunt*, quia nunc ab huiusmodi defectu liberi evaserunt, manet irregularitas absolute quidem ad ordines suscipiendos. Additur autem in canone: *quod si* a) *post receptos ordines* sacros prout « ex contextu verborum eruitur » (can. 950), nam ordines minores exercere omnibus licet in praesenti disciplina, excepto exorcistatu practice et ex can. 1151 et 1153 reservato sacerdotibus vel diaconis, b) *tales* scilicet irregulares sub litteris *a) b) c)* primis *evaserint et* c) postea *iam liberos esse* d) *certo constet*, de qua morborum cessatione ad peritos medicos, et de possessione ad viros quoque pios et in hac re prudentes iudicium pertinet; horum ergo testimonio debet constare, ac sub illamet quadruplici conditione, *Ordinarius* tum « loci » tum « Superior maior in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198 § 1) *potest* unusquisque a) *suis subditis* b) *receptorum ordinum exercitium*, a quo propter primam numeri partem « prohibentur » (can. 968 § 2), *rursus*, quia interceptum erat ob vetitum quando « tales evaserunt », *permittere*. Unde ad hos extenditur exceptio praedicta sub n°. 2° et ob eamdem canonicam aequitatem.

341. **Ex defectu sacramenti**. — Irregularitas ex bigamia ipsum Apostolum habet auctorem, qui de diacono et Episcopo loquens ac proinde presbytero applicandum, ait [1]: « Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum... Diaconi sint

[1] I ad Timoth. III, 2, 12.

unius uxoris viri ». Et ad Titum (I, 5, 6) scripsit: « ... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi: si quis sine crimine est, unius uxoris vir,... ». — Fundamentum irregularitatis huius positum est in defectu sacramenti matrimonii contracti quoad eius significationem per D. Paulum sic expressam [1]: « Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia », idest: unius cum una in aeternum.

Hunc defectum explicat Innoc. III in cap. 5 de bigamis non ordinandis (I, 21). Ad huius intelligentiam rectam ipsiusque irregularitatis ex Decretalium iure, distinguere oportet plura cum D. Thoma in matrimoniali fidelium contractu [2]. « Sicut poenitentia non habet aliam materiam, nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio ». (Ib. ad 1[m]). Et « verba quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale ». De utrisque ait postea (ib. ad 5[m]): « sacramentum tantum sunt actus exterius apparentes » ; et addit: « sed res et sacramentum est obligatio quae innascitur viri ad mulierem (et vicissim) ex talibus actibus ». (Ib. art. 3 corp.). « Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas (moralis) utendi uxore sua (et vicissim mulieri) ad procreationem prolis » (correlativa obligationi praedictae), «datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset », seu « matrimonium, inquantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adiuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur, quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa ; sicut patet (in naturalibus) quod omnibus potentiis animae respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint ». Et haec gratia effectus sacramenti matrimonii est res contenta in eo ac significata. Quae utpote sanctificans facit sponsos adhaerere Deo, utpote sacramentalis ordinatur ad recte utendum copulatione, remedium praestans contra concupiscentiam « ex parte ipsius concupiscentiae, ut reprimatur in sua radice ». Sed quia tam facultas concessa per matrimonii sacramentum quam ipsa gratia sacramentalis ordinantur modo praedicto ad carnalem commixtionem, quam proinde virtualiter continent, sequitur quod ipse contractus matrimonialis iam implicat significationem coniunctionis in Christo et Ecclesia, quae significatio habetur proprie seu melius completur in carnali copula, quae non est de necessitate illius sacramenti, sed pertinet ad eius integritatem seu perfectionem secundam propter bonum prolis, quae perfectio consistit non in ipso esse rei, sed in operatione.

Bigamia, ut ipsum nomen indicat, existit quando vir duxit bis uxorem. Unde secundum Decretalium ius possumus hanc distinguere in *bigamiam veram*, quae tunc aderit quando vir successive duo matrimonia contraxit valide ac utrumque, prout in iure veteri

[1] Ad Ephes. V, 32. — [2] Suppl. q. XLII art. 1 ad 2[m].

requirebatur, consummavit, et *bigamiam* ex fictione iuris seu *fictitiam*, quando bigamiae verae conditiones non verificantur, seu ut ait Innoc. III « licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum », ad quem ius vetus de bigamia vera requirebat matrimonii consummationem, et in quo defectu fundatur bigamiae verae irregularitas, « sed propter affectum intentionis cum effectu subsequuto » tamquam cum bigamis non licebat dispensare ad suscipiendos ordines, seu inter bigamos erant reputandi. Hanc bigamiam ex fictione iuris subdistinguere solebant Doctores in *bigamiam interpretativam* et *similitudinariam*. Haec dicitur quae oriretur ex matrimonio attentato cum virgine a clerico in sacris constituto, vel ab eo qui sollemniter in religione fuit professus, quasi concurrente duplici matrimonio, spirituali nempe valido et carnali attentato et consummato. Sed iuxta plures Doctores non constituebat irregularitatem proprie dictam.

Secundum vulgatum axioma: « fictio iuris non habet locum nisi in casibus a iure expressis » ut probat Fagnanus [1]. Hinc bigamiae interpretativae casus accipiendi erant ex iuris can. textibus.

Corruente fictione ut fundamento, desinere oportet bigamiam, quae non sit vera. Hoc obtinuit Codex fictionem abrogans simplicioremque reddens legislationem, dum statuit canon: « Irregulares sunt ex defectu » sacramenti nempe: matrimonii 4° *Bigami* proprie dicti, quamvis non ex usu loquendi iuxta vocis etymologiam, *qui nempe* a) *duo vel plura* ut licet *matrimonia* b) *valida*, nec sufficit unum cum altero putativo, c) *successive* ad excludendam bigamiam simultaneam d) *contraxerunt*, statimque bigami fiunt quamvis non sequatur in uno alterove matrimonio consummatio. Haec proinde in Codicis iure non requiritur, e contra valida sint oportet matrimonia.

342. " **Sunt irregulares ex defectu „ famae:** 5° *Qui infamia iuris*, scilicet: « quae casibus a iure communi expressis statuitur », et de qua poena vindicativa sunt can. 2293-2295: propter crimen igitur *notantur*. Sed poenae huius notam cum famae legalis defectu irregularitas concomitatur. Quamvis de infamia desit Decretalium titulus, tamen infamiam iuris secum tulisse irregularitatem nullo modo est dubitandum, quia in Ecclesia est magna sacerdo-

[1] Cap. In praesentia n. 23. De probationibus.

talis dignitas et regula Iuris 87 in 6° est: « Infamibus portae non pateant dignitatum ». Fundamentum quoque cognoscimus ex D. Thoma, eo quod per infamiam « obscuratur hominis claritas », proindeque infamis promotio scandalum generaret, eiusque ministerium non esset profecto neque honorabile neque utile in Ecclesia.

343. **Ex defectu lenitatis**. — Demum « sunt irregulares ex defectu » lenitatis (adeo propriae illius qui hostiam pacificam offerre debet, gerens vicem Summi Sacerdotis Christi Iesu, qui dixit: « Discite a me, quia mitis sum ») sub *n.° 6° Iudex qui mortis* qualitercumque inferendae *sententiam* in eius officii exercitio, etsi prava voluntate, *tulit* valide, ut praesumitur, quamvis sequuta non fuerit illius executio. — Huic connectuntur 7° *Qui* a) *munus carnificis* scilicet: ad pluries mortem inferendam nomine auctoritatis publicae per iudicis sententiam agentis *susceperint*, quod verbum libertatem respuendi munus illud implicat, statimque irregularitatem incurrunt hoc facto, antequam muneris illius unicum actum ponant; sed inferentes mortem etiam per unum actum intelliguntur irregulares ex clausula subnexa: *eorumque* carnificum a) *voluntarii*, nullo iure aut necessitate cogente, b) *ac immediati*, v. gr. adiuvantes in eodem executionis actu carnificem, c) *ministri*, a fortiori carnifex, secus de illis qui ordini publico tunc invigilant, vel ne reus effugiat, d) *in exsecutione capitalis sententiae* saltem in iudicio, ut dicitur, summarissimo prolatae, secus si aliter mors infligatur, v. gr. in bello etsi omnino iuste. Et hi omnes fuerunt irregulares eodemque modo in iure ante Codicem.

344. **Irregularitates ex delicto.** — *Can. 985. Sunt irregulares ex delicto* ab ipsis patrato, illudque verbum est accipiendum in sensu ab Auctoribus ac iure praecedenti usurpato, quamvis alicui ex enuntiandis v. gr. sub n. 6° definitio delicti « iure ecclesiastico » data in can. 2195 ad poenas quod attinet, non applicetur perfecte, quatenus non existat « legis violatio, cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata ». Attamen non absque fundamento fuit adhibitum illud verbum, quia isti irregulares ex delicto quadantenus ut rei eamdem prohibitionem subeunt.

345. **Contra fidem et unitatem Ecclesiae**. — Enumerantur in can. sequentes irregulares: *1° Apostatae a fide*, b) *haeretici* c) *schismatici*, prouti declarantur singuli in can. 1325 § 2, non alii quadantenus illorum delictorum participantes, nec ista irregularitas

provenit ex famae defectu illa delicta concomitante, exclusis per praescriptum contrariis circa haec opinionibus. — Ex iure antiquo unus sufficiat textus Leonis M. Loquens enim de his « qui a nobis in haereticorum atque schismaticorum sectam (quod hodie necessarium non est) delapsi sunt et se utcumque haereticae communionis contagione macularint », quique deinde ad catholicam redierunt Ecclesiam, statuit [1]: « Circa quos (presbyteros, sive diaconos, sive cuiuslibet ordinis ad catholicam fidem revertentes)... illam canonum constitutionem praecipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant ».

346. **In baptismatis susceptione.** — In cap. 9 de apostatis et reiterantibus baptisma (tit. 9 Lib. V) Decretalium legitur: « quod quidam ... ut sanaretur, per iterationem fecit iniuriam baptismatis sacramento ». Et respondit Alex. III de Acolytho, « quem minor aetas, et intentio fraternae salutis excusare videtur... quod ad superiores ordines promoveri (si publicum est, quod proponitur) non valebit... Si vero occultum est, promoveri poterit... ». Hoc ius multis opinionibus Doctorum propter capitis clausulas subiectum, ceteroquin non practicum nostris temporibus, fuit per Codicis omissionem abrogatum ad normam can. 6, 6°. — Praefata irregularitas quoad rebaptizatum fuit statuta simul cum altera quae ligat baptizatum ab haeretico, in can. 10 can. I q. 7 desumpto ex Epistola Felicis PP. III ad omnes Episcopos. Sic ait: « Qui in qualibet aetate alibi, quam in Ecclesia catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere ». — Aperte irregularitas continetur solum adversus eos, qui ab haereticis baptizati sunt; ii enim revera *alibi*, quam in Ecclesia catholica baptizantur. — Est autem ex delicto quod praesupponunt verba ib can. sequentia: « Quibus satis esse debet, quod in Catholicorum numero sunt recepti », ac si facti fuerint huius gratiae indigni ex baptismate sic suscepto. Quod delictum invenitur propter communionem in sacris, quam praesefert dictum baptisma, quae communio cum haereticis vetita est iuxta sacras litteras. Unde omnes qui baptizarentur in aliqua secta propter quamcumque rationem, hanc irregularitatem incurrerent, sive solemniter, sive privatim baptisma fuerit collatum.

Difficultas exurgit propter verba initio canonis posita. 2° *Qui in qualibet aetate*, quia infantes ac etiam alii ducti ignorantia viderentur comprehendi, cum tamen in eis delictum absit. Sed ipsos censuerunt Patres Concilii Africani non comprehendendos, quando dixerunt [2]: « Placuit de infantibus, qui ab haereticis baptizantur, ne, quod non suo fecerunt iudicio cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, quominus

[1] Cap. « Saluberrimum enim » 21 C. I q. VII. — [2] Can. Placuit 3 cau. I q. 4.

promoveantur sacri altaris ministri ». Et S. C. Conc. in una Romana [1] rescripsit, baptizatum ab haereticis in aetate duorum annorum irregularitatem non incurrisse. Ergo canonis verba intelligenda sunt de *aetate* doli capace.

Haec posterior irregularitas salva manet in Codice, dum eidem subiicit canon 985 illos (*2° Qui*), *praeterquam in casu extremae necessitatis,* hoc est, deficiente alia persona quae sciat et velit eum baptizare, a) *baptismum* simpliciter ac proprie dictum, b) *ab acatholicis* quales sunt etiam schismatici, pagani, c) *quovis modo* v. gr. precibus adhibitis, non adhibita oppositione, d) *sibi* praecise, non alii, *conferri siverunt.* Proinde voluntarie habentesque rationis usum.

347. **Contra votum castitatis publicum.** — Ex antiquo iure aliquos casus bigamiae fictae, omnesque bigamiae similitudinariae, non autem ob iuris fictionem nunc abrogatam, sed propter delictum implicitum recenset canon sub *n.° 3°*, decernens irregulares esse eos, *Qui* a) *matrimonium* idest: contractum ipsum, ad canones quod attinet, quibus illud subiicitur, violare [2], idest: *attentare*, sive hoc fiat sine contractus effectu, vel cum illius effectu, quia pluribus in casibus invalidum ob dirimens impedimentum, vel saltem illicitum, sicut statim notum fiet, b) *aut civilem tantum actum* contractus matrimonialis iuxta civiles leges, alterutrum *ausi sunt;* scilicet: « verba haec plenam cognitionem ac deliberationem exigunt » (can. 2229, § 2) in patrantibus delictum definitum can. 2195 § 1, prouti sunt delinquentes: I° *vel ipsimet* a) *vinculo matrimoniali* perstante b) *aut ordine sacro* etiam quoad statum fori externi c) *aut votis religiosis* proinde publicis ad normam can. 1308, § 1, quibuscumque, subditur enim *etiam simplicibus* forsitan perpetuis et a fortiori solemnibus, *ac temporariis* in Ordine aut Congregatione emissis, sed adhuc eis aut ordine sacro *ligati* ab observandam castitatem, II° *vel cum muliere* viri, etsi omnino soluti, a) *iisdem votis* nempe; sub littera c) declaratis *adstricta*, b) *aut matrimonio* adhuc *valido* etsi rato tan-

[1] *Attentare* Imperium, adgredi et quid adversus id moliri, Varroni Lib. 4 de Ling. Latina. — *Attentare* pudicitiam, est id facere, ut quae pudica est, impudica fiat, Paulo l. adtentari. 10. D. de iniur. — *Attentare* annonam, est vexare, et quid in eam moliri, ut solent Dardanarii. Ulpianus l. annonam. 6 D. de extraord. criminib. — Lexicon Iuris civilis et canonici: Pandulphi Prateii.

[2] 21 Maii 1718.

tum *coniuncta*. Irregularitas haec nostris temporibus fuit adeo necessaria, ut Dei ministri fidelesque peccata huiusmodi tam frequentia merito abhorrere discant.

348. **Ius praecedens de homicidio ac mutilatione.** — Cum Tituli 12[1] Libri V Decretalium rubrica sit: « De homicidio voluntario et casuali », cui consonat Tit. IV eiusdem Libri in 6° et in Clementinis, iam ex hoc discimus irregularitatem ex homicidio sibi locum vindicare inter irregularitates ex delicto, hic opportune simul pertractando de quacumque irregularitate quamvis haec sit ex defectu, si homicidium praesupponat. Pari gressu procedunt quoad hoc mutilatio et homicidium. Hoc habetur, « quando unus homo causat mortem alterius ». Nam si accidat mors hominis opera cuiusdam animalis, in iure pauperies vocatur. Hinc etiam est homicidium, si abortus foetus animati cum mortis effectu causetur.

Mutilatio est « membri humani abscissio », nempe: alicuius partis proprium et distinctum actum habentis separatio a corpore humano Membrum ergo sunt: manus, pes, oculus,... etc. E contra non censentur a DD. membra digitus, dens et quid simile.

Quia sermo est de ss. ordinum impedimento, tum homicidium tum mutilatio proprie accipienda sunt et quidem effectu sequuto. Unde causans morbum aut vulnus homini etsi grave, si mors non sequatur, homicidium non aderit; sic etiam nec mutilatio, si tantum deformetur vel inutile reddatur aliquod corporis membrum, vel quod antea est inutile, abscindatur; dummodo haec duo successive ab eodem homine non patrentur. Homicidium aut mutilatio quandoque procedit ex privato facto, quandoque vi publicae auctoritatis; quod ultimum evenire potest vel in bello vel ex iudicio sanguinis idest: ex judicis sententia.

Occisio vel mutilatio hominis privato actu commissa distinguitur secundum rubricam citatam supra in *voluntariam* et *casualem*, inter quas communeratur quae aliquo modo est *necessaria*.

Iam vero occisio vel mutilatio dicitur voluntaria, quando occidens vel mutilans intendit mortem alterius vel mutilationem explicite aut saltem implicite, idest: actionem voluntarie ponens ex qua sciebat mortem vel mutilationem sequuturam ex illius natura. Haec descriptio limitanda est, nisi mortem aut mutilationem praedictas intulerit, causa legitimae defensionis; quia tunc stricte vocatur necessaria. Denique occisio vel mutilatio dicitur casualis,

quando citra necessitatis praefatae casum, accidit praeter occidentis vel mutilantis intentionem etiam implicitam sensu antea explicato.

De irregularitate contra eos qui homicidium voluntarium patraverint, nobis sufficiat cap. 7 sess. XIV de Ref. Conc. Trid. quod est sequentis tenoris: « Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari avelli debeat ». Haec ratio (Exodi 21) et relata in c. 1° h. t. cum multo magis urgeat in novo Testamento, cuius sacrificium pacificum in veteribus fuit significatum, « qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum sed occultum fuerit » quae duo sunt attendenda. « nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit,... sed omni ordine, ac beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo careat ». Quoad mutilationem autem voluntariam, constat irregularitas incurrenda ab eam patrante, quia in cap. 3 h. t. in 6° mutilans et homicida aequiparantur respectu incurrendae irregularitatis, ut infra videbimus; et Glossa ad *mutilet* in Clem. un, h. t. ait. « Nota: quod ad irregularitatem mutilationem homicidio comparari », atque idipsum a DD. receptum fuit.

Neque interest, utrum quis unum pro alio mutilaverit vel occiderit, quia occisionis aut mutilationis elementa non desunt, et qua tales sunt quidem voluntariae. Pariter irregularitatem non effugit, quicumque alteri vulnus intulit, aut venenum propinavit, idest: mortis aut mutilationis efficacem causam voluntarie posuerit, etiamsi antequam effectus naturaliter sequatur, poenituerit; cum haec resipiscentia nihil obstet voluntariae occisioni aut mutilationi.

Hic memoranda sunt ob materiae connexionem duo capita iuris, in quorum primo [1] Innocentius scribit: « Qui partem cuiuslibet digiti sibiipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones praecipiunt et Clericos fieri, et si in Clero fuerint reperti, non abiici ». Et subiungitur ratio: « In illis enim voluntas est iudicata, quae sibi ausa fuit ferrum iniicere: in istis vero casus veniam meruit ». Unde apparet non respici corporis defectum, sed voluntatis culpam, propter quam etiam sine proprie dicta mutilatione, illud faciens percellebatur irregularite.

Alterum caput est 3 « de corpore vitiatis ordinandis vel non » (I. 20), in quo agitur de irregularitate inflicta propter quamdam abscissionem, quae abscissio defectum corporis constituens, non propter hunc irregularitate percellitur, sed solum quando culpam secum ferat, prout patebit. Ibidem Clem. III ait: « cum secundum statuta Nicaeni concilii, illi ad clericatus ordinem prohibeantur accedere, et si etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui seipsos sani absciderint, (quid: subintelligitur hic per euphemismum, et exprimitur inferius), vel affectaverint, ut ab aliis abscindantur (et per sententiam praecedentem constituitur ge-

[1] C. 6 Dist. LV.

neralis norma, quam applicando subiungit): non credimus ei (Bartholomaeo cuidam monacho) impedimentum afferre, quominus possit provehi, qui in cunabulis sectus fuit: quia non videtur hoc eo tempore affectasse, quo iudicium animi non habebat, praesertim cum in canonibus Apostolorum sit manifeste sancitum, quod eunuchus si per insidias hominum factus, vel ita natus sit aut etiam in persecutione sint ei amputata virilia, et dignus sit, possit in Episcopum promoveri ».

Bona intentio autem non excusabat ab huiusmodi irregularitate, quando huiusmodi abscissionis moralem deformitatem non aufert, excusat vero a praedicta irregularitate iusta causa expostulans abscissionem. Nam in. c. 4 tit. eod. narratur « quod B. presbyter (credens se obsequium praestare Deo) fecit sibi virilia amputari », et respondet Clem. III : « Quocirca mandamus, quatenus si iam dictum Presbyterum alias Deo dignum inveneris, ei sacerdotale officium, absque altaris ministerio auctoritate nostra fretus, et tua, prout videris expedire, concedas ». Cum ergo dispensetur ab irregularitate solum partialiter, supponitur eam incurrisse. Atque in c. 5 subsequenti ait Inn. III : « Ex parte M. Presbyteri fuit propositum, quod cum sibi sentiret leprae periculum imminere, de consilio medici, virilia fecit sibi abscindi, ut posset a tam gravi infirmitatis vitio liberari : Quoniam igitur canones SS. Patrum, hunc a sacri altaris ministratione non prohibent. Mandamus quatenus si est ita... ut sui ministerii officium exequatur, liberam eis tribuas facultatem ».

Procedamus ad inquirendum de his personis que concursum praestant ad alterius homicidium vel mutilationem, ita ut participes fiant huius criminis. Secundum ius Romanum: « Singulorum proprium est maleficium », videlicet: homicidii vel mutilationis crimen in quod plures cum praemeditatione concurrunt actione propria, imputandum singulis secundum propriae actionis influxum. Hi omnes vocantur conrei, quorum aliqui sunt principales, videlicet: mandantes, consiliumque efficax praebentes, atque opem proximam necessariam praebentes; alii vero sunt conrei proprie accessorii, veluti: praebentes consilium quoad viam securiorem homicidii iam deliberati, auxilium non necessarium ad criminis exequutionem dantes, mutilationem non impedientes, favorem aut defensionem criminosis tribuentes ac similes. Quoad conreos accessorios non aderat irregularitas, utpote in iure non expressa, secundum DD. sententiam communem, aut propter fundatam eorum controversiam. Conrei vero principales, utpote causa vera moralis aut physica homicidii ac mutilationis voluntariae, consequentem incurrebant irregularitatem. Nam de mandante ac de consilium efficax praebente intelligenda est regula 72 Iuris in 6°: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum »; et de auxilium proximum ac

necessarium praebente communissima certaque erat in praxi sententia, testibus Card. D'Annibale atque Card. Lega [1]. « De eo qui opem proximam praebuit » ait Card. D'Annibale, « illum irregularem fieri communissima sententia est »; atque subiungit: « Ab illa non ausim recedere ».

Nunc videamus quibus iuris textibus hae assertiones innitantur. Si ab ultimo incipiatur, videtur posse certo probari ex c. 6 §. *Illi etiam* De homicidio; ibi enim legitur: « Illi etiam qui non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, paulo minori debent poena mulctari, quia constat ab homicidii reatu immunes non esse qui occisoribus opem contra alios praestare venerunt ». — Unde si de facto praestiterunt opem necessariam quidem ad homicidii patrationem, non iam *paulo minori* sed eadem poena mulctandi erunt, proindeque ut ipsius rei homicidii. — Eum, qui consilium efficax praebuit, sub nomine suggerentis comprehendit eiusdem capitis §. sequens: « Qui vero se asserunt animum Regis inflammasse ad odium, unde homicidium fuit sequutum: dure, et aspere, sed non ita severe sunt puniendi; nisi forte Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocassent ». Ergo in hac ultima suppositione, *ita severe sunt puniendi* ac homicida, utpote homicidae etiam ipsi. — Ultimo, de mandante loquitur expresse in c. 3 in 6° Bonif. VIII. « Is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat ». Additque motivum: « Cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare ». Ergo multo magis debet irregularis effici, qui mandatum occidendi vel mutilandi praebuit. Amplius: quia mandatum influit ad crimen usquequo mandatario nota fiat revocatio mandati, non excusaret mandantem ab irregularitate contrahenda, effectu sequuto, poenitentia interim habita cum revocationis voluntate, nisi eam revocationem mandatario patefecerit ante mandati exequutionem. — Nunc ipsum canonem considerantes, invenimus quod mandans actionem in qua de facto sequatur homicidium vel mutilatio, ab ipso prohibita, efficitur nihilominus irregularis, dummodo tres verificentur conditiones, videlicet: quod *mandando in culpa fuerit, hoc evenire posse* (moraliter) *debuerit cogitare,* atque ut *occisio vel mutilatio ex mandati exequutione* sequatur, etsi ob *mandatarii excessum.*

Quando praemeditatio deest atque conspiratio inter criminis socios, ita ut inter plures in rixa confligentes homicidium vel mutilatio sequatur, ille tantum est irregularis qui occidit vel mutilat, secundum illud iuris Romanorum [2]: « si rixa percussus homo perierit, ictus uniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oportet ».

Quae lex aptatur irregularitati ex homicidio in c. 24 h. t. ab Honorio III, qui ait... « quod, cum inimici Dominicae Crucis,... castrum quoddam, in quo

[1] Praelectiones... de iudiciis ecclesiasticis... Lib. II. vol. III. n. 312. — [2] 17 ff. ad leg. Cor. de sic.

morabaris, graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quam plurimi extiterunt. Unde cum pro eo, quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse: Mandamus, quatenus si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet », (ergo: a sensu contrario, si de interfectione cuiusquam non te remordeat conscientia, contrariam sequaris decisionem) et prosequitur Pontifex « a ministerio altaris abstineas reverenter: cum sit consultius in huiusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare ». Quae decisio praeterea concordat regulae canonicae sequendae solum a Presbytero, in casu quo dubitabat num auctor fuerit occisionis, non mutilationis, quae revera extitit. Hoc expresse traditur in c. 18 h. t. sequentibus verbis: « Quod si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interiit: *in hoc dubio* tanquam homicida debet haberi Sacerdos: qui scilicet etiam percussit: et si forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare: pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur ». Ex quo canone stricte interpretando, recte inferebant DD. quod in *praedicto dubio* sed de *homicidio tantum*, et *solum Sacerdos* tenebatur *a sola celebratione missae* abstinere. Et haec sufficiant ad plenam sequentium canonis praescriptionum intelligentiam.

Porro hucusque occisionem vel mutilationem consideravimus voluntariam, iam de occisione mutilationeque patrata omnino absque voluntatis actu atque de alia quae ob legitimam defensionem evenerit est agendum. De his adest Clem. un. h. t., quae sic se habet: « Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem ». Quoad primam partem adnotanda aequipollentia quoad irregularitatem iure recognita inter homicidium ac mutilationem, atque etiam ibi non contrahi notam irregularitatis, quia deest actus quicumque voluntatis, ideoque occisio vel mutilatio patratur quasi ab animali quod necessario instinctu operatur, et omnino involuntaria seu necessaria merito appellaretur. Quoad legitimae defensionis casum, animadvertantur conditiones hic expressae: 1ª ut mors propria aliter vitari nequeat, sed idem censetur de alterius innocentis ita... sequutura morte. Si ergo queat vitari fugiendo, solum percutiendo aut feriendo, clamando, etc., tunc Clementina ista non suffragatur; 2ª proprium occidat vel mutilet invasorem; unde non videtur approbanda eorum sententia qui volunt excusari ab irregularitate alterum etiam, qui occidit vel mutilat proximum suum, metu mortis vel mutilationis quae sibi alias minatae fuerant.

His tertia conditio est adiungenda, videlicet: ut ex circum-

stantiis appareat factum fuisse *non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam;* quod exemplo panditur in c. 18 h. t. supra citato, seq.[1] §°. « Si vero (quemadmodum perhibetur) Sacerdos iste, prius ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite percussit: quamvis vim vi repellere, omnes leges, et omnia iura permittunt: quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatae tutelae non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam: non videtur idem Sacerdos a poena homicidii penitus excusari: tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cum grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet laedi ».

349. **Irregularitas ex delicto homicidii, abortus aut mutilationis.** — « Sunt irregulares ex delicto » homicidii, seu peremptionis vitae alterius hominis: *4. Qui* I.° a) *voluntarium*, prout opponitur casuali vel necessario, equidem privata auctoritate, tunc enim proprie dicitur b) *homicidium*, vel quando publica iniuste quis abutitur auctoritate, c) *perpetrarunt* scilicet actionem ponentes mortis sequutae causam, v. gr. lethale vulnus infligendo, efficax venenum propinando, II° *aut* a) *fetus humani* sic vocati ob sequutum effectum humanae generationis b) *abortum*, seu eiectionem ex utero matris praematuram tempori ex natura debito; et propter seiunctionem huius praescriptionis a praecedente, sive fetus fuerit animatus sive non, vel etiamsi casu supervixerit; canon enim non distinguit, imo ampliat verbo: c) *procuraverunt,* quod fieri potest potionem abortivam propinando, vel ponendo voluntarie actionem ex qua ille sequatur, atque non minus suasione, minis, iussione, medici consilio propter salutis causam, sed propter hos et similes casus additur: d) aborti (vel homicidii) *effectu sequuto,* ex quo momento enascitur, quoad ius attinet, irregularitas; ac III° *omnesque cooperantes* alterutri delicto supra determinato, quos noscere oportet ex can. 2209, dummodo hi positivam dent operam delictum homicidii vel procurati abortus principaliter patranti.

Item « sunt irregulares ex delicto » mutilationis, 5° *Qui* a) *seipsos vel alios,* viros seu mulieres etiam infantes, nihil refert, *mutilaverunt* secundum propriam verbi significationem » (can. 18), et cum haec pars ob sequendam verbi proprietatem « ex parte tantum cum veteri iure congruat » excludens cooperatores sub n.° 4° comprehensos, aut partem digiti abscindentem, vel affectantes

etiam culpabiliter propriam abscissionem, « qua discrepat, est ex sua ipsius sententia aestimanda » (can. 6, 3°), idemque asserendum de sequenti parte prorsus nova ; sed nostris temporibus valde practica: b) *vel sibi*, non iam si alteri, quo casu nec praecedentem sub n.° 4° irregularitatem contrahunt, *vitam* forsitan parvo tempore duraturam ex proprio vel alieno iudicio, *adimere*, non tantum eamdem abbreviare eidemve nocere aliter, *tentaverunt* solummodo. seu effectu non sequuto, alias ridenda esset haec praescriptio.

350. **Ex delicto homicidii casualis**. — Homicidium casuale potest saepe accidere in chirurgiae exercitio. Cum vero hoc per ss. canones fuisset prohibitum, tum regularibus qui solemnia vota emiserunt, tum clericis in sacris, dubium mentem pulsabat circa irregularitatem inde sequuturam.

Ad huius solutionem ordinabatur cap. 19. h. t. in quo sapienter Inn. III sic distinguendo respondit: « quod licet ipse Monachus multum deliquerit, alienum officium (chirurgiae) usurpando, quod sibi minime congruebat ; si tamen (1°) causa pietatis, et non cupiditatis id egerit, et (2°) peritus erat in exercitio chirurgiae, omnemque (3°) studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium eius accedit (scilicet: mulier... vento se exposuit incaute, et sic per apertionem gutturis, cuius tumor cum ferro apertus fuerat, sanguis multus effluxit, et mulier diem ultimum sic finivit) non est adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare: alioquin interdicenda est ei sacerdotalis ordinis exequutio de rigore ». Animadvertatur responsionis distinctionem respicere tantum dispensationem, ut divina celebrare valeat ex misericordia, si omnes conditiones praedictae verificatae fuerint; ita ut si quaedam deesset, interdictionis rigor sustineatur. — Inn.i III autem responsio quoad irregularitatem, ac secundum DD., est: quod monachus idest: solemniter professus aut clericus in sacris chirurgiam exercens incidendo vel adurendo, si mors inde sequatur praeter intentionem, fieret irregularis; etiamsi « peritus erat in exercitio chirurgiae, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere ».

Cum vero causa necessitatis excuset a lege, si propter necessitatem infirmi, regularis vel clericus praefati chirurgiam servatis conditionibus praedictis exercuerint, erunt ab irregularitate immunes, quia tunc abest quodcumque delictum et etiam culpa civilis seu iuridica; ac necessitatis casui aequiparandum fuit habitum iudultum apostolicum, si quandoque missionariis tribueretur.

Hanc servans irregularitatem cum determinatione, ipsamque ad alios extendens, statuit canon sub *n.° 6°*. « Sunt irregulares ex delicto » homicidii casualis: *Clerici* scilicet: « Qui divinis mini-

steriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (can. 108, § 1), non alii qui licet religiosi hodie vetito can^{s}. 139, § 2 quoque obligati, utpote quod in iure veteri non comprehendebantur, a) *medicam* absque incisione vel ustione b) *vel chirurgicam* incidendo vel urendo, alterutram *artem* scientificam certe, quae definiri potest « recta ratio factibilium ad sanitatem corporis recuperandam », ast a) *sibi vetitam,* non in discendo eam, sed in utendo ad normam can. 139, « sine apostolico indulto » *exercentes*, prout plenius ad cit. can. declaratum est; attamen nec talis transgressio sufficit ad irregularitatem causandam, quia legalis eius origo est: b) *si exinde* (non alia de causa) scilicet: ob remedia praescriptione ipsius clerici, vel ab eo adhibita, *mors sequatur.*

351. **Ex delicto per sacri ordinis exercitium.** — Ultima in canone irregularitas recensita est proveniens ex vetito ordinum exercitio, quam incurrebant ex iure Decretalium: 1) exercentes ordinem non susceptum ex tit. 28, Lib. V « De clerico non ordinato ministrante », 2) exercentes ordinem vere susceptum, sed propter censuram iam incursam impeditum ex Tit. 27 Lib. V « De clerico excommunicato, deposito et interdicto ministrante » et 3) celebrantes in loco nominatim interdicto, iuxta cap. 18, § 1. « De sententia excommunicationis... Tit. 11, Lib. V in 6°.

Oportere nobis videtur, iuris veteris relationi praemittere interpretationem canonis sub *n.*° 7°. « Sunt irregulares ex hoc delicto » *Qui,* sive laici, sive clerici, ut asserebat praeferenda opinio, *actum* a) *ordinis* saltem partialem v. gr. sacramentalis absolutionis, non solius iurisdictionis, vel ecclesiasticae administrationis v. gr. per concessionem indulgentiarum, b) *clericis in ordine sacro* saltem subdiaconatus *constitutis* c) *reservatum* ad minus ob insignia et modum quo ille exerceatur, v. gr. epistolam canere in missa indutum sericis cum manipulo, d) *ponunt,* et in hoc est situm delictum sub alterutra sequenti « ponentis actum » conditione I° *vel eo ordine*, cuius est proprius actus, *carentes* propter invalidam vel non receptam ordinationem ipsam, II° *vel ab eius* « ordinis » sicut sub I°, sed vere recepti *exercitio poena canonica*, quae in can. 2215 vocatur « ecclesiastica et est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta », sed quaecumque illa sit, quia subditur a) *sive personali*, quae personam directe respicit, et iuxta can. 2216 (exclusis « remediis poe-

nalibus et poenitentiis », quae ad rem quod attinet non habent locum) « poena canonica » distinguitur complete per verba: *medicinali aut vindicativa*, b) *sive locali,* verbo adiuncto propter interdictum locale vel cessationem a divinis, quae directe locum afficiunt, *prohibiti,* praefatum delictum patrantes in huius prohibitionis sive a iure sive ab homine factae transgressione. Valde facilior sed simul amplior reddita est huius irregularitatis disciplina, ut videri potest ex eiusdem comparatione cum praecedenti Auctorum doctrina ab invicem in nonnullis dissentientium.

352. Ius praecedens de postrema ex delicto irregularitate. — In cap. 1 « de clerico non ordinato ministrante » Hormisda Papa dicit: « Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, et numquam ordinetur ». Quidam DD. dicunt caput hoc limitandum esse ad clericos, iuxta rubricam Tituli. Sed nihil refert, quia rubrica imperfecta solum adhibenda est pro interpretatione, quae hic necessaria non est; verba enim capitis utpote aperte generalia comprehendunt etiam laicos, in quibus etiam temeritas huiusmodi maior dici potest; et in veteribus codicibus Corporis iuris legitur: « De non ordinato ministrante ».

Sed ordo non susceptus exercendus est solemniter, idest: ex officio ac sicut a non ordinatis exerceri nequit in hodierna disciplina.

Delictum hic consideratum evidenter in usurpatione ministerii ordinis non recepti consistit, secundum verba: « aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus ». — Et hoc debet fieri cum temeritate, quia « *propter temeritatem* statuitur » quod « numquam ordinetur ». Proindeque cum conscientia quod ordinatus valide non sit, debet ordinis actum ponere, ac etiam cognoscere illum actum esse ordinatorum proprium, et quidem in materia gravi prout irregularitas inflicta exposcit. Quae valent etiam in canone.

Applicando hanc doctrinam singulis ordinibus, sacerdos qui in latina Ecclesia confirmationem audet ministrare sine R. Pont.is privilegio, aut clericos ordinare, sacra olea conficere, consecrationes peragere, vel alios episcopalis ordinis actus exercere, fit profecto irregularis.

Etiam irregularis evadit diaconus, extremam unctionem administrans, Missarum celebrationem usurpare praesumens qui iuxta cap. 2 h. t. « ad Sacerdotis officium non poterit promoveri », vel poenitentem sacramentaliter absolvens (contra cap. 6, sess. XIV in Conc. Trid.), non vero si Eucharistiam ministret, quamvis licentiam in casibus requisitam non obtinuerit. Alii vero inferiores clerici eucharistiam ministrantes fierent irregulares, cum potestas haec ad ordinem diaconatus saltem pertineat.

Praeterea irregularitati non subiacet diaconus baptizans extra casum necessitatis, etiamsi non habeat licentiam, nec sacerdos confessionem audiens et invalide absolvens ob defectum iurisdictionis, vel a reservatis absque iurisdictione in ea, aut matrimonio assistens invalide; quia in his casibus etsi peccatum a singulis committatur, hoc evenit propter defectum licentiae, iurisdictionis, officii ac deputationis, non ex defectu requisitae potestatis ordinis quoad huius exercitium.

Denique irregulares non sunt censendi, subdiaconus, clerici minores, et laicus respective diaconatum, subdiaconatum, et ordines minores praeter exorcistatum exercentes, absque illis indumentis quae adhibentur ut insignia uniuscuiusque ordinis: et quoad ordines minores, praeter exorcistatum, etiamsi laici acolytatum vel lectoratum exerceant iuxta hodiernam praxim.

Irregularitati contra exercentes ordinem proprium sed cum suspensionis incursae transgressione, clerici tantum subiacere poterant, ut patet. Huius mentio irregularitatis non habetur in Gregorii IX Collectione, ac in Decretalium Sexto supponitur communiter recepta et declaratur. Videtur ergo inductam fuisse moribus. — Praeterea cum sit ex delicto et hoc grave requiratur, haec irregularitas non incurretur a clerico etiam censurato, quando ponatur actus censura non prohibitus, vel saltem non graviter; aut quando censura non urget, vel propter vitandam infamiam, vel quia suspensi tolerati ministerium a fidelibus licite exigatur, aut alia de causa. Ob censurae transgressionem hanc irregularitatem sequi ab omnibus DD. asseritur.

Sed iuxta cap. 20 de verborum significatione (V. 40)... « per censuram ecclesiasticam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi ». De excommunicatione nullum dubium est solvendum; sed in cap. 10 h. t. Greg. IX ait: « Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit... ». De suspensione autem cum haec possit esse censura vera pro emendatione, suspensio-poena ob crimen omnino praeteritum vindicativa, et suspensio-prohibitio simplex, distinguenda fuerunt certa a controversis. Sed nunc distinctio ac controversiae sublatae sunt per Codicem, illasque omittendas censemus.

De irregularitate propter interdicti violationem, inveniuntur duo textus in iure can. Scilicet: cap. XVIII De sent. exc. in 6° ubi cavetur: « Is vero, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, (nisi super hoc privilegiatus existat, aut a iure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit; a qua nequit per alium, quam per Rom. Pont. liberari ». Atque in c. 20 eod. tit. in 6° invenitur: « Is, cui est Ecclesiae interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) » et cum haec sit ratio decisionis, eadem applicanda fuit interdicto a divinorum celebratione; « irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio,

sicut prius ». Unde sive interdictus ab ingressu Ecclesiae, si celebrat in ea, sive cui est divinorum celebratio interdicta, transgrediens hoc interdictum, certo fiunt irregulares secundum hoc caput.

Hic utiliter memorandum est, quod legitur in prima parte cit. cap. 18. « Is, qui praesentibus maiori excommunicatione nodatis, scienter celebrare praesumit : licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit ». Quod nunc de excommunicatis vitandis intelligendum est.

353. **Conditiones delictorum ad contrahendam irregularitatem.** — Irregularitas ex delicto, cum istud praesupponat, cui iure coniungitur, non potest incurri nisi ab eis, qui scientes et volentes illud patrant. Quod implicite asserit *can. 986. Haec delicta*, nempe: in can. 985 sub 7 numeris recensiti actus *irregularitatem non pariunt* ad originem ex facto subiecti quod attinet, *nisi fuerint* a) *gravia,* ut DD. asserebant, ad hoc quod servetur proportio inter impedimentum inde sequutum et *peccata* in conscientia operantis considerata, b) *post baptismum perpetrata*, quae conditio pro defectu irregularitatem causante non est necessaria, iuxta illud Innocentii I [1]: « in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur », additque canon: *salvo praescripto can. 985, n. 2*, nam illud delictum consummatur per baptismi susceptionem, hanc tamen permittentis grave peccatum voluntatis praevie committitur, c) *itemque externa,* quod verbum ne inutile asseratur, debet interpretari quoad gravitatem supradictam et formalem actuum malitiam, quae externe appareant, utpote materia legis ecclesiasticae, cum e contra nihili intersit *sive publica,* pluribus nempe nota, *sive occulta* sint, forsitan delinquenti solummodo alterive cognita, quia irregularitas est ipso iure inflicta nullam requirens delicti probationem.

E contra ad irregularitatem ex defectu, sufficit, ut hic verificetur modo ac circumstantiis, prout determinatur a canone irregularitatem illam infligente. Propterea cum huiusmodi defectus accidere possit, ignorante subiecto, sicut in defectu natalium, vel eodem nolente quemadmodum in brachii defectu violenter amputati, imo subiecto virtuose operante, sicut in defectu lenitatis ob sententiam mortis iuste prolatam; sequitur huiusmodi irregularitates incurri posse ab eo qui eisdem omnino adversatur. Atque

[1] C. 13, Dist. XXXIV.

ob rationem Innoc[i]. I supra citatam patet, ex praedictis defectibus contractis ante baptismum, hoc suscepto supervenire irregularitatem. Nec obiiciatur absonum esse: ut ex tam efficaci sacramento in bonum, irregularitatis prius non existentis malo subiectum irretiri. Nam evanescit difficultas ex consideratione quod per baptismum consequitur illius subiectum habilitatem ad ordines suscipiendos, a quibus maxime distabat, quamvis propter defectum antea existentem simul et legem canonicam, cui non prius sed nunc subiicitur, remaneat exclusum ab ordinibus licite tantum recipiendis. Et in hoc nihil apparet rationi minus congruum.

354. **De aliis sacrae ordinationis impedimentis.** — *Can. 987. Sunt simpliciter impediti:* scilicet impedimento communiter appellato, non peculiari nomine sicut irregularitas; atque uti ab illa distinctum ex natura sua non erit perpetuum, sed temporis decursu vel sola illius subiecti industria etiam auferendum; quamvis eiusdem perdurantis sint effectus iidem ac ex irregularitate provenientes ad normam can. 968.

355. **Ob parentem acatholicum.** — Sequenti modo enumerantur illi: *1°. Filii*, non iam nepotes ex linea paterna iuxta Declarationem C. S. Officii [1] « Haereticos ad fidem catholicam conversos (sub can. 985, 1° quandoque comprehensos) ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat esse irregulares, ideoque dispensatione indigere, ut ad tonsuram et ordines promoveantur », quae declaratio fuit data secundum cap. 15 De haereticis (2 V) in 6°: et data interpretatio nunc authentice constat ex sequenti dubii solutione [2]: « Utrum nomine *filiorum*, de quibus in can. 987, § 1, intelligendi sint tantum descendentes in linea paterna usque ad primum gradum. Resp. Affirmative »; sed in canone additur: — *acatholicorum*, non solum « haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, (quorum) filios esse irregulares etiam in Germania aliisque in locis ubi impune grassantur haereses », seu ex haereticis natos ac educatos in ea, constabat iuxta Declarationem iuris praecedentis a Congr. S. Officii datam [3]; sed ex Codice: parentum, qui vel pagani, vel in haeresi aut schismate fuerunt semper, vel in alterutram prolapsi,

[1] 14 Dec. 1890. — [2] Commiss. Pont. ad ss. can. auth. interpret.s 14 Iul. 1922. CO. XIV, 528. — [3] 25 Iul. 1866.

vel apostatae a fide, quia proprie non sunt catholici, omnes hi ut parentes intelliguntur a canone addente conditionem perduraturi impedimenti: *quamdiu parentes*, nempe: tam pater quam mater, vel solum alteruter, ut infra, *in suo errore* adversus fidem catholicam, ut supra, *permanent*, « vel mortui sunt » congruenter iuri praecedenti (can. 6, 2°), quia permanentia per mortem, quando in errore persistunt, firmatur in aeternum [1]. In eadem ratione concor-

[1] Hanc interpretationem sustinemus usquequo authentica declaratio contraria prodeat, quamvis Doctor aliquis privatus eam improbabilem censuit. In eius interpretationis fulcimentum consideretur ius vetus contineri in cap. 15 « de haereticis » in 6°, iuxta haec verba: « Statutum felicis recordationis Innoc. et Alex. praedecessorum nostrorum, ne videlicet haeretici, credentes, receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad aliquod beneficium ecclesiasticum, seu publicum officium admittantur: quod si secus actum fuerit, sit irritum et inane ». Additque Bonif. VIII interpretationem, quam sequi oportet, « quia can. 987 n. 1° cum illo iure veteri congruit » (can. 6, 3°). « Hoc sane de filiis... haereticorum, credentium et aliorum huiusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur: non autem illorum quos emendatos esse constiterit, et reincorporatos Ecclesiae unitati, etc.:... ».

Talem Bonif. VIII interpretationem referunt Declarationes Congr. S. Officii diebus 24 Iul. 1886, et 14 Dec. 1890. Si ergo eandem exprimunt sufficienter verba can. 987. « Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent », talem iuris veteris interpretationem retinere oportet. — Nec moveat lectorem textus Libri Sapientiae de lamentatione damnatorum: (V, 6) « Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non illuxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis ». Nam haec dicent ex evidentia signorum commoti, sed ab errore suo non recedent. Agitur enim de errore contra fidem catholicam, cuius veritates utpote supernaturales, deficiente gratia, nec cognoscent, nec volent cognoscere propter pervicaciam in prava eorum voluntate.

Nec obiiciatur in casu mortis parentis acatholici mutari simplex impedimentum in irregularitatem, dum hic canon dicit filios illorum esse simpliciter impeditos. — Resp. negando talem mutationem. Considerare oportet veram distinctionem iuridicam inter hanc et illud. Simplex impedimentum sicut et irregularitas habent communem prohibitionem suscipiendi ordines atque exercendi, posita in subiecto causa huius prohibitionis. Sed differentia sita est, quod in respectivis canonibus, posita semel illa causa prohibitionis, haec in perpetuum manet, quando agitur de irregularitate; e contra in canone ubi recensentur simplicia impedimenta, expresse indicantur circumstantiae a parte rei, quae si eveniant cessat impedimenti prohibitio, etiamsi causa huius perseveret. Sicut in casu nostro nativitas ex uno saltem parente acatholico est causa prohibitionis ratione simplicis impedimenti. Sed hoc non est iure perpetuum, quia idem canon exprimit parentis conversionem, uti modum cessationis huiusmodi impedimenti. Ex dictis sequitur prohibitionem ex irregularitate cessare tantummodo per dispensationem, vel implicitam v. gr. in sollemni professione, vel explicitam in aliis casibus, dum prohibitio ex simplici impedimento habet cessationem in canone pro singulis numeris expressam, ac praeter illam obtineri potest dispensatio.

Hinc indifferens est, quoad iuridicam notionem ac vim, num in ca-

dandi canones iuri praecedenti (eo quod « in dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum » can. 6, 4°) videtur innixa solutio in plenariis comitiis Emorum Patrum Pont.ae Commiss. ad Cod. canones auth. interpretandos data [1] dubii « 13. Utrum, ad normam can. 987, impeditis adnumerandus sit is, cuius pater vel mater tantum est acatholicus, alter parens catholicus. Et, quatenus affirmative, an etiam eo in casu, quo matrimonium mixtum datis cautionibus cum dispensatione in hoc vetito contractum fuit Resp.: Affirmative in omnibus ».

356. **De coniugatis non ordinandis.** — Sequitur in canone: 2°. *Viri uxorem* sic proprie vocandam propter matrimonium cum viro saltem putativum, et quousque illius vinculum non solvatur, illi vere dicuntur: *habentes*. Igitur mortua uxore, legitimeque soluto matrimonio, vel eius invaliditate declarata, nihil ordinationem viri eius impedit. Sic melius est provisum quam in praec. iure, quando ex uxoris consensu vir promoveri poterat, sub conditionibus pro diversitate casuum ex praxi S. Congr. Conc. interpretante cap. 5 de conversione coniugatorum (tit. 32, Lib. III) in quo statuit Alex. III. « Nullus coniugatorum est ad ss. ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus ». Ad rem faciunt quoque cap. 6 eiusdem Summi Pontif. ac Tituli et plenius Extrav. Ioannis XXII unica Tit. VI « De voto et voti redemptione », cui multum derogatum est in Codice, quibus omnibus praecesserat cap. 4 de temporibus ordinationum... (9, I) in 6.° ubi legitur: non est conferenda clericalis tonsura, « coniugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad ss. ordines promoveri ». Quae hodie minime sufficiunt.

357. **Quoad ordinandorum libertatem** recte monet S. Leo M. [2]: « Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinae militiae est aggregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur». Quadruplex immunitas seu libertas invenitur in praec. iure canonico esse necessaria ordinando, scilicet: a servitute proprie dicta secundum Titulum « De servis non

---

sibus singularibus, vel irregularitas per accidens fiat aliter ac dictum est, aut e contrario in casu per accidens firmatur impedimentum simplex ex defectu cessationis in canone recognitae.

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI-478. — [2] Cap. 1, Dist. LIV.

ordinandis « (I, 18), a ratiociniis reddendis, iuxta Titulum « De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non » (I, 19), a servitio militari, prout determinant Instructio S. Congr. Inq.[s] [1] ad Ordinarios Italiae, analoga Instructio S. Cong.[s] de disciplina regulari [2] et Dec.[m] « Inter reliquas » S. Congr.[s] de Religiosis [3], ac denique ordinando opus est libertate a mulieris lege, ad normam Tituli « De conversione coniugatorum » (III, 32). De his ultimis dictum est satis.

358. **De obligatis ad ratiocinia** ordinandis vel non, extat unicum cap. ex Conc. Carthag. ubi « Magnus Episcopus Augustinus dixit: procuratores, actores, exequutores, seu curatores pupillorum, si debeant ordinari. — Gratus Episcopus dixit: Si post deposita onera, et reddita ratiocinia, actus vitae ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude Dei (si postulati fuerint honore munerari: si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur », nempe: si deprehendatur infidelis, quando rationes reddit. « Universi dixerunt: Recte statuit Sanctitas Vestra, ideoque ita est nostra sententia ».

Huic iuri concordat canon 987, dum recenset inter « simpliciter impeditos » sub *n.*° *3.*° eos *qui* sive clerici, sive laici quoque, quamvis licite a) *officium vel administrationem gerunt*, seu exercent, scilicet: « officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt (can. 139, § 2), atque gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum » (ib. § 3), etc. b) *clericis vetitam*, illa « sine apostolico indulto » haec « sine licentia sui Ordinarii », prouti omnia sunt ad illum canonem declarata, sed conditio limitans impedimentum alteriusutrius est: c) *cuius* « officii vel administrationis » praedictae *rationes reddere debeant*, ita ut vetitum ordinationis, seu melius impedimentum numeri huius perduret: *donec*, a) *deposito officio et administratione* iam declaratis, quae prosequi nequirent libere post clericalem assumptum statum, vel gerere nequeunt in eo positi ob licentiae defectum, b) *atque rationibus* eorum insuper *redditis*, non prius, c) *liberi* ob harum adprobationem saltem tacitam *facti sint* secundum officii administrationisve qualitatem.

359. **De servis non ordinandis.** — Si quolibet in loco servus proprie dictus invenitur, sequens caput 2 cit[i]. Tit[i]. servandus erat:

[1] 16 Sept. 1875. — [2] 27 Nov. 1892. — [3] 1 Ian. 1911, CO. III, p. 37.

« De servorum ordinatione: Statutum est, ut nullus Episcoporum deinceps ad sacros ordines eos promovere praesumat, nisi prius a dominis libertatem fuerint consequuti. — Et si quilibet servus fugiens dominum suum, qualibet calliditate vel fraude ad gradus pervenerit ecclesiasticos, decretum est, ut deponatur, (nunc prohibetur ordines exercere ad normam can. 968, § 2) et eius dominus eum recipiat ». Et iuxta Glossam in cap. 7: « si quis, ignorante domino, subdiaconus fiat, vicarium pro se praestet, aut si non habet, ipse reddatur ». Unde patet servitutem veram constituisse proprie dictam irregularitatem. Hoc « ius vetus ex integro refert » canon sub n.° 4°. *Servi,* non domestici deservientes apud nos, sed *servitute proprie dicta,* qua distinguuntur a liberis civibus, etsi non sit servitus tam stricta sicut in Romanorum iure quando ut res domini considerabantur, *ante acceptam libertatem* sufficienti modo ad legum morumve regionis normam.

360. **Propter militare servitium.** — Instructiones supra citatae utiliter consuluntur, quamvis una earum non fuerit data nisi pro Italia, poterat autem deservire uti norma pro aliis regionibus, ubi eadem lex de militari servitio lata fuerit. Substantialiter conveniunt cum Dec.° etiam citato S. Congr.ᵉ de Religiosis. Videlicet: « I. In Ordinibus regularibus, in quibus vota sollemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad sacros Ordines, vel ad sollemnem professionem (quod ultimum etiam nunc vigere declaravit S. Congr. de Religiosis) [1] quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint... ». Postea sequuntur in tribus praefatis documentis cautelae servandae, sive tempore militaris servitii pro sacerdotali ac religiosa vocatione custodienda, sive post militare praestitum servitium ad comprobandam illius vocationis perseverantiam, suppositis laudabilibus informationibus quoad vitam in servitio militari servatam.

Praetermissa ergo hac Decreti parte ibidem utiliter legenda ut norma directiva, praetereundus silentio non est art. « IX. Hisce praescriptis teneantur etiam ecclesiasticae Societates, quae licet non utantur votis, neque sollemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur ». Ergo etiam Congregationes religiosae votorum simplicium, quae sunt expresse comprehensae sub citata Instructione S. Congr. de disciplina regulari.

Patet igitur hinc translatam fuisse partem canonis quem commentamur, dum hic recenset sub n.° 5° eos *qui,* sive laici, sive

[1] 15 Iul. 1919, CO. XI, 322.

religiosi, sive clerici, non prius ab hoc impedimento dispensati, a) *ad ordinarium militare servitium*, scilicet: « activum » in Decreto vocatum pro more regionum, sed minus proprie, « quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent » b) *civili lege* equidem adversus immunitatem ecclesiasticam implicite in can. 141, sicut ibidem dictum est, vindicatam, c) *adstringuntur* morali necessitate, ubicumque lex vigeat; non si deficiat unum alterumve praedictorum, v. gr. si subeundum sit extraordinarium servitium etsi peculiari lege praescriptum tempore belli aliave de causa, vel si quis a lege ordinarii servitii exemptus sit iuxta illam qualibet ex causa. — Alioquin praedicti ab ordinibus impediuntur *antequam illud* « ordinarium militare servitium » supra declaratum *expleverint* de facto, etsi ante legalem aetatem, nec sufficit quod dilatum in aliud tempus fuerit ex infirmitate aliqua, vel legali motivo, iuxta sequentem declarationem Pont.ae Commis. ad Cod.s can.s auth. interpretandos [1]: « 1. Utrum ad sensum can. 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati. Resp.: Ad 1m Affirmative ».

361. **De neophytis.** — Sic proprie appellantur « recenter baptizati in aetate adulta ». Conc. Nic. I can.e 2 vetat eos ordinari in episcopos et sacerdotes, Conc. Arelatense II can. 1 in diaconos et sacerdotes, Conc. Sardicense can. 13 in episcopos, presbyteros et diaconos. Quamquam vero canones de aliis interioribus gradibus sermonem non habeant, tamen certum est, saltem in hodierna disciplina, neophytum nec illos recipere potuisse, cum sint praeparatio et via ad gradus hierarchicos. Ratio huius impedimenti est, quia neophytus non praesumitur satis firmus et instructus in fide, quae per charitatem operatur; ac insuper non decet illum, qui nuper Christo natus est per baptismum, aliorum ducem per ordinationem constitui, ac tandem ad clericalem dignitatem evectus, in altioribus praesertim gradibus, neophytus facile posset in superbiam efferri iuxta illud D. Pauli loquentis de Episcopis [2] quod « oportet esse... non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli ». Hinc provida S. Mater Ecclesia sic temperatam retinuit an-

[1] 2-3 Iun. 1918, CO. X-344. — [2] I ad Tim. III, 6.

tiquam disciplinam sub n. 6°, huius canonis: « Sunt simpliciter impediti » *neophyti*, ut supra declarati sunt, *donec* cessent tales esse ad animae vitam supernaturalem quod spectat, quae non annis sed gratia charitateque mensuratur, seu ut ait canon, *iudicio Ordinarii*, propter obiectum fori externi de quo agitur, *sufficienter probati fuerint*, velut in fide stabiles ac in opere efficaces.

362. **De infamibus.** — Sequitur in canone sub n. 7°. *Qui infamia facti*, quae « contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium », ut decernit can. 2293, § 3, et huic ac reg.ae Iuris 87 Iuris in 6° « Infamibus portae non pateant dignitatum » concinens can. praesens repellit ab ordinibus eos, qui, praedicta « infamia » semel contracta *laborant*, velut ea gravati, *dum ipsa, iudicio Ordinarii* ad normam can. 198, § 1, *perdurat*, quae perduratio diversa est ex natura delicti, pravorum morum e quibus provenit, ex publicitate atque in moribus nostris ex poenis infamantibus, quae v. gr. poena relegationis, damnationis laboribus coactis, et ipsa carceris poena inflictae fuerunt a laico iudice.

363. **De ignorantia circa incurrendas irregularitates aliaque impedimenta.** — Certum est ex canone 986 et adiectis ad explicationem eius, omnes defectus mentis ac voluntatis, qui grave peccatum excludunt, v. gr. ebrietatem, amentiam, somnum, violentiam, excusationem irregularitatum ex delicto continere, ita ut illae non incurrantur, et e contra nihil influere quoad irregularitates ex defectu. Circa ignorantiam vero Auctores non fuerunt unanimes quando tractarunt de illis ex delicto propter conceptum earum poenalem iuxta ipsos, ac praesertim quoad impuberes. Haec dubia diluit Codex sibi constans circa irregularitatum naturam, declarante *can. 988. Ignorantia* etiam inculpabilis *irregularitatum*, aut iuris, nempe: can. 984, 985, in singulis horum numeris ac 986, proinde *sive ex delicto sive ex defectu*, aut facti, videlicet: an iste vel alius defectus, an istud vel aliud peccatum sit origo irregularitatis, supposito certo sensu illorum canonum, *atque* alterutra declarata ignorantia *impedimentorum*, quae in can. 987 explicata sunt, *ab eisdem* respective irregularitatibus et impedimentis incurrendis *non excusat*, seu quoad ea incurrenda vel secus minime influxum exercet.

364. **De multiplicatione illarum eorumque.** — *Can. 989. Irregularitates,* tum ex defectu, tum ex delicto, *et impedimenta* singula can.s 987, a) *multiplicantur*, tam in diversis subiectis, quod ut evidens non intenditur a canone, quam in eodem subiecto eorum, *ex diversis eorumdem causis* quae exprimuntur, quoad iuris originem, quae est formalis causa, in diversis canonum numeris, vel in eiusdem numeri distinctis partibus secundum datam interpretationem, quoad subiectum vero tamquam materialis causa ex huius diversitate, atque in hoc nulla fuit Doctorum dissensio, imo haec multiplicatio potest evenire uno eodemque actu, v. gr. si quis vitam sibi adimere tentaverit eodem ictu, quo alium voluntarie occideret. E contra fuerunt opiniones Auctorum de quaestione: an multae cumularentur in subiecto irregularitates propter iterationem actus, praesertim quando idem esset obiectum delictorum. Nam ex unoquoque defectu v. gr. corporis, etsi quoad diversa eveniat membra, ipsa causa quidem augetur sed eadem numero remanens irregularitatem multiplicare non valet. Legislator autem quaestionem generaliter resolvit, decernens: b) *non autem* multiplicantur numero in eodem subiecto, quia in distincto subiecto multiplicari est evidens, tam irregularitates quascumque etsi ex delicto ortas, quam impedimenta, *ex repetitione* ab eadem persona *eiusdem causae* formalis ut supra, secundum adiectam exceptionem; *nisi agatur de irregularitate* sub n. 4° *ex homicidio voluntario,* quod perpetretur, et proprie sumptum prout discernitur ibidem a procuratione abortus; attamen sub exceptione canonis includitur sive craniotomia sive abortus perpetratio, dum alterutro in casu, infans forsan crudeliter occidatur.

Obiici potest contra dispositionis aequitatem, quod irregularitates ex delicto oriuntur ab eo, velut ex causa proxima. Plura vero delicta eiusdem causae canonicae posse ab eodem subiecto patrari, nemo est qui ambigat et Codex praesupponit. Quamobrem multiplicato delicto, utpote causa efficiente, consequi debet effectus, scilicet: irregularitatis multiplicatio, quin ad rem substantialiter pertineat obiectum delicti multiplicari vel secus. Hinc videretur, canonem non recte distinxisse inter delicta cetera homicidiumque voluntarium. Ad solvendum argumentum hoc sententiae contrariae animadvertatur, irregularitatem non esse quid physicum de quo ratio, etsi non semper, urgeret, sed iuridicum effectum omnino in legislatoris voluntate praecipue positum, nec in tali irregularitate considerari effectum proprium, nempe: ordinum recipiendorum exercendorumque prohibitionem, quae manet una, quantumlibet irregularitatum causae multiplicentur; sed respici solummodo ipsarum dispensationem, quae tanquam solutio vinculorum

potest ad omnes vel ad aliquam extendi iuxta precantis manifestationem, cui annuat totaliter vel partialiter voluntas dispensantis: et hoc praecise attendit distinctio a legislatore praescripta, ut patebit in can. 991.

365. **Ius praecedens quoad ordinariam et ex privilegio facultatem ab irregularitatibus dispensandi.** — Imprimis in Conc. Trid. invenitur c. « Liceat » VI sess^{a}. XXIV de ref. sequentis tenoris: « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare » : posteaque circa aliam materiam prosequitur.

Exponimus breviter praelaudatum caput, sed notandum 1^{0} hic sermonem esse de potestate ordinaria, annectitur enim officio Episcopi vi iuris communis, nulla mentione facta circa delegationem, et 2^{0} hoc decretum non viguisse, si alicubi Conc. Trid. receptum non fuit quoad partem disciplinarem, quia non est aequum commoda ex Conc. Trid. obtinere eos qui eius onera non subeunt. — Quoad intelligentiam praefati capitis sciendum est, nomine Episcopi comprehendi ipsos Episcopos tantum exclusive quoad omnes alios, uti declaravit S. C. C. ceu referunt Suarez [1] et Fagnanus [2]. Eam igitur non habebant ex tali Dec. nec praelati inferiores, nec Archiepiscopus quoad subditos Suffraganeorum, nec superiores regulares de quibus tamen postea, nec Cardinalis in proprio titulo, et Vicarius generalis indiguit speciali mandato.

Si agitur de promovendo, ille episcopus dispensabat ad cuius dioecesim pertinebat candidatus, seu cuius clero erat adscriptus, aut Episcopus proprius qui ordinationem tribuebat; si agatur de ordinibus susceptis exercendis, dispensare poterat episcopus dioecesis in qua clerici domicilium habebant, etsi ad aliam dioecesim pertinerent, sed sufficiebat in utroque casu subiectio ex quasi-domicilio uti declaravit S. C. C. ceu refert Garcias [3], nec episcopus familiaritatis dispensare poterat prout constat ex decl. eiusdem Cong. [4].

Porro Episcopis in cit. cap. tribuitur potestas dispensandi in solis irregularitatibus ex delicto. Et exigitur insuper ut delictum sit occultum seu remotum a publica notitia. Non est vero occultum quando iis personis innotescit, quae aut plures numero sunt, aut propositum habent reddendi illud publicum sive per deductionem in iudicium sive per divulgationem. Quoad numerum personarum non potest dici publicum quod notum est in oppido sex personis, in civitate octo, aut ad summum decem in civitate valde populosa. Sed potius quam numerus, pensanda fuerunt indoles et propositum eorum qui delictum sciebant. — Hoc criterio relativo arbitramur intelligendam responsionem a Fagnano [5] relatam qua S. C. C. edixit, non esse occultum delictum patratum coram duobus vel

[1] De censuris, disp. XLI, sect. II, n. 7. — [2] Comm. cap. 15 De temp. ordin. n. 26. — [3] De beneficiis, p. XI, cap. X, n. 239. — [4] 5 Febr. 1604. — [5] Comm. ad cap. 4 De cohabit. cler. et mul. n. 106 seq.

tribus testibus, quippe hi in iudicio rem probare valent. Revera hoc factum non est absolute occultum, sed aestimari debet occultum, si hi duo vel tres testes factum neque divulgarent, neque intenderent probare aut divulgare. Sed quoad publicitatem quae limitat in Episcopo potest.[m] disp.[i] necesse erat ut factum dignosceretur a pluribus qua est delictum et fons irregularitatis. Nimirum delictum debebat esse occultum formaliter. Huc pertinet sequens decretum: Cum quaesitum fuisset « An vigore cap. VI sess. XXIV de Ref., possit episcopus absolvere ab irregularitate proveniente a delicto, quod licet publicum in se, tamen tamquam causa irregularitatis occultum censeri potest, quia licet actus publicus sit delictum, publice tamen nescitur esse delictum: die 9 Sept. 1582 S. C. censuit, quando delictum ex quo *remote* provenit irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente, irregularitas incurritur, occultus sit, episcopum dispensare non posse, veluti si publice excommunicatus vel notorie simoniacus occulte Missam celebraverit; quod si delictum *a quo remote provenit irregularitas* occultum est, ut puta excommunicatio vel fornicatio, actus vero Missam celebrandi, ex quo *immediate* irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus episcopum ab omni irregularitate absolvere ex dicto cap. VI ».

Conc. Trid., excipit expresse irregularitatem ex homicidio voluntario vel ex alio delicto deducto ad forum contentiosum, etsi tum homicidium tum hoc delictum sint occulta in sensu explicato. Quando et quomodo homicidium dicatur voluntarium, vidimus antea. Factum censetur deductum ad forum contentiosum quando libellus accusationis iam a publico magistratu est susceptus et instauratur inquisitio criminalis sive per secretam inquisitionem sive per citationem editam in accusatum. Si postea hinc eximatur ab impetitione per declarationem — non esse locum processui — tunc factum potest haberi uti occultum, non secus ac antea, non vero si delinquens libertatem obtinuit interposita promissione et cautione de repraesentando, prout expresse censuit S. C. C. apud Garcias [1]. Praeterea ex responsione eiusdem dicasterii a Fagnano [2] relata, si iudex est incompetens, ex eius praeventione neque factum aestimatur deductum ad forum contentiosum, neque attenditur notorietas facti aut infamia facti, inde sequuta.

Quia vero nullae aliae limitationes appositae fuerunt potestati dispensandi quam explanavimus, episcopus poterat committere suam potestatem aliis pro libitu, nam verba Dec. « per seipsos aut per vicarium ad id specialiter deputandum, eis tantum non eorum vicariis » respiciunt alias eiusdem decreti partes. Sicut etiam ad has tantum referuntur illa verba « in dioecesi sua..... in foro conscientiae », proindeque dispensationes ab irregularitatibus elargiri poterat extra sacramentalem confessionem, etiam absenti e dioecesi, licet et ipse episcopus absens esset, et illae dispensationes proderant adhuc pro foro externo.

Praeter facultatem generalem praedictam ex c. « Liceat » fuerunt aliae potestates dispensandi determinatas irregularitates, quae alibi inveniri poterant in iure praec. ac in Codice fuerunt omissae.

[1] De beneficiis, p. VII, c. XI, n. 47. — [2] Comm. ad cap. 4 de cohabit. cleric. et mul. 138 seq.

Afferendum est nunc priv. concessum Ord. Praed. quod per communicationem privilegiorum extendebatur ad Praelatos aliorum ordinum. Habet auctorem Pium V in C. « Romani Pont. » [1] et ait: « quia S. Trid. Conc. concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animae seu conscientiae ab omnibus peccatis, et dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24 c. 6 habetur, ne Prior Conventualis, et superiores Praelati dicti totius Ordinis, tam in dicta Provincia quam extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici aut saeculares existant, eidem Priori Conventuali et Superioribus Praelatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres et Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos et Laicos sibi subiectos, tam quo ad absolvendi, et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates, eadem auctoritate, et tenore, etiam perpetuo concedimus, et indulgemus, ac etiam declaramus ».

366. **Facultas ab irregularitatibus tantum dispensandi.** — Illud ius etiam ex privilegio in Codicis normam transformatum opportunis cum mutationibus adnotandis refert atque Conc.[1] Trid.[1] caput innuit *can. 990* § 1 sic incipiens: *Licet* a) *Ordinariis* ad normam can. 198, § 1, unde non solis Episcopis, sed religiosis quoque Praelatis idipsum prius obtinentibus ex privilegio, b) *per se vel per alium*, sicut prius, unde facultas haec regitur norma can. 199, § 1, c) *suos subditos* « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » (can. 6, 2°), quae ss. canonibus de subiectione non adversentur, d) *dispensare* equidem in foro extra-sacramentali vel externo *ab irregularitatibus*, non vero ab aliis impedimentis, nec illis ex defectu ortis, sed a) *omnibus ex delicto* sub can. 985 recensitis, attamen b) *occulto* ad praec.[s] iuris normam *provenientibus*, ac notetur delictum ex recensitis in cit. canone debere esse occultum, non delictum aliud praecedens « poena canonica » mulctatum, qua clericus « ab ordinis exercitio prohibeatur » (can. 985, n. 7°), et proinde corruit Declaratio cit. S. C. C. de Tridentino iure. Praeter supra declaratas facultatis ordinariae limitationes, duae adiunguntur exceptiones a) *ea* irregularitate *excepta*, sicut in cap. « Liceat », *de qua in can. 895, n. 4*, quae cum duplicem causam disiunctive habeat, nec una prae altera hic indicetur, sicuti factum videbi-

[1] 21 Iul. 1571.

mus in can. 991, § 2, consequenter asserimus ampliatam fuisse Conc.[1] Trid.[1] exceptionem de non dispensanda huiusmodi irregularitate, b) *aliave* irregularitate « ex delicto occulto » cuius dispensatio fuit supra concessa, quae, ad delictum quod attinet, fuerit *deducta* sicut de iure praec. fuit explicatum *ad forum* sive saeculare sive ecclesiasticum, ast *iudiciale*, nempe: in quo iudicia fiunt, quae utpote distincta per can. 1552, § 2 in *contentiosum* et *criminale*, nec « sub criminali iudicio » (can. 1933, § 1) cadant « delicta plectenda sanctionibus poenalibus de quibus in can. 2168-2194, sequitur deductionem delicti pro huiusmodi sanctionibus minime obstare facultati dispensandi ab irregularitatibus per hunc canonem Ordinariis concessae.

Ante Codicis vigorem confessarii regulares poterant dispensare poenitentes in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopi suos subditos, ex privilegio Minimis directe concesso a Sixto IV, atque a Iulio II confirmato, nec in Codice revocato, sed per communicationem privilegiorum ad alios regulares confessarios prius extenso. — Pro eodem insuper sacramentali foro Decretum edidit S. Congr. S. Officii[1], in quo primo memoratur aliud eiusdem Sacrae Supremae Congr.[s] latum[2] circa elargiendas a simplici confessario absolutiones censurarum reservatarum, in casibus vere urgentioribus, ibidem ac per alia posteriora Decreta explicatis, et alia servanda praescribebantur. Subinfertur petitio Sacrae Congr.[i] porrecta « an liceat Confessario in iisdem circumstantiis atque conditionibus dispensare ab irregularitate, quae ipsas censuras sequitur ». — Responsio autem fuit: « Publicetur Decretum latum fer. IV, die 28 Martii 1906 ». Decretum vero istud ita se habuit: « Supplicandum Ssmo pro facultate dispensandi super irregularitate occulta quando occurrat in casibus comprehensis in Decreto S. Officii dato die 23 Iun. 1886 ». Et insequenti fer. V[3] Ssmus annuit pro gratia iuxta Emorum. Patrum suffragia.

Propter decreti clausulam petitione ampliorem, nec redacti hac occasione sed solum publicati; dubia fuerunt exorta, quae omnino evanescunt per eiusdem Decreti transcriptionem et verba quae fuerunt adhibita in § 2. *Eadem facultas* scilicet: « dispensandi ab irregularitatibus » cum limitatione ac exceptionibus, quae huic Ordinariorum facultati sub 1° §° posita sunt, non limitata ad eam tantum quae incursa fuerit ob censurae praeviae violationem per ordinum exsecutionem, sicut in Dec.° cit.° fuerat expostulatum, *competit cuilibet confessario*, ergo « per se » tantum secundum officii naturam ac in eos qui « subditi » sunt eius sacramentali iurisdi-

[1] 6 Sept. 1909. — [2] 23 Iun. 1886. — [3] 29 Martii.

ctioni, a) *in casibus occultis* etiam dispensationis tempore b) *urgentioribus* quod verbum explicatur: *in quibus* a) *Ordinarius* ad normam § 1[i] competens *adiri nequeat* physica vel morali impossibilitate (haec conditio nova omissa in Decreto), b) *et periculum immineat* secundum prudentiam iudicandum tamquam revera existens, disiunctive *gravis damni* quorumcumque bonorum *vel infamiae*, quod facilius accidere posset, ex prohibitionis observantia, a qua non « excusatur » vi can. 2232, § 1, cum irregularitas non sit poena, bene tamen deficiente confessario, excusaretur ex epikeia caute utenda; limitatio autem nunc expressa, non vero in Decreto: *sed ad hoc dumtaxat* consequendum, *ut poenitens*, proinde in foro sacramentali ac pro foro interno dispensandus, *ordines iam susceptos* quoscumque atque ubilibet ac semper, non pro illo solo necessitatis casu, *exercere licite valeat*. Hinc remanet irregularis quoad alterum effectum in §° 1 can. 568 expressum.

367. **Competentia diversarum RR. Congregationum circa dispensationes ab irregularitatibus aliisque impedimentis.** — In hac re secernenda sunt accurate certa ab incertis etiam post Codicem, prout illa eruuntur ex const. « Sapienti consilio »[1] ex Normis adnexis illi const.[i] et ex Declarationibus S. Congr.[s] Concistorialis. — I. Pro foro interno, etiam extrasacramentali, S. Poenitentiaria potest dispensare ab omnibus irregularitatibus, et quoad omnes personas, etiam religiosas, aut S. Congr.[i] de Propaganda Fide aut alteri pro Ecclesia Orientali subiectas. Nihilominus quoad amplitudinem materiae dispensationum, considerandae sunt limitationes suae potestatis ante cit. const.[m] forsan statutae. In praxi semper potest ac debet ad ipsam recursus haberi. Ipsa enim, si careat, curabit de facultate a S. Pontifice obtinenda. — II. Pro foro externo *a*) Congr. negotiis religiosorum sodalium praeposita » est competens « pro sodalibus religiosis » (can. 251, § 3) et quidem quoad singulos irregularitatis effectus. Id confirmatum est « in peculiari coetu Emorum. Patrum iuxta can. 245 Cod. Iuris Canonici a Beatissimo Patre designatorum », quando « propositis dubiis: — III. Cuinam Congregationi competentia tribuenda sit quoad dispensationem ad Ordines sacros recipiendos a Religiosis sive ex defectu aetatis sive ab irregularitate, sive quoad alias conditiones, quae ad con-

[1] 29 Iun. 1908, CO. I, 7-108.

ferendos Ordines requiruntur, sive quod ad studia pertinet quae sacris ordinationibus sunt praemittenda. — IV. Cuinam Congregationi competentia tribuenda sit quoad religiosos dispensandos, qui propter morbum vel alia de causa a Missae celebratione physice vel moraliter impediuntur, veluti si pedibus consistere non valeant.

Emi. Patres Cardinales respondendum censuerunt: — Ad 3. Ad S. C. de Religiosis. — Ad 4. Ad S. C. de Religiosis ».

b) « S. Congr. de Prop. Fide » habet in hac re « iurisdictionem circumscriptam regionibus » sibi subiectis. « Pariter opportunas concessiones » dare potest « ad sacram ordinationem alumnorum requisitas » in societatibus ecclesiasticorum ac Seminariis « quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus » (Can. 252, § 3).

c) « S. Congr. pro Ecclesia Orientali » competens est quoad « personas Ecclesiarum orientalium » etiam religiosas (can. 257, § 1).

d) Salvis exceptionibus hucusque enunciatis, ratione fori, personarum et locorum; quoad ordinandos S. Congr. de disciplina Sacramentorum est adeunda. Quod constat ex const. « Sapienti consilio » (implicite quoad hoc sub. can. 249 contenta) ubi dicitur: (1, 3°) « 2. Itaque eidem Congr.[1] tribuuntur... dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Cong.[s] Negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem ».

Item in « Normis peculiaribus » (Cap. 1° c.) « ... Circa cetera Sacramenta (scilicet: praeter ea, quae matrimonium spectant) competentiam habet circumscriptam regionibus iuri communi subiectis », proinde non extenditur ad loca S. Cong.[i] de Propaganda subiecta. — « Ad eam etiam peculiariter pertinet concedere facultatem... coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis » [1].

Et demum *e*) congruente can.[e] 250, § 1 iuri praecedenti « *e*): Spectat ad S. Congregationem Concilii facultas concedendi clericis sacerdotibus dispensationem ab irregularitate » [2]. Hanc declarationem sequenti modo limitavit eadem S. Congr. Consist.[e] [3] ex mandato Smi.: « dispensationem ex defectu reservari ad S. Cong. de Sacramentis, ex delicto autem ad S. Congr. Concilii ».

III. Hucusque dicta sunt omnino certa, uti expressa in authen-

[1] Normae spec.[s] Cap. VII, Art. III, 10°... g). — [2] S. Congr. Consist.[s] 27 Febr. 1909, CO. I. 251. — [3] 28 Nov. 1911, CO. III, 658.

ticis documentis S. Sedis antea relatis. Quoad alias irregularitatum dispensationes desunt illae probationes. Attamen haec videntur tenenda: *a*) quoad exercendos ordines a clerico in sacris nondum sacerdote, probabilius est S.^m Congr.^m de Sacramentis esse competentem ad irregularitatem ex delicto quod attinet dispensandam, sed certo sic tenendum est, si agatur de irregularitate ex defectu.

Quid vero quoad irregularitates quae fortassis ab aliquo Episcopo vel Ordinario loci contraherentur? — Si aliquando dispensentur pro foro externo, et aliqua Congregatio dicenda sit competens, videtur S. Congregationem Concistorialem posse dispensare, quae supra Ordinarios locorum est constituta in regimine gregis earum, quod impeditur quodam modo ab irregularitate.

Demum in irregularitatibus corporis, quae impediant observare ritus et caeremonias, videtur competens saltem quoad ordinatos S. Congr. Rituum, sicut in praec. iure, cum « eiusdem sit, dispensationes opportunas concedere », quoad ritus et caeremonias servandas « in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis » (can. 253, § 2), salva tamen limitatione quoad dispensandos religiosos iuxta declarationem authenticam ad can. 251, § 3 relatam [1].

368. **De petitionibus ac concessionibus dispensationum ab irregularitate.** — In can. 42, § 1, praescriptum est: « Reticentia veri, seu subreptio, in precibus non obstat quominus rescriptum vim habeat (quoad gratiae aut dispensationis concessionem) ratumque sit, dummodo expressa fuerint, quae de stylo Curiae (per ss. canones moderando) sunt ad validitatem exprimenda ». Hanc ultimam clausulam, ad irregularitates aliaque impedimenta quod attinet, exponit *can. 991.* § 1. *In precibus* praesertim Sedi Apostolicae vel Ordinario porrectis *pro* a) *irregularitatum ac* b) *impedimentorum* obtinenda *dispensatione, omnes* a) *irregularitates ac* b) *impedimenta,* quibus orator detinetur, sive « ex diversis eorumdem causis » oriantur, sive « ex repetitione eiusdem causae » ad normam can. 989, *indicanda sunt* modo sufficienti ad ea dignoscenda; *secus* idest: nisi hoc servetur, *dispensatio generalis* sive irregularitatum, sive earum ex defectu, sive illarum ex delicto, sive impedimentorum, (quia si est particularis circa expressa tantum,

[1] Commentarium Textus. 2ª ed. pag. 265 in calce; idest. ex CO. XI, 251, num. 4. 24 Martii 1919.

dispensatio caret ambiguitatis difficultate), a) *valebit quidem etiam* ex illius dispensationis aequa interpretatione per canonem qui exprimit voluntatem favendi ultra petita reddendo liberum oratorem ab impedimentis, *pro reticitis bona fine* (contentis vi clausulae generalis respectivae) scilicet: ex ignorantia, simplicitate, cum dolus et fraus absit, iuxta doctrinam Auctorum circa ius praecedens, *iis exceptis quae in can. 990, § 1 excipiuntur* ab Ordinariorum potestate, nempe, tum irregularitate quam incurrunt (can. 985) « 4° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu sequuto, omnesque cooperantes », etiamsi unum vel alterum aut tertium delictum sit occultum, tum qualibet alia ex delicto « ad forum iudiciale » deducto, *non autem* valebit, seu limitatur « dispensatio generalis » iuxta diversas formulas quatuor praedictas, *pro reticitis in mala fide,* scilicet: dum sciret vel dubitaret probabiliter exprimenda esse illa ac reticuit ob verecundiam, dolum, aliumque pravum affectum.

Clausula §[1] praec[a]. « iis exceptis quae in can. 990, § 1 excipiuntur », ne in errorem quis incidat, declaratur aperte, aliudque statuitur in § 2. *Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario,* prout ea interpretata est in fine can. 989, *etiam numerus delictorum,* qui propter homines forsitan unico ictu occisos augetur, *exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis,* tum particularis aut de una irregularitate huiusmodi aut de numero inferiori quam fuerunt delicta, tum generalis de tali specie irregularitatis tum de omnibus irregularitatibus.

In cap. I « de filiis presbyterorum et aliis illegitime natis » (tit. 11, Lib. I) in 6° Bonifacius VIII ait: « Is, qui defectum patitur natalium ex dispensatione Episcopi licite potest (si ei aliud canonicum non obsistat) ad ordines promoveri minores, et obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo sit tale, super quo per ipsum episcopum valeat dispensari. Ad ordines quoque maiores, vel beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicae promoveri non potest ».

Post Codicis vigorem « dispensare nequeunt » Episcopi ad normam cit. capitis, eo quod « haec potestas eisdem non fuerit explicite vel implicite concessa » (can. 81) in illo. — Attamen illius capitis, ut videtur, motivo decernit declarans § 3. *Dispensatio* a) *generalis* ab irregularitatibus vel impedimentis b) *ad ordines* recipiendos, exercendos, idest absque horum designatione in

Sedis Apostolicae rescriptis, *valet pro ordinibus quoque maioribus,* quos recenset can. 949; b) *et dispensatus* simpliciter, seu ut supra, *potest* consequenter *obtinere beneficia*, prout haec definiuntur can. 1409; quae requirant eorum ordinum exercitium vel consecutionem, a) *non consistorialia*, nempe: « quae in Consistorio conferri (non) solent » (can. 1411, 1°) *etiam curata* supple: « obtinere potest », b) *sed renuntiari* veluti creatum vel promotum manifestari per necessarium S. Sedis documentum *nequit* a) *S. R. E. Cardinalis*, qui utpote dignitatem eminentem obtinens, b) *Episcopus*, qui peculiaris nominis beneficium, c) *Abbas vel praelatus nullius*, qui dignitatem quoque obtinentes, singulorum officia vel non sunt beneficia proprio sensu, vel ob peculiarem iuris appellationem sub beneficiorum communi nomine non veniunt, d) *Superior maior,* etsi tantum Provincialis (can. 488, 8°), *in religione clericali exempta*, qui ad iurisdictionem saltem quod attinet praedictis Ordinariis in Codice aequiparatur, ast beneficium non obtinet. Ea propter omnes hi recensendi fuerunt expresse in exceptione, quamvis fere omnes in Consistorio renuntientur. Quoad religiosos autem Superiores, dispositio iuris praec.ª circa illegitimos dispensatos a defectu natalium, ne obtinerent licite Praelaturam in religione, fuit ampliata ad irregularitatis cuiuslibet ac impedimenti sacrae ordinationis dispensationem ad maiores religionum quarumdam Praelaturas, uti manet declaratum.

Novum continet praescriptum § 4 *Dispensatio* quaecumque etiam per S. Poenitentiariae rescriptum seu ab Ordinario, sed a) *in foro interno* explicato in Commentario Textus Lib. II ad can. 196, b) *non sacramentali concessa,* scilicet: extra sacramenti poenitentiae administrationem, salvo igitur sacramentali sigillo, a) *scripto consignetur* nempe: illius dispensationis concessio ab ipsam elargiente saltem per subscriptionem; b) *et de ea in secreto Curiae* ad hoc *libro* custodiendo ad normam can. 379, *constare debet,* cui proinde notificanda est concessa illiusmodi dispensatio, indeque hoc praescripto sunt obligati praedictam dispensationem dans et Curiae officialis ad quem spectet.

CAPUT III.

De iis quae sacrae ordinationi praeire debent.

CAN. 992. - Omnes tum saeculares tum religiosi ad ordines promovendi per se ipsi vel per alios Episcopo aliive qui Episcopi hac in re vices gerat, suum propositum ante ordinationem opportuno tempore aperiant.

CAN. 993. - Promovendi saeculares aut religiosi qui quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure reguntur, afferant:

1.° Testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis;

2.° Testimonium de peractis studiis, pro singulis ordinibus, ad normam can. 976, requisitis;

3.° Testimonium rectoris Seminarii, aut sacerdotis cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit, de bonis eiusdem candidati moribus;

4.° Testimoniales litteras Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit;

5.° Testimoniales Superioris maioris religiosi, si cui religioni promovendus adscriptus sit.

CAN. 994. - § 1. Tempus quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere est, regulariter, pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem; sed Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus, et ob tempus quoque quod pubertatem antecessit.

§ 2. Si loci Ordinarius neque per se neque per alios promovendum satis noverit, ut testari possit eum, tempore quo in suo territorio moratus est, nullum canonicum impedimentum contraxisse, aut si promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum.

§ 3. Si post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus praedicto temporis spatio in eodem territorio rursus moratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci necessariae sunt.

CAN. 995. - § 1. Etiam Superior religiosus suis litteris dimissoriis non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisisse et esse de familia domus religiosae sibi subditae, sed etiam de studiis peractis, deque aliis iure requisitis.

§ 2. Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis testimonialibus litteris non indiget.

CAN. 996. - § 1. Quilibet promovendus sive saecularis sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum.

§ 2. Promovendi vero ad sacros ordines in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant.

§ 3. Episcoporum est statuere qua methodo, coram quibus examinatoribus et quibus in tractationibus sacrae theologiae promovendi periculum facere debeant.

CAN. 997. - § 1. Hoc examen sive pro clericis saecularibus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius qui iure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras; qui tamen potest quoque ex iusta causa, illud Episcopo ordinaturo committere, qui id oneris suscipere velit.

§. 2. Episcopus alienum subditum sive saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam § 1, et idoneum repertum, potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur; et si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat.

CAN. 998. - § 1. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest tum ab hac publicatione dispensare ex iusta causa, tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem

per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur.

§. 2. Publicatio fiat die festo de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia aut alia die et hora quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur.

§ 3. Si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, repetatur publicatio, nisi aliud Ordinario videatur.

Can. 999. - Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel paroco ante sacram ordinationem revelandi.

Can. 1000. - § 1. Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii, si id expedire videatur, Ordinarius committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter exquirat, et litteras testimoniales, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad Curiam transmittat.

§ 2. Idem Ordinarius alias percontationes etiam privatas, si id necessarium aut opportunum iudicaverit, facere ne omittat.

Can. 1001. - § 1. Qui ad primam tonsuram et ordines minores promovendi sunt, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies; qui vero ad ordines sacros, saltem per sex integros dies vacent; sed si qui, intra semestre, ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies.

§ 2. Si, expletis exercitiis, sacra ordinatio qualibet de causa ultra semestre differatur, exercitia iterentur; secus iudicet Ordinarius utrum iteranda sint, necne.

§ 3. Haec spiritualia exercitia religiosi peragant in propria domo vel in alia de prudenti Superioris arbitrio; saeculares vero in Seminario aut in alia pia vel religiosa domo ab Episcopo designata.

§ 4. De peractis spiritualibus exercitiis Episcopus certior fiat testimonio Superioris domus, in qua peracta fuerint; vel, si de religiosis agatur, attestatione proprii Superioris maioris.

Caput III. De iis quae sacrae ordinationi praeire debent

- propositum promovendi aperiendum ante ordinationem — Can. 992
- testimoniales litterae
  - eorum qui iure saecularium reguntur
    - diversae afferendae — » 993
    - supplendae vel iterandae — » 994
  - religiosorum exemptorum cum Superioris dimissoriis — » 995
- subeundum examen
  - circa ordinem suscipiendum ac theologicas tractationes — » 996
  - a quo Episcopo recipiendum — » 997
- ordinandorum denunciationes
  - moderatae quoad locum, diem, circumstantias — » 998
  - cum fidelium subsequente obligatione — » 999
  - ac simultaneae de moribus et vita disquisitiones — » 1000
- spiritualia exercitia — » 1001

369. **Inscriptio Capitis et ordo canonum.** — Sequitur *Caput III* inscriptum: *De iis quae* facienda sunt tum a subiecto,

ut supponitur idoneo saltem ob irregularitatis ac impedimenti, quo forsan detineretur, dispensationem, tum ab aliis, et quae *sacrae ordinationi* cuilibet vel in sacris *praeire* scilicet: in ordine ad ipsam praevie fieri *debent* secundum ss. canones. Illa sunt propositi de recipienda ordinatione manifestatio in can. 992 praescripta, litterae testimoniales quas moderantur can. 993-995, subeundum examen de quo sunt can. 996, 997, ordinandorum denunciationes ac inquisitio circa eosdem iuxta can. 998-1000 peragendae, ac ultimus can. 1001 spiritualia praescribit exercitia.

370. **Propositi ordinationem recipiendi manifestatio.** — Quod Conc. Trid. incidenter dixit [1]: « Hi vero qui ad singulos maiores (ordines) erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant », extendit ac exposuit praeceptive *can. 992. Omnes* absque exceptione *tum saeculares*, laici ac clerici, etiam in communi viventes sine votis, *tum religiosi* « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°) *ad ordines* a prima tonsura usque ad presbyteratum « ex contentu verborum » (can. 950) *promovendi per se ipsi vel per alios* v. gr. per Superiorem, si religiosi, per amicum, parentem etc. si saeculares absentes, aut per epistolam, a) *Episcopo* « dioecesis in qua sita est domus religiosa » ad normam can. 965, vel « proprio » can. 956, « cuius nomine » venit quoque tum « Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2) sed ad normam can. 957, tum ad eamdem normam « Vicarius ac Praefectus Apostolicus » (can. 294, § 1), b) *aliive qui Episcopi hac in re* seu circa sacras ordinationes *vices gerat*, uti sacerdos ad hoc deputatus, vel quicumque ad normas can. 958 « litteras dimissorias » eisdem « dare potest », a) *suum propositum* quemdam suscipiendi ordinem b) *ante ordinationem* non iam « per mensem », ut in Conc. Trid. Dec°., sed *opportuno* ad explendas diligentias relate ad diem ordinationis *tempore aperiant* verbotenus vel scripto.

371. **Testimoniales litterae afferendae** ab ordinandis sunt « scripta authentica ex quibus constet de his quae ad validam licitamque ordinationem ex parte subiecti requiruntur ». Coadunantur in *can. 993. Promovendi*, non omnes de quibus supra in can. praec., sed ad ordines quidem designatos in eiusdem can°.

[1] Cap. 5, sess. XXIII de Ret.

expositione, aut *saeculares aut religiosi* tantum *qui, quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure reguntur*, cogniti ex commentario ad can. 964, 4°; praedicti *afferant:*

1° *Testimonium ultimae ordinationis* a singulis promovendis « receptae, quod singulis ordinandis datur authenticum » (can. 1010, § 2), atque hoc ut ordinationis liceitati provideatur atque validitati secundum illud quod subditur: *aut, si de prima tonsura* recipienda *agatur*, illius loco « testimonium » *recepti baptismatis* necessarii ad validitatem, *et confirmationis* « receptae » iuxta can. 974, § 1, 1°.

2° *Testimonium de peractis studiis*, quae diversa requiruntur *pro singulis ordinibus, ad normam can. 976,* scilicet: in quo anno cursus theologiae versetur promovendus, et in quibus scholis sua studia perfecerit (quin amplius necessariae sint utpote « nec implicite contentae » (can. 6, 6°) minutae determinationes pro religiosorum testimonialibus praescriptae in Declarationibus S. Congr. de Religiosis) [1]: de *requisitis* ergo « studiis », prout ad eumdem can. explicatum est.

Quod Conc. Trid. statuerat [2]: « Ad minores ordines promovendi, bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant », concorditer his quae in can. 972 praescripta vidimus circa illos « qui ad ordines adspirant », sic mutatum et extensum proponitur sub *n. 3. Testimonium* a) *rectoris Seminarii* saltem subscriptum ab eo est afferendum, b) *aut sacerdotis cui candidatus extra Seminarium* « legitime morans » (can cit. § 2) vel illegitime *commendatus fuerit*, et hoc testimonium sit *de bonis eiusdem candidati* obligati ad testimonia *moribus:* quae postrema clausula confirmat datam can^a. 972 interpretationem de huius sacerdotis munere.

In Conc. Trid. [3] exiguntur testimoniales litterae de morum probitate datae ab Ordinario promovendi ad ordines praetextu rescripti vel privilegii, ad illud quod nunc iuxta explicatos canones « de sacrae ordinationis ministro » (Cap. I, tit. VI) satis est provisum, vel practicum non est. In const. « Speculatores » Innoc. XII sub eodem capite citata, plures fuerunt promulgatae dispositiones de testimonialibus litteris per diversos Episcopos concedendis, propterea quod tunc

[1] 7 Sept. 1909. CO. I, 701. — [2] Cap. 5, Sess. XXIII, de Ref. — [3] Cap. 8, Sess. XXIII, de Ref.

aderant proprii Episcopi ratione originis, beneficii et familiaritatis, quae motiva sortiendi Episcopum sacrae ordinationis proprium cum sint in Codice abrogata, ex consequenti corruerunt illae dispositiones. Tantummodo viget ex illa const^e^. praescriptio sub *n. 4.* « Promovendi, ut supra, afferant » *Testimoniales litteras Ordinarii loci* ad normam can. 198, § 2 *in quo* scilicet: in cuius dioecesi vel territorio *promovendus* ad primam tonsuram vel quemlibet ordinem a) *tantum temporis* b) *moratus est*, etiamsi ut peregrinus aut vagus, vel cum quasi-domicilio aut domicilio ad normam can. 91, c) *ut canonicum impedimentum* de quo in can. 984-987 *contrahere ibi potuerit*, ut expressum erat in cit. const. « Speculatores ». De huius temporis determinatione conditus est can. 994 immediate sequens.

Demum 3° *Testimoniales Superioris maioris religiosi* cognoscendi ex can. 488, 8°, ac determinandi ad normam constitutionum religionis; sed huiusmodi testimoniales sunt afferendae, ut ex his patet: *si cui religioni promovendus*, « qui, quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure regatur », ut supra explicatum est, *adscriptus sit.* Atque hoc in casu (can. 995, § 1) « Superior ma ior religiosus » testari debet « promovendum professionem religiosam emississe et esse de familia domus religiosae sibi subditae » sitae in Episcopi proprii territorio, « deque aliis iure requisitis », vel etiam addere « testimonium de peractis studiis » ut supra n. 2°, quod exigi potest ab Episcopo simul cum aliis « testimonialibus litteris Ordinarii loci in quo promovendus moratus est » post emissam professionem ad normam praes. can^s^. n. 4°; sed nullo modo sunt afferendae similes testimoniales de tempore ante professionem, nec testimonium sub nis. 1° ac 3°, eo quod hae testimoniales, si necessariae fuerunt, iam exhibitae supponuntur in admissione ad novitiatum ad normam can. 544, §§ 2, 1, 3, et can. 545, § 4.

372. **Temporis determinatio pro requirendis vel minus testimonialibus litteris.** — Sibi constans Codex, quia illa clausula praec.^s^ can.^s^ n. 4° « tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit » in iure veteri fuit adhibita in litterarum testimonialium materia, illius « receptam apud auctores probatos interpretationem » iurisprudentia SS. Congregationum confirmatam in legem transtulit *can. 994.* §. 1. *Tempus quo promovendus* etiamsi ad primam tonsuram, *potuit canonicum*

id est: iuxta ss. canones, sive irregularitatis fuerit sive simplex *impedimentum* licitae ordinationis *contrahere est,* attamen cum ad illum contrahendum temporis minimum sufficiat, additur: *regulariter*, iuxta ea quae communiter accidunt in moribus hominum, a) *pro militibus trimestre* supputandum ad normam can. 34, § 2, tempus eis assignatum brevius propter eorum consuetudines quam b) *pro aliis*, queis determinatur *semestre post pubertatem,* eo quod ante hanc delictum etsi non stricto sensu secumferens impedimentum deest ut plurimum; *sed* iuxta explicationem verbi: « regulariter », sic cavet legislator: *Episcopus ordinans*, non iam proprius promovendi, quia illius interest ordinationis liceitas, a) *pro sua prudentia*, quamvis eidem in dimittentis conscientiam quiescere liceat, b) *exigere potest* ab ordinando *litteras testimoniales* a) *etiam ob brevius commorationis tempus* respectivo trimestris vel semestris tempore ut supra, b) *et ob tempus quoque quod* post aetatis promovendi septennium usque ad *pubertatem antecessit.*

Casibus, qui non raro in recentioribus societatum moribus evenire queunt, providere debuit legislator, ut fecit subiiciens §^{m} 2. *Si loci Ordinarius* ad litteras testimoniales dandas designatus supra, I° a) *neque per se*, b) *neque per alios* sibi fidedignos *promovendum* (de quo in can.) *satis noverit* sub hoc respectu: *ut testari possit* (non enim leviter sunt testimoniales exarandae, quibus fides vi ss. canonum in re tanti momenti praestanda est) *eum* nempe ad ordines « promovendum », *tempore*, quod in §° praec. est determinatum fortassis « pro Episcopi ordinantis prudentia » *quo in suo territorio* idest: intra hoc suae iurisdictionis *moratus est* qualitercumque, *nullum canonicum impedimentum,* nempe: irregularitatem vel simplex, *contraxisse*, de quo in testimonialibus exigitur testimonium, II° *aut si promovendus* quilibet a) *per tot dioeceses vagatus sit,* sive alicubi non habens domicilium nec quasi-domicilium, proindeque vere « vagus » can. 91, sive illud ac praecipue istud saepius mutans, b) *ut* disiunctive *impossibile* consequi prudenter iudicandum sit *vel nimis difficile* obtentu (dum praevideatur tamen obtineri posse) *evadat*, et obiectum impossibilitatis vel difficultatis esset: *omnes litteras testimoniales* vi canonis huius ac praec^{s}. requisitas *exquirere,* prout in promovendo est obligatio eas afferendi, tunc *provideat Ordinarius*, qui testimonialibus eis indigeat, et ad hoc obligatur: *saltem per iuramentum* de impedimentorum cano-

nicorum absentia pro tempore illo tantum deficientium testimonialium, quarum locum tenet canonice, et propter hoc dicitur: *suppletorium a promovendo praestandum*. Sed quia dicitur « saltem », non excluduntur alia eiusdem probationis adminicula exigi posse. ast Ordinarius ob tale iuramentum quiescere potest.

Quamdam in hac materia declarationem, indeque authenticam subdit § 3. *Si post obtentas litteras testimoniales* omnes de quibus in hoc canone a Curia Episcopali proprii, *et ante peractam ordinationem* (usque ad hanc enim urget praescriptum can^{s}. praec^{s}. afferendi testimonia ibidem enumerata), a) *promovendus* saepius memoratus b) *praedicto* sub § 1° *temporis spatio* trimestri aut semestri c) *in eodem territorio*, ex cuius Ordinario testimoniales litterae iam obtentae fuerant, d) *rursus*, quod verbum innuit interruptionem commorationis, et ita erit ut plurimum, sed dicitur « rursus » proprie relate ad testimonium obtentum etiam continua cum commoratione de qua sunt illae, *moratus sit* qualitercumque, ut explicatum est supra, his suppositis *novae* respectu ad hanc commorationem *litterae testimoniales Ordinarii loci* eiusdem *necessariae sunt* vi canonis 993, 4°.

373. **Testimoniales adiungendae dimissoriis litteris Superiorum religiosorum**. — Hucusque de saecularium iure scripto circa testimoniales litteras. Propter hoc sic incipit *can. 995*. § 1. *Etiam Superior religiosus* exemptae religionis, sive haec Ordo sit sive Congregatio, *suis litteris dimissoriis* dandis vi can. 964, 2° 3°, vel datis ex privilegio in religione non exempta, *non solum testari debet*, ergo est obligatus ad hoc in eis exprimendum: a) *promovendum* secundum dimissorias *professionem religiosam* perpetuam vel temporariam, alterutram cum respectu ad « litteras dimissorias », quas « concedere possunt » ex can. 964, 2° 3°, emisisse b) *et esse de familia domus religiosae* sitae in dioecesi Episcopi, « ad quem litteras dimissorias mittere debet » vi can. 965, *sibi* idest: Superioris iurisdictioni eas dantis *subditae, sed etiam* c) *de studiis peractis*, ut in can. 993, 2° interpretatum est, atque ad normam can. 976, d) *deque aliis iure* scilicet: ad normam can. 968, § 1, *requisitis*, quae si positiva sint, sub can. 974, § 1° inveniuntur, si negative requirantur, cognoscuntur ex praec^{t}. art. II, sed pro his sufficeret generali formula testari promovendum nulla irregularitate alioque detineri canonico impedimento.

Adimpleto plene interpretato praescripto, obtinet praxim § 2. *Episcopus*, cuius nomine « venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2) saltem quoad ordines minores ac primam tonsuram iuxta datam interpretationem can. 957, imo et « Vicarius ac Praefectus Apostolicus », nempe: ordinans religiosum sic dimissum ad ordines, sive dioecesis « in qua sita est domus religiosa » praedicta (can. 965), sive alterius in casibus can. 966, § 1, et qui ad normam can. 973, § 3 « moraliter certus sit oportet de promovendi canonica idoneitate, *acceptis iis* cum praedicta multiplici attestatione ob praec. §^{m} *litteris dimissoriis*, etsi unico et eodem folio authentico, *aliis testimonialibus litteris non indiget* ad hoc ne « gravissime peccet, ac periculo sese committat alienis communicandi peccatis » (can. 973, § 3), per hunc canonem reiecto huiusmodi debito in Superiorem religiosum litteras dimissorias praefatas concedentem. Nec id repugnat interpretationi datae ad can. 993, 5°, quia ibi, non hoc in loco, agitur « de religiosis qui... saecularium iure reguntur ».

374. **Ius praecedens de scrutiniis circa ordinandos.** — Tria scrutinia esse facienda infertur tum ex capp^{s}. 5 et 7 sess. XXIII de Ref. in Conc. Trid. tum ex c. un. tit. « de scrutinio in ordine faciendo » (I, 12). In cit. c. 5 sic legimus: « Qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat; et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat ». Imprimis hoc ipsum servandum erat quoad clericos saeculares Praelatorum inferiorum, qui Episcopum a quo exempti sunt habent ordinationis proprium. Dicunt DD. illas proclamationes non in omnibus dioecesibus fieri solitum fuisse, ac suppleri testimoniis parochorum, professorum, Superiorisque seminarii. Sed in aliis iuxta cc. servabantur, et in omnibus laudabiliter inducebantur, nam ipsa S. C. Inq. [1] respondit Episcoporum Austriae supplicationi de litteris testimonialibus non tanto rigore exigendis: « Sedulo curent, ne parochi praetermittant, quae cauta sunt per Conc. Trid. sess. XXIII de Ref. ». In textu non dicitur quo die vel quoties faciendae sint hae proclamationes, nec quo modo; fuerunt ergo servandae diversae praxes, dummodo aptae ad Synodi Trid. scopum obtinendum.

Secundum scrutinium praevium statutum est ab eod. Conc. aiente (c. 7 cit.): « S. Synodus antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, decernit, ut quando

[1] 27 Ap. 1888.

Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet ». Quae verba indubie designant investigationem, tum in personis ordinandorum, tum in testimoniis collectis exercendam, ad iudicandum an omnia iuxta ss. canones ac leges dioecesanas procedant. Hinc optime arguitur regulares obligari ad praesentandas non solum litteras dimissoriales, ac testimoniales sui Superioris quoad vitam et bonos mores, et scientiam, sed etiam testimonium ferre specificum de aliis qualitatibus ac immunitatibus canonicis regularium ordinandorum, quamvis Episcopus deferre oporteret eorum testimonio.

De tertio *scrutinio in ordine faciendo*, declarat Innoc. III: « Unde in tali responsione (scilicet: quando Episcopo interroganti: scis illum dignum esse, respondetur: quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor illum ad huiusmodi onus officii esse dignum), aliquem peccare non credimus, dummodo contra conscientiam non loquatur: quia non simpliciter illum asserit esse dignum, sed inquantum humana fragilitas nosse sinit: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat aestimare. Huiusmodi ergo responsione secure uti poteris, nisi forte de indignitate tibi constiterit » promovendi. Quae responsio magis valet, quando sermo est de his qui descripti traduntur a Curia Episcopi ut promovendi post scrutinia praecedentia. Prosequitur Innoc. Papa: « Si autem illum indignum esse cognoscis *promotori Episcopo* (priusquam ad huiusmodi scrutinium veniatur) secreto studeas nuntiare vel intimare ».

375. **De examine promovendorum.** — In Conc. Trid. [1] decretum est: « Regulares quoque nec in minore aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque, quoad hoc, penitus exclusis ». Hinc non vigent, nisi privilegia post Conc. Trid. alicui religioni directe concessa. Praefato igitur iuri omnino congruit aiens *can. 996*, § 1. *Quilibet promovendus* « ex contextu verborum » (can. 950) iam clericus a) *sive saecularis*, etiam societatis in communi viventium sine votis, *sive religiosus*, qui « vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 488, 8°), etiamsi regularis sit, *debet praevium*, ipsi ordinationi, non ergo differendum, *ac diligens* exclusa mera formalitate *examen subire* atque obiectum erit *circa ipsum ordinem suscipiendum*, scilicet: eius naturam quoad materiam et formam etc., potestatem recipiendam, obligationes adimplendas, atque ut ait Conc. Trid. [2]: « Subdiaconi et diaconi ordinentur... iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, in-

[1] Cap. 12, sess. XXIII de Ref. — [2] Cap. 3, sess. XXIII de Ref.

structi ». Unusquisque enim assumens aliquod officium debet scire quae ratione ipsius adimplere debet, ne ignorantia ei ad culpam imputetur.

Circa cognitiones alias S. Conc^m. Trid^m. minimum exigebat, ut alias dictum est, nec lex aliqua generalis prodierat, ita ut severius examen videretur positum in Ordinariorum arbitrio forsitan in Concilio coadunatorum. Pius X normas dedit hac in re pro Urbe, quas excepit cum moderamine § 2. *Promovendi vero ad sacros ordines*, cum praec. §^us generalior esset, *in aliis quoque* praeter dicta in §° 1 *de sacra theologia tractationibus,* tum dogmatica praesertim, tum morali, secundum illud S. Synodi Tridentinae [1]: « Qui ad presbyteratus ordinem assumuntur... hi sint, qui etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur », *periculum faciant* ob huius canonis praescriptum.

Ecclesiae catholicae naturam respexit prudens legislator in § 3. *Episcoporum*, quorum nomine « venit Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2) atque ad normam can. 298, § 1 comprehenduntur quoque Vicarii et Praefecti Apostolici. Eorum singulorum igitur *est statuere* a) *qua methodo,* quanto tempore, quo interrogandi modo vel quaestiones proponendae, num theoretice, num ad modum casus solvendi, omnibus examinandis insimul congregatis vel non, b) *coram quibus examinatoribus,* quatenus « integrum est Episcopo vel examinatorum synodalium (de quibus canones inveniuntur in art. III, cap. IV, Tit. VIII, Lib. II) vel aliorum opera uti », item quo numero, et in hoc arbitrio dirigendo recte utetur norma Conc. Trid. ex iure praec. hoc in canone implicita, demum c) *et quibus in tractationibus sacrae theologiae*, forsitan duabus pro singulis ordinibus sacris, semperque distinctis, et numquam omissa tractatione de missae sacrificio et de SSma Eucharistia, ut solitum est in alma Urbe, *promovendi periculum* in § 2 praescriptum *facere debeant* in illius adimplementum.

376. **Apud quamnam curiam est illud examen faciendum.** — Cum Episcopus ordinans queat esse proprius promovendi, vel secus, conditur ad praec^s. complementum *can. 997.* § 1. *Hoc examen* duplex declaratum a) *sive pro clericis saecularibus* b) *sive*

[1] Cap. 14, sess. XXIII de Ref.

pro religiosis, ut supra haec sunt explicata verba, *recipit loci Ordinarius*, etiam pro regularibus, *qui* a) *iure proprio* idest: vi canonum 956, 957, 965 *ordinat*, dummodo habeat ad hoc ordinis potestatem necessariam, in qua hypothesi est positum illud verbum, b) *aut dat dimissorias litteras* ad normam solius can. 958, excluso eo qui dat eas vi can. 964, quia « nomine Ordinarii loci » non venit (can. 198, § 2); adiungitur autem quaedam limitata concessio: *qui tamen potest quoque*, non pro libitu, sed a) *ex iusta causa* idest: proportionata iuxta prudentiam, forsan duplex ob materiam examen *illud*, b) *Episcopo ordinaturo* non alteri *committere*, non iam ut in illum hoc debitum transferat, sed sub conditione: c) *qui id oneris suscipere velit*, quod prius explorare decet.

Si quaeras 1°. quinam examen rite recipiat pro religiosis ad normam can. 966 ordinandis; videtur namque clausulam « qui iure proprio ordinat » aptari Episcopo tunc religiosis ordines conferenti, qui hoc legitime facit vi can. citati. — Sed resp. examen tunc etiam recipiendum a loci Ordinario « ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet » ad normam can. 965, hinc enim iure proprio ordinatio haec ad eumdem pertinet, qua de causa, uti explicavimus ad can 966, § 2, si non adiungatur « authenticum (ipsius) Curiae episcopalis testimonium » de casu excepto, illae dimissoriae litterae irritae sunt. Hoc responsum confirmatur, quia in his casibus Episcopus ordinans, et potest esse titularis, proindeque non veniret sub « loci Ordinarius » (can. 997, § 1) nomine, et revera « alienum subditum ordinat » (ib. § 2), ad quem non pertinet examen ipso iure, ut ex commentario palam fiet.

Praeterea 2°: a quo recipi oporteat examen religiosi subditi Abbati de regimine ab hoc promovendi ad tonsuram et ordines minores ad normam can. 964, 1°? — Resp. indubie ab eodem accipiendum esse, nam loci Ordinarius, « nec iure proprio ordinat, nec dat litteras dimissorias », unde canon hic non urget, sed examen a quolibet promovendo subeundum ex can. 996 regi debet ex propriis Constitutionibus huic canoni non oppositis.

De hoc nominato « Episcopo ordinaturo » subiectum non proprium est norma tradita in § 2. *Episcopus* cum ampliore significatione, idest: « Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), « Vicarius ac Praefectus Apostolicus » ad normam can. 957, *alie-*

num quoad ordinationem *subditum* a) *sive saecularem* etiam societatis in communi viventium sine votis, b) *sive religiosum* quemlibet, quamvis regularem, *ordinans* a) *cum legitimis litteris dimissoriis* nempe: quae datae sint pro saecularibus et pro religiosis, qui iure saecularium reguntur, ad normam can. 958-963, pro religiosis autem aliis datae ad normam can. 964-966, b) *quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam* § *1*, nec solum hoc, sed c) *et idoneum repertum*, Praelati ergo dimittentes diligenter curent haec duo inter alia de iure requisita exprimere, qua in hypothesi « Episcopus » de quo in §.[1] initio a) *potest huic attestationi* de conditione valde connexa cum suscipiendo per ordinationem officio, ac proinde ab Ordinante consideranda, *acquiescere*, b) *sed non tenetur*, imo, si rationem prudenter gravem habeat, utpote non obligatus iure aliquo ad illum promovendum candidatum, posset eumdem examini novo subiicere, atque canon ipsi praescribit pro casu: c) *et si pro sua conscientia*, post examen istud vel aliter, *censeat* certo moraliter iudicio *candidatum non esse idoneum* ratione quidem instructionis, nam de aliis subiecti qualitatibus fuit alio modo declaratum in can. 962 sicut ibi explicatum est, *eum ne promoveat* congruenter can. 973, § 3, uti eiusdem declaratio particularis.

377. **Denunciationes promovendorum ad sacros ordines.** — Quod Pontificale Rom. in ordinatione presbyteri cavet, nunc temporis tamquam mera fere caeremonia de assensu cleri et populi exquirendo, ut hic praebeatur Ordinando, eo quod « ne unum fortasse, vel paucos (pro ordinandis colligentes ac iudicantes documenta) aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est exquirenda multorum », et « quia de vita et conversatione praesentandi, quod nonnunquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis », illud praescriptum iam per Tridentinam Synodum valde sapienter inductum, sicut relatum est supra, transfertur ac determinatur quoad modum, tempus ac iterationem in *can. 998.* § 1. *Nomina*, ita ut bene cognosci queant personae, *promovendorum ad singulos sacros ordines* scilicet: ad « presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum » (can. 949), nam per quemlibet eorum magis ac magis promovendus Deo et Ecclesiae adstringitur gravibus obligationibus, *exceptis religiosis* cuiuslibet Ordinis et Congregationis *a votis perpetuis*, etiam quando « ordinatio eorum regitur iure saecularium », *sive sollemni-*

bus sive simplicibus, horum enim conversatio supponitur plene Superioribus religiosis testimoniales litteras dantibus perspecta, et minus populo christiano; ceterorum tamen a votis temporariis religiosorum quoque « nomina » a) *publice* b) *denuntientur* « cum desiderio eorum proposito » fidelibus, c) *in paroeciali cuiusque candidati* ob domicilium vel quasi domicilium actualis commorationis, alterutrum propter quod Episcopum proprium ordinationis sortitur promovendus, (nam singulari verbo utitur legislator) *ecclesia,* eadem sic declarata pro religiosis hoc canone comprehensis, etiamsi domus de cuius familia sunt « a parochi cura per Episcopum subducta fuerit » (can. 464, § 2).

Cum autem statim pateat in aliis locis posse pleniorem illorum notitiam possideri, prudens addit legifer Codicis: *sed* a) *Ordinarius* « paroecialis ecclesiae » de qua paulo ante, b) *pro sua prudentia* considerans candidati circumstantias ac legis finem intentum c) *potest* I° *tum ab hac publicatione* per canonem praescripta *dispensare* ad normam exceptionis primae can. 81 *ex iusta causa* idest: proportionata et rationabili, « habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur » (can. 84, § 1), v. gr. propter singularem candidati probitatem, eiusdem continuam in Seminario commorationem ab ultima suscepta ordinatione, II° *tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis* paroecialibus vel non, sed sibi subiectis, *peragatur* v. gr. ob longam ultra semestrem praeteritam commorationem in alia paroecia, propter maiorem parochianorum frequentiam in altera ecclesia, III° *tum publicationi substituere,* sive mos iam introductus fuerit, sive non, a) *publicam* idest: cuilibet patentem b) *ad valvas ecclesiae,* idest: quoad locum prope ingressum illius *affixionem,* quae maneat c) *per aliquot dies,* « qui constant 24 horis continuo supputandis a media nocte », quapropter duo sint saltem integri dies iuxta reg. 40 Juris in 6°: « Pluralis locutio duorum numero est contenta », cum sequenti conditione: *in quibus unus saltem dies festus comprehendatur* ad servandum rationis S^{t}. sequentis fundamentum.

Finis huius legis etiam Tridentinae absdubio est impedimenta detegere, si quae minus nota existerent, propter quod de novo statuit § 2. *Publicatio fiat* a) *die festo de praecepto,* et qui « sunt in universa Ecclesia » recensentur in can. 1247, videlicet: praeter alia festa « singuli dies dominici », b) *in ecclesia,* scilicet: proprie,

ut definitur in can. 1161, c) *inter Missarum sollemnia*, videlicet: Missam cantatam vel saltem paroecialem; permittit autem canon quoque: *aut* a) *alia die*, quae non sit « dies festus de praecepto », sicut fuit declaratus, b) *et hora* v. gr. Vesperarum tempore vel exercitii pietatis serotini, sub hac duplicis permissionis conditione: *quibus* a) *maior populi frequentia* b) *in ecclesia* ut supra interpretanda *habeatur*, atque omnino rationabiliter, quia canonis scopus plene obtinetur.

Concors est can[1]. 994, § 3 (et par utriusque ratio) § 3. *Si sex intra menses* supputandos continuo « prout in calendario » et ad normam tum can. 34, § 3, 3°. a peracta publicatione praescripta eiusve dispensatione, tum eiusdem can[s]. et §[1]. n°. 2° a fine publicae affixionis, *candidatus promotus non fuerit* ad ordinem de quo in denunciatione, iussum est ut *repetatur publicatio*, quae Ordinarii loci prudentiae sic remittitur: *nisi aliud Ordinario videatur*, scilicet: qui tunc dispenset ex « potestate eidem implicite concessa » (can. 81).

378. **Obligatio impedimenta revelandi.** — Ne inanes evadant praescriptae publicationes, additur peculiaris *can. 999. Omnes fideles* laici, clerici, religiosi, *obligatione tenentur* gravi ob legis finem publicae utilitatis Ecclesiae a) *impedimenta*, sive irregularitates sive alia, *ad sacros ordines*, pro quibus tantum denunciationes fiunt, b) *si qua norint*, nec de ipsis quaerendis urget illos obligatio, c) *Ordinario* loci ex contextu *vel parocho*, alterutri pro libitu d) *ante sacram ordinationem*, cum qua obligatio cessat et ob dilationem peccatur omissione *revelandi* cognita impedimenta.

379. **Investigatio de moribus et vita candidatorum.** — Secunda pars praecepti Synodi Tridentinae [1] supra citati, et quidem amplior priore continetur in *can. 1000.* § 1. *Parocho qui publicationem peragit* ad normam can. 998, § 1, atque hic semper, *et etiam alii*, parocho vel non, sed huic alteri sub conditione: *si id expedire videatur*, sine parochi exclusione quam innuere videbatur Conc. Trid. simillima clausula, *Ordinarius* loci declaratus in canone et §° cit. *committat* positive singulis vicibus, quia parochus non curat quid Curia disponat de ordinationibus, I° *ut* a) *de ordinandorum*, exclusis « natalibus et aetate » omissis ex Dec. Trid.,

[1] Cap. 5, sess. XXIII de Ref.

moribus et vita, b) *a fide dignis*, nec interrogandi sunt alii forsan erga ordinandos male affecti, c) *diligenter exquirat* cum positivo studio, II° *et litteras testimoniales*, sic vocatas propter earum contentum, nempe: a) *ipsam investigationem* ac responsiones saltem quoad substantiam, earumdem vim, b) *et publicationem*, huiusque effectus forsitan revelationis impedimentorum vel secus *referentes, ad Curiam transmittat.* Quae duo praeter publicationem sunt obligationes quoque parochi ex commissione vi canonis enatae, alteriusve etiam personae, sub conditione, ut supra, sed exclusa publicatione quae ad hanc non pertinet.

Maximam Ecclesiae sollicitudinem circa electionem ministrorum Christi, ex quorum vita praecipue derivatur fidelis populi salus, commendat subsequens tot praescriptis § 2. *Idem Ordinarius* loci de quo in §° 1, declaratus in can. 998, § 1 *alias percontationes* seu confidentiales informationes *etiam privatas*, idest: non tamquam ex officio receptas, hac supposita hypothesi: *si id necessarium aut opportunum iudicaverit,* sed hoc sibi eveniente conscientiae iudicio prudenter certo, adigitur canonis praescripto: *facere ne omittat.* Interest enim Ecclesiae summam in hac re adhiberi sollicitudinem.

380. **Spiritualia exercitia ordinationibus recipiendis praemittenda.** — Quoad haec standum erat peculiaribus legibus, vel consuetudinibus.

Pro Italia et insulis adiacentibus vigebat ex Normis pro Seminariis praeceptum: « Art. 15. Immediatamente prima dell'ordinazione, gli ordinandi dovranno fare un corso di spirituali esercizi di dieci giorni per gli ordini maggiori, e di cinque per i minori ». Et pro Urbe oportebat vitare censuram const. « Apostolicae Sedis » Pii IX sic conceptam:... vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a missione noncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum », quae nunc « abrogatae » ad normam can. 6, n. 5° respiciebant, ut videtur, « clericos pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinarentur extra suam dioecesim », et fortassis etiam omnes clericos saeculares Romae ordinandos, qui ad diversa Seminaria vel Collegia non pertinent.

Normarum praeceptum citatum cum moderamine ad catholicam Ecclesiam latinam extendit *can 1001.* § 1. *Qui*, laici, clerici, religiosi, disiunctive a) *ad primam tonsuram et ordines minores* unum, vel plures simul, ad normam can. 978, § 3 *promovendi sunt, spi-*

ritualibus exercitiis, nempe, meditationum, orationum vocalium, lectionis spiritui proficuae cum aliis quotidianis, *per tres saltem integros dies* mane ac vespere, quia « dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte » (can. 32, § 1); b) *qui vero ad ordines sacros* singulos, ut patet ex cit. canone ac §, *saltem*, sicut antea fuit expressum, unde maior dierum numerus peculiari norma exigi posset ad Codicis mentem, *per sex integros dies* interpretandos ut supra *vacent,* veluti ab aliis exercitiis alienati; imo interpretatio de ordinibus distributive sumptis data ex sequenti §[1] parte confirmatur statuente: c) *sed si qui*, *intra semestre* prout iure fieri potest vi can. 978, § 2, et a fortiori ex dispensatione Episcopi, Sedisve Apostolicae, *ad plures ordines maiores*, non « uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine » (can. 978 § 3), *promovendi sint*, *Ordinarius* ad normam can. 198, § 1 intelligendus *potest exercitiorum tempus* praescriptum paulo antea, solummodo ac bene notandum a) *pro ordinatione ad diaconatum* b) *reducere* ad tres, quatuor vel quinque, c) *non tamen infra tres integros dies* iam declaratos supra de promovendis ad ordines minores.

Imo hanc exercitiorum legem munit § 2. Si, *expletis exercitiis*, nempe: pro praxi a media nocte ultimi diei exercitiorum etiam non integri, dum illa cessarunt mane, praecedentibus diebus integris praescriptis, a) *sacra ordinatio* quaelibet ad normam can. 950 ac « ipsa prima tonsura » b) *qualibet de causa*, etsi plene involuntaria, v. gr. gravis infirmitatis, oppositionis aliorum iniustae, c) *ultra semestre* supputandum ad normam can. 34, § 3, 1°, 2° a media nocte supradicta *differatur*, *exercitia* « spiritualia » *iterentur*, ergo ad normam § 1[1]; *secus* scilicet: si ad semestre vel infra illud tempus differatur, *iudicet Ordinarius* declaratus in §° 1° *utrum iteranda sint*, *necne*, cuius iudicium pro lege habendum est huius canonis vi.

Loci circumstantiam sic praescribit § 3. *Haec spiritualia exercitia* per duos praecedentes §§°[s] moderata a) *religiosi* « qui vota nuncuparunt in religione » quacumque (can. 488, 7°) *peragant in propria domo* « ad cuius familiam pertinet ordinandus » (can. 965), sed permittitur eis illa peragere alibi per clausulam: *vel in alia*, etsi non sit haec domus alicuius religionis, dummodo pia fuerit, solum autem *de prudenti superioris arbitrio*, v. gr. propter re-

cipiendam ordinationem in altera dioecesis, ubi desit propriae religionis domus, vel quae adsit iusta de causa non adeunda ; b) *saeculares vero*, etiam in communi viventes sine votis, vel in aliquo ecclesiastico collegio, *in Seminario* dioecesis propriae, vel in qua sacram recipient ordinationem, cui substitui potest semper vel in casu, quod canon addit: *aut in alia, pia* v. gr. in dictis domibus vel collegio, vel qualibet sic proprie dicta ob eius finem religionis vel caritatis, *vel religiosa domo* nempe: « alicuius religionis in genere » (can. 488, 5°), sed harum alterutra quae sit *ab Episcopo designata*, saltem per singularem concessionem.

Ut vero sacrae ordinationis liceitati ex huius praecepti observantia prospiciatur, decernit § 4. *De peractis spiritualibus exercitiis* ad normam §§ 1, 2 *Episcopus* ordinans, Abbasque vel Praelatus nullius, Vicarius Praefectusque Apostolicus, quando hi sunt ordinaturi, *certior fiat* a) *testimonio Superioris domus,* videlicet: piae, religiosae, vel Seminarii, ut in littera b) §[1] praec., *in qua peracta fuerint,* quae verba innuunt eorum complementum ; b) *vel, si de religiosis agatur,* quos respicit cit[1] §[1] pars sub littera a), *attestationi proprii* quoad ordinandum *Superioris maioris*, cui proinde antea constare debet ipsa peracta fuisse.

CAPUT IV.

De ritibus et caeremoniis sacrae ordinationis.

Can. 1002. - In quovis conferendo ordine, minister proprios ritus in Pontificali Romano aliisve ritualibus libris ab Ecclesia probatis descriptos, adamussim servet, quos nulla ratione licet praeterire vel invertere.

Can 1003. - Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari.

Can. 1004. - Si quis, ritu orientali ad aliquos ordines iam promotus, a Sede Apostolica indultum obtinuerit superiores ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit.

Can. 1005. - Omnes ad maiores ordines promoti obligatione tenentur sacrae communionis in ipsa ordinationis Missa recipiendae.

381. **Inscriptio capitis ordoque canonum.** — Sequitur *Caput IV De ritibus* seu formulis orationum, exhortationum, formae, *et caeremoniis* hoc est: impositione manuum, unctionibus, porrectionibus instrumentorum, genuflexionibus, etc. *sacrae ordinationis,* quae verba, hic « comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines et ipsam primam tonsuram » (can. 950). —

Canones duo ministrum directe respiciunt, alii duo subiectum; atque can. 1002 de omnibus ritibus ac caeremoniis generaliter disponit, dum sequens 1003 de missa ordinationis vel consecrationis. can. 1004 de supplendis in caso quibusdam ordinibus, et can. 1005 de sacra communione ab ordinatis in sacris omnino recipienda cavet.

382. **De rituum accurata observantia.** — Conc. Trid. in sess. XIII de Sacramento ordinis hunc edixit dogmaticum canonem V. « Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse; similiter et alias ordinis caeremonias: anathema sit ». Optime igitur de caeremoniis quoque est intelligendus primo appositus veluti fundamentalis *can. 1002. In quovis conferendo ordine* sub inscriptionis ampliori sensu, *minister proprios ritus* diversarum ordinationum *in Pontificali Romano,* quod pro latino ritu viget ubique, *aliisve ritualibus libris* illos continentibus ad usum Ecclesiarum ritus diversi a Romano, sub conditione: *ab Ecclesia* saltem tacite ob longiorem usum *probatis descriptos, adamussim* in omnibus, quantumvis videantur minima, *servet quos nulla ratione* v. gr. multitudinis ordinandorum, ordinationis nimis protractae, defatigationis ministri *licet praeterire* omissione *vel invertere* quoad eorum successivum ordinem. Regula haec fuit desumpta et ampliata ex cap. un. de « sacra unctione », in fine (I, 15): « Monemus igitur, ut illum in ordinandis Presbyteris, et consacrandis Episcopis morem serves, et facias observari, quem Apostolica Sedes observat », et nunc continetur in Pontificali Romano.

383 **De supplendis defectibus**, qui in conferendis ordinis gradibus fuerunt commissi, sunt in Decretatibus quidam canones utiliter memorandi propter quaedam iuris principia in eis contenta. Et quidem in cap.is un. initio « de sacra unctione » (I, 15) haec habentur: « Cum venisset ad Apicam. Sedem Bracharensis Episcopus: qui in consecratione sua sacram non acceperat unctionem, quoniam apud vos non consueverunt pontifices, cum consecrantur, iniungi ». Qui mos, iuxta ea quae sequuntur, non admittitur ab Innocentio III. « Nos quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri: facientes caput eius et manus per Alban. Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundum morem Ecclesiasticum, (sicut dictum est supra), sacro chrismate deliniri ».

In tit. seq. (I. 16) « de sacramentis non iterandis » alii huiusmodi defectus supplendi asseruntur. Et in c. 1. Inn. III ait: « Pastoralis: Praeterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem Subdiaconatus assumptus ». Glossa bene ait: « Ad hoc non vi-

detur respondere (sicut patebit): sed dic. quod antequam suppleantur *supplenda*, ministrare non debet ». Prosequitur S. Pontifex: « Et si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus, Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum » Quae regula est optima in re sacramentali. Iuxta quam, eo quod balsamum, quod in chrismate oleo adiunctum est, sit probabilius de necessitate sacramenti confirmationis, hoc esset sub conditione conferendum cum chrismate in casu capitis. Impositio vero manus (si quae fuisset in subdiaconatu conferendo cum sit quaedam benedictio accidentalis, non indiget ut suppleatur.

In c. 3 eiusdem tit. dicitur a Greg IX: « Presbyter et Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt, quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos, (vel melius: altero die ex S. Sedis concessione atque occulte), caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum. Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi ». Relinquimus libenter theologis determinare (quod nondum perfecte factum est), et quid ex praedictis probabiliter ad validatem harum ordinationum pertineat, proindeque omissio secumferat obligationem iterandi sub conditione ordinationem ipsam.

384. **Praecipua in sacra ordinatione pars praeter illius substantiam** consideratur in *can. 1003. Missa* a) *ordinationis* promovendorum saltem ad ordines maiores, nam Pont. Rom. habet rubricam: « Quando Pontifex extra Missarum solemnia est promoturus aliquem ad primam tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines »; illa vero intime coniungitur cum ordinatione in sacris iuxta Pont. Rom.: *vel* « Missa » b) *consecrationis episcopalis* propter eamdem causam *semper debet* ab ipsomet a) *ordinationis vel* b) *consecrationis ministro*, quicumque ille sit, *celebrari*. Nec indultum hac in re conceditur, secus in Ecclesiarum consecratione pro qua est iuxta Benedict. XIV necessarium nisi praeter praevisionem minister valde fuerit defatigatus.

385. **De ritus mutatione in suscipiendis ordinibus**. — Benedictus XIV in const. « Etsi pastoralis» pro Italo-Graecis § VII n. VI [1] statuit: « Episcopi Graeci in ordinibus conferendis ritum proprium Graecum in Euchologio descriptum servent, (quod praescriptum est quoque in can. 1002), in quo, etsi nonnulli de Minoribus Ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel numquam habuisse, vel eorum exercitium aliis ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant ».

[1] 26 Maii 1742.

Et hoc in n. VII ipse Benedictus XIV implicite admittit, quod valet de aliis Ecclesiae orientalis ritibus (Armenis exceptis), iuxta vigentem disciplinam a Sede Apostolica probatam. — Quapropter etsi Codex taceat de supplendis defectibus, quae in sacris ordinationibus evenire queunt, eo quod propter can. 1002 raro et praeter intentionem accidere debeant, atque tunc SS. Congregationum servanda est iurisprudentia, quae a probatis Auctoribus v. gr. cl. Card. Gasparri, Wernz, Many esset discenda, vel earum sententia in casibus expetenda; attamen de supplendis non partialiter quoad ritum et caeremonias, sed ex integro minoribus ordinibus, absque ulla ministri negligentia praecedente vel defectu, oportebat consulere, quamvis non frequenter id eveniat, et ita providit per *can. 1004. Si quis, ritu orientali ad aliquos ordines* scilicet: ipsam primam tonsuram, vel usque ad presbyteratum quoque *iam promotus a Sede Apostolica* per S. Congr. pro Ecclesia orientali ad normam can. 257 §§ 1, 2 *indultum obtinuerit,* quo indigere implicite asseritur, sicut asseruit etiam Bened. XIV loc. cit., *superiores* iam receptis *ordines suscipiendi ritu latino*, equidem ab huius ritus Episcopo ad normam can. 1002 ibi interpretatam, *debet prius ritu latino*, in quo distincta ordinatione septem ordines conferuntur singulis, *recipere ordines* minores, *quos ritu orientali non receperit*, quamvis nec superiorem illis adhuc recepisset, atque hinc Armeni hoc canone non comprehenduntur.

Quoad ceteros Bened. XIV loc. cit. « certam tradit regulam in posterum servandam », sic pro Italo-Graecis decernens: « si quis ritu graeco clericus et Lector tantum fuit initiatus, is antequam subdiaconus ordinetur », qui apud orientalem Ecclesiam est immediate subsequens ordo minor, « tres minores Ordines omissos debet ritu latino suscipere. Si vero, praeter Lectoris ordinem, ad Subdiaconatum etiam graeco ritu ascendit, antequam inter Diaconos (ritu latino) cooptetur, ex minoribus ordinibus (ritus latini) Exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per Subdiaconatum graeco ritu collatum, Acolythatum, et Ostiaratum recepisse censeatur », utpote qui in illo virtualiter continentur, prout eruitur ex forma ordinationis Subdiaconi; non item exorcistatus. « Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus, Diaconatum aut etiam Presbyteratum graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus respective ordinem, aut Episcopatum promovendus sit, ex apostolica concessione: nimirum Exorcistatus ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecretur, esse supplendum ».

386. **De sacra communione suscipienda in sacrae ordinationis ritu.** — Auctor ipse Lib.[1] de Eccles. Hierarchia cap. 3

aiebat: « non contigit aliquem perfici perfectione hierarchica, nisi per divinissimam Eucharistiam ». Et Pontif. Rom. de ordinatione Presbyteri versus finem, statuit: « Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi: et statim subdit de modo eosdem communicandi: his autem edicitur huius communionis praeceptum in *can. 1005. Omnes ad maiores ordines* supra recensitos *promoti* proinde ad liceitatem *obligatione tenentur* ex materia ritus gravi a) *sacrae communionis* b) *in ipsa Ordinationis Missa*, contra quam circumstantiam peccarent suscipientes illam antea vel postea, *recipiendae* ».

CAPUT. V.

De tempore et loco sacrae ordinationis.

Can. 1006. - § 1. Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum sollemnia, die dominico vel natalitio Apostolorum.

§. 2. Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto.

§ 3. Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto.

§ 4. Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus; mane tamen.

§ 5. Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora praecedentibus paragraphis praescripta; quae servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis aut contra.

Can. 1007. - Quoties ordinatio iteranda sit vel aliquis ritus supplendus, sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora ac secreto.

Can. 1008. - Episcopus extra proprium territorium, sine Ordinari loci licentia, nequit ordines conferre, in quorum collatione pontificalia exercentur, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 15.

Can. 1009. - § 1. Ordinationes generales in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia adeatur.

§ 2. Non prohibetur autem Episcopus, iusta suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus.

§ 3. Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis.

387. **Inscriptio capitis eiusque ordinati canones.** — Sequitur *Caput V* nunc explicandum. *De tempore* quoad diem illiusque partem, *et loco sacrae ordinationis* conferendae, tum relate ad ipsius ministrum considerato, tum in seipso, qualis nempe locus sacer requiratur. Haec duo loca determinantur per can. 1008, 1009, praecedentibus aliis duobus quoad utrumque praedictum tempus:

can. 1006 veluti norma ordinaria et can. 1907 sequendus in casibus iterandae vel quoad aliqua supplendae ordinationis.

388. **Tempora licitae sacrae ordinationis.** — Pont. Rom. quoad diem consecrationis electi in Episcopum ait: (De consecratione electi in Episcopum)... « quae debet esse Dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si S. Pontifex hoc specialiter indulserit ». Hoc « ius ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 1006.* § 1. *Consecratio episcopalis,* huius canonis quoque praescripto, *conferri debet intra Missarum sollemnia* (quia ritu Pontificali et quibusdam cum nota praecinendis), et hinc « solus Romanus Pontifex (qui ante hymnum angelicum consecratur, et postmodum ipse missarum sollemnia incipit et perficit consecratus) in die consecrationis suae valeat Ordines celebrare »[1] b) *die* alterutro sequenti: *dominico vel natalitio Apostolorum.* Cum hic §^us « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sit aestimandus » (can. 6, 2°), recolere oportet « nonnulla dubia circa huius praescriptionis interpretationem », quae soluta sunt a S. Congr. Rit.[2], « videlicet:

I. Quum Evangelistae in re liturgica Apostolis aequiparentur, quaeritur utrum consecratio Episcopalis possit fieri diebus natalitiis S. Lucae et S. Marci?

II. Utrum fieri possit in festo S. Barnabae Apostoli?... Et Sacra eadem Congr.... ita respondendum censuit.

Ad I et II Negative ».

« III. Utrum speciale indultum S.^i Pont.^s requiratur ad consecrationem episcopalem peragendam diebus festivis infra hebdomadam *a*) qui adhuc sunt de praecepto et proinde Dominicis aequiparantur, *b*) vel etiam qui olim erant de praecepto, sive in festis suppressis?...

Ad III affirmative ad utrumque ».

Ordine descendente servato, statuit § 2. *Ordinationes in sacris*, idest: in quibus « ordines sacri » (can. 949) quandocumque conferuntur, *celebrentur* veluti cum externo apparatu, a) *intra Missarum sollemnia*, ut supra, b) *sabbatis Quatuor Temporum*, in quibus ieiunium servatur, quo misericors Deus Ecclesiae suae de bonis ministris provideat, nempe: post primam Quadragesimae dominicam ac tertiam Adventus, mense Septembri, atque ut cap. 1 Decreta-

[1] Cap. 28, De electione et electi potestate; tit. 6, Lib. I Decretalium. — [2] 4 Aprilis 1913, CO. V. 186.

lium declarat: « Sabbato quidem Pontecostes, non liceat alicui sacros ordines celebrare, cum in sequenti septimana (recepta Spiritus Sancti gratia) celebrentur », *sabbato ante dominicam Passionis*, tempore nempe acceptabili Quadragesimae ac diebus salutis, *et Sabbato Sancto*: seu, ut in cap. 3 (loc. cit.) iuxta quaesitum respondetur: « ad subdiaconatum, nisi in praedictis diebus nulli Episcoporum, praeterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare », quamvis « eos, qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem (in ordinis sacramento) non est dubium recepisse sicut respondet Greg. IX Archiep° Baranen. [1].

Regulares obtinuerunt privilegium recipiendi ordines extra tempora. Ait enim Bened. XIII in Conc. Rom. « Quo vero ad Regulares privilegia a SS. Pontificibus habentes sive expresse (quae vigent post Codicem ex can. 613, § 1), sive per viam communicationis concessa (nunc abrogata ob cit. can.) ss. videlicet Ordines extra tempora suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde, Regulares eosdem absque novo Indulto Aplco. tuto posse extra tempora ordinari ». Quod sequutus est in praxi Bened. XIV, dum esset Archiep. Bononiensis, non obstante controversia quam commemorat in Inst. eccles. XXIII. Isti autem, sicut et alii obtinentes rescriptum recipiendi ordines sacros extra tempora debent uti eo diebus tantum dominicis aut festis de praecepto, qui deserviunt pro minoribus ordinibus suscipiendis, et sunt illi qui de facto servantur, vel saltem inveniuntur in Catalogo Urb. VIII [2], quamvis aplco. indulto sint suppressa. Ita docent communiter [3].

Hodie autem non est opus Episcopis rescripto aplco., eo quod iuxta can. 81 concedit § 3. *Gravi tamen causa interveniente* v. gr. ex defectu Sacerdotum in dioecesi, *Episcopus* « consecratus » (can. 951) *potest eas* licite *habere etiam*, seu praeter illos dies concessos, non illorum loco nisi supradicta de causa, a) *quolibet die Dominico*, etiam insequenti post Sabbatum in quo peractae fuerint ordinationes v. gr. in Resurrectionis festo, b) *aut festo de praecepto* interpretando ut supra, eo quod ius praecedens respectu ad Sedis Aplcae. rescripta, quae hic §^us substituit, iisdem formulae verbis exprimebatur [4].

[1] Cap. 16 tit. cit., De temporibus ordinationum 11, Lib. I. — [2] C. « Universa » 13 Sept. 1642.

[3] Et optime, quia S. R. C, in una Marsorum, (12 Nov. 1831. Dec. auth. n. 2682) ad quaesitum: « 1. Si episcopo detur facultas conferendi ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, ceterisque per Aplcam. Sedem abrogatis? Hisce autem diebus licetne conferre etiam ordines minores? » S. C. reposuit. « Affirmative ad 1^m partem; et etiam ad 2^m, sed mane tantum ».

[4] Ampliatur facultas haec in Formula utraque tertia S. Congregationis de Prop. Fide, nam conceditur Vicariis et Praefectis Aplcis. cha-

§ 4. *Prima tonsura quolibet die et hora* sine exceptione, *conferri potest*, ac implicite « etiam extra Missarum solemnia », sicut enunciat Pont. Rom. (De clerico faciendo) idemque asserit « de minoribus ordinibus »; quod ex omissione, dum contrarium fuit expressum in § 2, confirmatur a prosequente §° 4: *ordines minores* quatuor in can. 949 recensiti, supple « conferri possunt » a) *singulis diebus dominicis* b) *et festis duplicibus, mane tamen,* omnino ut statuit Pont. Rom., quapropter viget interpretatio Auctorum suffulta Declaratione cit. S. Congr. Rituum.

In cap. 2 de temporibus ordinationum... (tit. 11 Lib. I) Alex. III ait Episcopo Herforden: « Sane super eo quod moris esse dixisti in ecclesiis quibusdam Scotiae et Valliae, in dedicationibus ecclesiarum vel altarium extra ieiunia quatuor temporum, clericos ad sacros ordines promovere. Significamus quod consuetudo illa (utpote institutioni ecclesiasticae inimica) est penitus improbanda », ac sequitur poenarum enunciatio, quae non sunt abrogatae. Non secus ac in hoc capite, decernit § 5. *Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora*, non solum quoad clericos ad sacros ordines promovendos, ut in illo, sed *praecedentibus paragraphis praescripta;* proinde consuetudo alicubi promovendi ad ordines minores feria VI vespere ante sabbatum quatuor temporum « tamquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5); imo uti contentum sub exceptione can.° 1 habendum est sequens statutum: *quae* « tempora » indicata paulo ante, *servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus*, eiusdemve ritus « Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius » ad normam can 957, *ordinat ex apostolico indulto*, nam sine hoc

---

ractere episcopali insignitis (Form. mai.) facultas « Conferendi » (per seipsos, nam denegatur potestas illam subdelegandi) iusta de causa (seu proportionata praetermissioni observantiae canonis), omnes *sacros Ordines*, (nullo excepto, propter quod additur): etiam Presbyteratum, (non quidem « duo sacri ordines uno eodemque die » [can. 978 § 3] sed diversis) diebus ferialibus, etsi continuis » v. gr. feriis II, III et IV. — Quia « Vicarii et Praefecti Aplci. qui charactere episcopali carent, (solummodo) possunt primam tonsuram et ordines minores conferre » (can. 294 § 2), conceditur in For.a. tertia min. eisdem facultas « Permittendi iusta de causa (supra declarata), et suis subditis (Missioni propterea addictis) omnes *sacri Ordines*, etiam Presbyteratus, (non secus ac in altera Formula) diebus ferialibus etsi continuis conferri possint »; quia canon de ordinationum tempore cum « ordinationes in sacris celebrante » directe loquitur.

« licite ordinare non potest » (can. 955 § 2), *clericum* idest: « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipatum » (can. 108 § 1) *ritus orientalis aut contra*, videlicet: Episcopus orientalis ritus clericum ritus latini ordinans hunc canonem integre servare debet.

389. **Tempus ordinationis licite iterandae vel partialiter supplendae.** — Cum ex una parte maximi sit momenti validitatem ordinationis presbyteralis salvam tueri propter sequelas in animarum salutem vel perniciem derivantes, idemque fortiori ratione dicendum sit de consecratione Episcopali, quae characterem presbyteralem omnino praesupponit iuxta meliorem sententiam, gravis quoque momenti est validitatem constare ordinationis in diaconum et aliorum graduum, quorum ministeria sunt apud Deum propter sacrum susceptionis eorum ritum accepta. Insuper cum ex altera parte sint adhuc bene fundatae opiniones diversae circa essentiam sacrae ordinationis, quando pluribus partibus constat integrantibus illam, sicuti cum respectivis formulis in subdiaconatu duplicis materiae traditione, in diaconatu impositione manus Episcopi ac evangeliorum libri traditione, in presbyteratu impositione manuum Episcopi cum presbyterio ac instrumentorum traditione cum sacrificii materiis atque impositione ultima manuum Episcopi. Demum quia ordinis sacramentum iterari nequit, idemque ex institutione Ecclesiae cautum est de gradibus, qui sacramentum dici non possunt, sequitur ex dictis rationibus, quandoque illos ordinationis ritus esse absolute repetendos, nempe quandocumque invalidos fuisse constet, nonnumquam sub conditione, quia dubium fundatum de ipsorum validitate adsit, ac demum alias supplendas caeremonias ritusque notabiles iuxta Ecclesiae praxim, praesertim quibus exprimitur facultatis secundariae concessio facta ipsis ordinatis, v. gr. manuum inunctiones quae ad benedictiones atque consecrationes impertiendas directae sunt secundum Pont.^{s} Romani verba in eis perficiendis.

Pro his omnibus casibus conditus est *can. 1007. Quoties ordinatio iteranda sit*, eo quod non fuit peracta valide cum morali saltem certitudine, propter omissum vel invalide positum ritum substantialem ac principalem vel concomitantem formam v. gr. in consecratione Episcopali manuum impositio, in presbyterali ordinatione manuum impositio Episcopi cum presbyterio, in diaconatu manus Episcopi super caput subdiaconi immediata impositio, in subdiaconatu traditio calicis cum patena, *vel aliquis ritus supplendus* solummodo, eo quod validam supponat ordinationem, tum quia etsi substantialis ritus reputetur, tamen destinatur ad minus principalem actum v. gr. ultima manuum impositio in presbyterali ordinatione, quam supponit Pont.^{e} Rom.^{m} quoad principalem actum perfectam, tum quia accidentalis potestas per eum tradi censetur v. gr. ex supra citato capite inunctiones in episcopali consecratione, idque

censendum etiam de manuum inunctione ordinandi in presbyterum, *sive absolute* iteretur vel suppleatur ut supra, *sive sub conditione,* quando dubium occurrat bene fundatum vel de praedictis defectibus, eorumque rituum validitate, vel de his quae probabiliter ad essentiam pertinent ordinationis, propter quod haec censeatur iteranda; in his omnibus casibus *id,* nempe: iteratio absoluta vel sub conditione, ritus supplementum, item absolute aut sub conditione, *fieri potest* omnino licite huius canonis concessione non solum ad normam praec.[s] can.[s] de ordinationum temporibus, sed *etiam* a) *extra tempora* illa b) *ac secreto* ad vitandum scandalum vel admirationem, uti exceptio can. 1009.

390. **De loco ratione territorii.** — Ius praecedens circa illum referre oportet, quod per interpretandum nunc canonem in quibusdam mutatur, ac eiusdem sanctiones ob Codicis silentium abrogatae sunt.

In Cap. 5 sess. VI Concilii Trid. sic statuitur: « Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, (idest: actus Pontifici reservatos et cum insignibus pontificalibus, iuxta mitiorem opinionem), nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum; (quibus verbis comprehenduntur ordinationes, utpote quae sunt actus pontificales in ordinandos); si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exequutione ordinum sint ipso iure suspensi ». Hic canon temperatus est a S. C. C., quae apud Bened. XIV [1] pluries rescripsit episcopum ex Ordinarii expressa licentia posse in aliena dioecesi exercere pontificalia tum in personas eidem Ordinario subiectas, tum in personas sibimet subditas, tum denique in personas aliis subiectas episcopis habentes horum litteras dimissorias. Ex dictis sequitur Episcopos, qui populum subiectum non habent, sicuti Episcopi titulares, vel qui Ecclesiae suae renuntiarunt, nonnisi de alterius Episcopi licentia ordines conferre posse. — De ordinandis vero ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui, ita praescribit vigens caput Decretalium ante Codicem, quod nunc (si casus occurrerit) abrogatum non videtur propter eius rationem, quamvis omittatur in Codice, utpote quod fere nullius est usus [2]. « Respondemus igitur distinguendo, utrum Episcopus renunciaverit loco tantum, an loco simul et dignitati: nam in primo casu ordines (sicut antea) rogatus ab Episcopo aliquo poterit de ratione conferre. In secundo vero casu distinguendum putamus, utrum sacros contulerit, an minores. Si enim a tali ordines usque ad subdiaconatum (intelligendum exclusive iuxta ea quae sequuntur) aliquis acceperit: quia et huiusmodi ordines a non Episcopis quandoque conferuntur, et in illis deservire poterit, et ad maiores, (si idoneus fuerit), promoveri. Sane si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, exe-

[1] Ep. « Ad audientiam » 15 Febr. 1754, n. 6. — [2] Cap. 1, Tit. XIII, Lib. I.

quutionem officii non habebit; ubi autem non scienter, poterit (nisi crassa et supina fuerit ignorantia) discretus Pontifex dispensare ». — Hoc ultimum vigeret quoad prohibitionem subintellectam recipiendi sacros ordines, sed quoad sanctionem videtur iam abrogatum fuisse a const. « Aplcae. Sedis » Pii IX, quamvis intelligatur uti simplex prohibitio, nam quando salvam huiusmodi voluit, expressit Pontifex in dicta Const.[e]

Haec disciplina fuit modo sequenti retenta in *can. 1008. Episcopus*, prout iam generaliter fuit statutum in can. 337, non vero « Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius » (can. 957 § 2), a) *extra proprium territorium*, scilicet: « extra dioecesim » proinde residentialis, quod non intelligitur « de locis intra illam exemptis », et implicite prohibentur ubique Episcopi titulares, b) *sine Ordinarii loci licentia*, non tantum « expressa » ut in Dec.° Trid.°, sed « saltem rationabiliter praesumpta, et si agatur de Ecclesia exempta (ab Ordinarii loci iurisdictione), de consensu Superioris religiosi », prout in can. 337 § 1 explicatum est, c) *nequit ordines* licite *conferre*, quae prohibitio est intelligenda non de omnibus indiscriminatim, sed de maioribus ordinibus semper, ac de minoribus, quando non « sufficit iuxta Pont. Rom., quod habeat stolam supra rochetum, vel supra superpelliceum (nunc abrogatum [1]), et mitram simplicem », seu prouti sequens clausula innuit limitans vetitum: d) *in quorum collatione pontificalia exercentur*; scilicet: « exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum ac mitram » (can. 337 § 2). Etenim Pont. Rom. post dicta paulo ante addit: « Cum autem Pontifex est celebraturus pro sacris ordinibus conferendis, habere debet sandalia, et omnia paramenta Pontificalia », et consequenter si ad ordines minores ac primam tonsuram « intra missarum sollemnia est promoturus ». — Explicit canon his verbis: *salvo praescripto can. 239 § 1, n. 15*, hoc est: S. R. E. Cardinalium privilegio contra hunc canonem « pontificalia peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario praemonito, (igitur etiam sine ipsius licentia ulla, et tantum) si Ecclesia sit cathedralis ».

391. **Locus legitimus sacrarum ordinationum.** — Decretum Conc. Trid. [2] de verbo ad verbum refert *can. 1009.* § 1. *Ordinationes generales*, quae nempe pro idoneis omnibus, qui promoveri desiderant, fiunt « statutis a iure temporibus » prout expressit cit.

[1] Bened. PP. XV in Motu Proprio « Episcopis et Regularibus » 25 Apr. 1920. CO. XII, 194. — [2] Cap. 8 sess. XXIII de Ref.

cap., a) *in cathedrali ecclesia,* cui aequipollet abbatialis vel praelatitia, quando illae celebrantur ab Abbate vel Praelato nullius, b) *vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis*, vel in eorum defectu consultoribus dioecesanis ad mentem can. 427, c) *publice* scilicet: ingressu patente fidelium multitudini *celebrentur*. Ita praescripsit Ecclesia faciendum ob maiorem sacerdotii honorem apud fideles promovendum, ac iuxta morem in antiquo servatum et adhuc in sacra liturgia memoratum, quando populi bonum testimonium de promovendis expostulabatur, quamvis non sit omnino necessarium, sicut definitum est in eodem Conc. [1]; *si autem* Episcopus, Abbas vel Praelatus nullius eas celebret *in alio dioecesis loco*, « cuius nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215 § 2), a) *praesente clero loci* b) *dignior*, sub conditione: *quantum fieri poterit*, sed tunc praeceptive, *ecclesia adeatur*, idest: ut in ea celebrentur propter dictam supra rationem.

Poterat intelligi Conciliare Decretum ita ut sacrae ordinationes extra tempora etiam in Episcopalis Palatii sacello fieri possent. Id vero sic expressit cum moderamine § *2. Non prohibetur autem Episcopus,* ac proinde libere potest, a) *iusta suadente causa*, v. gr. ut morem gerat regularibus, qui gaudeant privilegio promotionis extra tempora, ut celerius aliqui ad sacerdotium, digne tamen ascendant, b) *ordinationes particulares*, quae tales sint, eo quod dantur extra tempora, vel quia non indistincte pro omnibus, *habere* c) *in aliis etiam ecclesiis* quibuscumque proprie ad normam can. 1161 itemque d) *in oratorio* non iam publico aut quolibet semipublico, sed a) *domus episcopalis* sic dictae propter Episcopi residentiam, cui aequipollet iure domus abbatialis vel praelatitia respectu Abbatis vel Praelati nullius b) *aut seminarii*, c) *aut religiosae domus* nempe: « alicuius religionis in genere » (can. 488 n. 5°).

Praecedentes praescriptiones respiciunt ordinationes in sacris, ceteras vero primamque tonsuram, quando hae intra missarum sollemnia cum aliis conferuntur. Hanc enim interpretationem suggerit § *3. Prima tonsura,* non « quocumque loco » quamvis decenti sed profano, ut permittebat Pont. Rom., cum « expresse corrigatur » (can. 2) hic implicite, *et ordines minores conferri*, nec additur circumstantia « extra missarum solemnia », hinc quoque intra ea *pos-*

[1] Can. 7 eiusdem Sess.

sunt etiam idest: tamquam limitem inferiorem *in privatis oratoriis*, ita vocatis (can. 1188 § 2, 3°) « si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erecta sint ».

CAPUT IV.

De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis.

Can. 1010. - § 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.

§ 2. Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae testimonium; qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando.

Can. 1011. - Praeterea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero saeculari, aut Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro ad normam can. 470, § 2.

392. **Inscriptio capitis huiusque canones.** — Deinde sequitur ultimum huius tituli *Caput VI. De adnotatione* in perpetuam rei memoriam adservanda, *ac testimonio*, quod interesse habentibus datur, *peractae ordinationis*, proinde huic subsequentibus. De his statuit can. 1010, cui alius 1011 subnectitur de quodam mittendo testimonio uniuscuiusque subdiaconi ordinationis.

393. **Ordinationum adnotatio determinata, et singularum testimonium.** *Canon 1010. § 1. Expleta ordinatione*, non prius, quia posset aliqualiter impediri, et ne veritas adnotationis nutet, vel haec sit corrigenda, *nomina*, quibus discernuntur personae, seu nomen ac praenomen a) *singulorum ordinatorum* qua talium, scilicet: designata suscepta ordinatione, *ac* b) *ministri ordinantis*, sive proprius fuerit ordinatorum sive ob commissionem dimissoriarum, c) *locus* ad normam can. 1009 bene designatus, d) *et dies ordinationis* peractae *notentur* a) *in peculiari* idest: ad hoc destinato *libro* forsitan ex foliis typographicis confecto b) *in Curia loci ordinationis*, proinde in eadem pro omnibus promotis, quamvis diversarum sint dioecesium, c) *diligenter*, utpote ex quo maximi momenti probatio aliquando petenda esset, *custodiendo* equidem opportune apud « archivum seu tabularium dioecesanum » (can. 375 § 1), imo ad eiusdem §ⁱ normam additur hoc in canone: *et omnia singularum ordinationum documenta* de requisitis singulorum promotorum, de his quae praeire

debent sacrae ordinationi, *accurate serventur*, eo quod fortassis in posterum consuli utiliter poterunt.

Innocentio XII asserente in const. « Speculatores » supra citata, scimus suo iam tempore ordinationis testimonium dari promotis, ipseque iussit quaedam in eo inseri, ut constaret de adimplemento praescriptionum in ea Bulla contentarum. Hae fere omnes abrogatae sunt, sicut animadvertimus supra ob earum in Codice omissionem, et patet in § 2. *Singulis ordinatis* per primam quoque tonsuram *detur* ex praecepto *authenticum* Curiae sigillo ac subscriptione saltem notarii, vel Ordinarii loci, *ordinationis receptae* ad eius fidem faciendam *testimonium*, est enim res fori externi de cuius certitudine interest maxime Ecclesiae, atque non raro ipsius ordinati. De illis est secunda canonis pars: *qui* ordinati, *si ab Episcopo*, Vicario ac Praefecto Apostolico, Abbate vel Praelato nullius, *extraneo*, id est: singulorum non proprio ad normam can. 956, 957, proinde *cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud* « authenticum testimonium » *proprio Ordinario*, qui eas dedit dimissorias, *exhibeant pro ordinationis adnotatione*, quod propterea contineat oportet quae notanda sunt ad normam §^i 1^1, *in speciali* ordinationum *libro in archivo* nec additur secreto *servando*, qui potest esse idem ac ille de quo loquitur §^us 1us, et hinc confirmatur tunc data interpretatio. Et hic est secundus liber memoratus et praescriptus in hoc Tractatu, nam de dispensatione irregularitatis vel impedimenti « in foro interno non sacramentali concessa in secreto Curiae libro », qui proinde distinctus est ab altero huius canonis, « constare debet » (can. 911 § 4).

394. **Notificatio ordinationis subdiaconi.** — Nova praescriptio aequalis alteri de contracto matrimonio inductae per Dec. « Ne temere » S. C. C. [1] edita est in *can. 1011. Praeterea*, scilicet: servatis quae in can. praec. continentur, a) *loci Ordinarius*, et tum ob connexionem cum eodem praec.^s can.^s verbo *si agatur de* (propriis quoad ordinationem subditis) *ordinatis e clero saeculari*, tum ob analogiam cum sequenti clausula: b) *aut Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis*, unde praescriptum sequens canonis, si agatur de religiosis quorum « ordinatio regitur iure saecularium » (can. 964, 4°), gravat Ordinarium loci in quo « sita est domus

[1] 2 Aug. 1907.

religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinatus» (can. 965), ac est huius tenoris: *notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi*, non aliorum in sacris, *transmittat* «loci Ordinarius aut Superior maior» respective praefatus, etiamsi hoc per privatas litteras fiat, et per se aut per alium, ipsius tamen nomine, *ad parochum baptismi*, nempe: ad rectorem illius ecclesiae paroecialis, in qua promotus ad subdiaconatum baptismum recepit, cuius explicatur obligatio: *qui id*, nempe: ordinationem illius subdiaconi *adnotet in suo baptizatorum libro* ad marginem vel ad calcem testimonii baptismatis *ad normam can. 470, § 2* explicatam in Commentario Textus eo in loco.

TITULUS VII.

De Matrimonio.

Can. 1012. - § 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

Can. 1013. - § 1. Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae.

§ 2. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.

Can. 1014. - Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127.

Can. 1015. - § 1. Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum*, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro.

§ 2. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.

§ 3. Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum, dicitur *legitimum*.

§ 4. Matrimonium invalidum dicitur *putativum*, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

Can. 1016. - Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

Can. 1017. - § 1. Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.

§ 2. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet.

§ 3. At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur.

Can. 1018. - Parochus ne omittat populum prudenter erudire de matrimonii sacramento eiusque impedimentis

395. **Inscriptio Tituli.** — Iam devenimus ad *Titulum VII* maioris momenti pro civili ac religiosa societate inscriptum *De matrimonio*, non solum, quamvis praecipue tractetur, de ipso ut est sacramentum, verum etiam quatenus ex iure naturali est institutum in officium naturae.

« In matrimonio est tria considerare: primo » matrimonium in fieri seu contractus ipse matrimonialis quo vir et mulier se invicem recipiunt in maritum et uxorem; et « secundum hoc vocatur nuptiae, a *nubo*, quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velari solebant »; secundo matrimonium in esse seu vinculum (aut coniunctio) dicto contractu causatum, quo maritus et uxor devinciuntur mutuis iuribus et obligationibus, « et secundum hoc nominatur coniugium »; et demum actus consummationis matrimonii, seu effectus qui est proles, et hinc sortitus est contractus ac vinculum matrimonii nomen, « ex hoc quod, ut Augustinus dicit [1]: mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut sit mater ». D. Thomas subdit: [2] « Potest etiam matrimonium quasi *matris munium*, id est, officium dici, quia feminis incumbit maxime educandae prolis officium; vel dicitur matrimonium, quasi *matrem muniens*, quia iam habet quo defendatur et muniatur, scilicet virum: vel dicitur matrimonium, quasi *matrem monens*, ne virum reliquat, alteri adhaerens; vel dicitur matrimonium, quasi *materia unius*, quia in eo fit coniunctio ad unam prolem materialiter inducendam, ut dicatur matrimonium a *monos* et *materia*, vel dicitur matrimonium, ut Isidorus dicit, [3] a *matre* et *nato*, quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati ».

« Sicut supra dictum est, in matrimonio tria considerantur, et secundum hoc tres definitiones inveniuntur de matrimonio datae: nam definitio Hugonis (cum qua definitiones Auctorum substantialiter conveniunt) tangit causam, scilicet consensum », qui est precipua pars contractus matrimonialis sic ab eo definiti: « duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus ». Contractus enim in genere est « duorum vel plurium in idem placitum consensus ». Quae generica definitio ad praecedentem matrimonii determinatur tum designando placiti communis seu consensus obiectum, scilicet *de coniunctione* simpliciter dicta utpote naturali, tum per designationem *personarum*, *duarum* nempe in matrimonio, tum exprimendo alias conditiones necessarias in matrimoniali contractu ex parte personarum, dum dicitur *idonearum*, viri ac mulieris, etc., et ex parte actus contrahendi quando adiungitur *legitimus*. — Matrimonium vero formaliter, seu prouti statum constituit matrimonialem, est: « inter legitimas personas (virum ac mulierem, etc.) maritalis coniunctio, individuam vitae consuetudinem retinens ». Quae « definitio tangit essentiam matrimonii, scilicet: *coniunctionem*, et addit determinatum subiectum, in hoc quod dicit *inter legitimas personas*, ponit etiam differentiam contrahentium ad speciem, in hoc quod dicit *maritalis*, quia cum matrimonium sit coniunctio ad aliquid unum, talis coniunctio in speciem trahitur per illud ad quod ordinatur,

[1] Contra Faustum, lib. XIX, cap. 26, a med. — [2] Suppl. q. XLIV art. 3 corp. — [3] Etymol. lib. IX, cap. ult. circ. med.

et hoc est id quod ad maritum pertinet, ponit etiam virtutem huius coniunctionis, quia indissolubilis est, in hoc quod dicit *individuam*, etc. — Sed alia definitio (videlicet: matrimonium est consortium communis vitae et communicatio divini et humani iuris) tangit effectum ad quem ordinatur matrimonium, scilicet vitam communem in rebus domesticis. Et quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur ordinativum istius communicationis, scilicet: ius divinum et humanum; aliae autem communicationes, ut negotiantium et militantium, solo iure humano institutae sunt».

396. **Ordo inter canones praeliminares.** — Prout de more in Codice valde rationabiliter servato, primo sacramenti matrimonii notio traditur in can. 1012, subsequentibus duobus can. 1013, 1014 de finibus ac proprietatibus illi attributis ex iure naturae, ac de favore qui eidem est delatus iure positivo humano. Diversas matrimonii appellationes propter istius distinctionem refert atque admittit can. 1015, cui distinctioni opportune connectitur can. 1016 de diverso iure, quo matrimonium regitur. Duo autem postremi can. 1017, 1018 exhibent normas de actibus ad matrimonium relatis, tum directe ex parte contrahentium quamvis non necessario praemittendis, tum ex parte parochi propter illud indirecte ponendis.

397. **Sacramenti matrimonii propria nota.** — In quo sita sit huius sacramenti institutio, tradit aiens *can. 1012, § 1. Christus Dominus*, dum in terris degeret saltem redivivus, *ad sacramenti* proprie seu novae legis *dignitatem*, quatenus signum est coniunctionis moralis inter Christum et Ecclesiam, quae fit per gratiam et mutuam praecipue charitatem, dicente Apostolo: «Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia» (ad Eph. V, 32): etenim quantum est de se, matrimonium coniuges unit non solum naturali vinculo, sed etiam gratia et charitate, alias enim signum illius unionis moralis esse non posset. — Proinde ad hoc efficax signum gratiae, Christus *exerit* sua institutione *ipsum contractum matrimonialem*, nihil addens huic contractui physice distinctum, quia huiusmodi dignitas eidem accessit positis termino extrinseco ipsius repraesentationis, quando Christus Dominus «dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, illam mundans lavacro aquae in verbo vitae» [1], atque institutione Christi Dei, ut matrimonium efficere possit gratiam, equidem solum *inter baptizatos*, qui tantummodo sunt habiles ad sacramenta valide suscipienda ce-

[1] Ad Ephes. V, 25, 26.

tera propter baptismum. Et sic patet veritas huius §[1] ceteroquin referentis dogmaticam definitionem Conc. Trid.: [1] « Si quis dixerit, matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit ».

Hinc sponte fluit quod asserit § *2. Quare*, idest: ob §[1] 1[1] certam propositionem *inter baptizatos* virum et mulierem, quia dubitatur adhuc an inter eas personas quarum unica tantum est baptizata matrimonium sit sacramentum, *nequit matrimonialis contractus* etiam reflexa intentione abstractiva *validus consistere*, eo quod adversus divinam iuris dispositionem supra explicatam nequit voluntas humana praevalere, *quin sit eo ipso sacramentum* validum quoque propter coniunctionis effectum, et causa per se efficax gratiae ni obicem in aliquo ex contrahentibus subiecto inveniret. Quae doctrina probatur, et explicatur eiusdem §[1] sensus ex seq.[s] prop.[s] in Syllabo Pii IX damnatis. « Prop. 65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. 66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est ».

398. Sacramenti matrimonii materia, forma et ministri [2]. — Sunt quidam dicentes materiam remotam esse ius mutuum in corpora in ordine ad generationem. Sed hoc non videtur verum. Ante contractum enim matrimonialem ius ad matrimonium habetur, sed ius mutuum illud minime, cum sit matrimonii sacramento efficiendum. Materia vero remota in sacramentis praesupponitur eis, et est quae adhibetur in conficiendo sacramento. Atqui ea quae praeexistunt matrimonio et de quibus matrimonialis contractus fit, sunt corpora contrahentium legitime ad actus coniugales apta, seu ut ait D. Th. infra [3] « legitimae personae ad contrahendum ». Ergo haec sunt vera materia remota sacramenti matrimonii.

Communissime nunc asseritur verba vel signa, prout exprimunt traditionem mutui iuris corporum inter eos qui matrimonium contrahunt, esse materiam proximam, eademque verba vel signa, prout manifestant acceptationem praefati iuris in ordine quidem ad generationem per dictas personas, esse formam sacramenti matrimonii.

[1] Sess. XXIV, can. 1. — [2] D. Th. Suppl. q. XLII, a. 1 ad 2[m] et 1[m]. — [3] Suppl. q. XLV, art. 5. Sed contra 2.

— Haec sententia veritatem habet: quatenus in actibus contrahentium materiam proximam constituit et in verbis formam, itidemque verba sub conceptu formali distincto in materia et forma reponit, atque insuper considerat in eis acquisitionem iuris matrimonialis et assumptionem mutuae obligationis. Deficere tamen videtur a veritate: quatenus materia proxima in sacramentis habere debet respectum ad materiam remotam, cuius est usus, applicatio, seu adhibitio: et forma directe respicit intentionem ministrantis, qui per illam perfecte determinat materiam illam proximam; atque insuper dicens traditionem atque acceptationem mutui iuris in corpora, intelligere facit praedictum ius quod traditur et acceptatur praeexistere. — Melius ergo videtur intelligendum: materiam proximam esse actus contrahentium, qui utentes naturali iure ad matrimonium, subiiciunt mutuo propria corpora per obligationis assumptionem in ordine ad actus coniugales, et acquirunt ius etiam mutuum obligationi praedictae relativum. Qui actus sunt voluntatis utriusque *consensus* per verba vel signa *facti sensibiles*. Forma vero sunt illa iuxta ss. canones verba vel signa quatenus exprimunt materiam illam proximam inter determinatas personas.

Ad quorum evidentiam duo considerare oportet: primo ius ad actus venereos etsi secundum naturam positos, nec in corpus alterius personae quamvis consentientis, nec in proprium corpus dari ante initum matrimonium, repugnante naturae lege. Proindeque non posse transferri in alteram personam perficiendo matrimonialem contractum, sicut transfertur ius habitum in re mobili per venditionem vel in propriam activitatem per contractum servitii. Secundo; in aliis sacramentis materia remota per aliquem actum adhibetur, v. gr. aqua per infusionem in baptismo, et de peccatis est actus conterentis se, ac peccata confitenda sunt ab eo in poenitentia; qui actus proinde vocantur materia proxima. Et quamvis illa infusio aquae sit actus baptizandi; attamen quia posset fieri ad temperandum corpus vel ad abluendum, hoc ultimo sensu fieri per verba formae indubie designatur; et similiter actus poenitentis per se ad remissionem peccatorum ordinantur, sed poni possent ad consultationem vel ad requirendam consolationem; primum tamen ordinem illos actus habere indubium fit per sacerdotis absolutionem, quae tamen ex natura iudiciali sacramenti remissionem peccatorum etiam tribuit. Modo simili per actum consentiendi contrahentes matrimonium

subiiciunt mutuo propria corpora in ordine ad generationem et acquirunt vicissim ius in alterius corpus, quod possunt facere vi iuris ad matrimonium; verba autem illos consensus non solum exprimunt, sed determinant erga quas determinatas personas ille mutuus consensus versetur et quid respiciat; posset enim consensus mutuus inter virum et mulierem de alia re esse, vel non praecise inter personas quae matrimonium celebrare noscuntur. Et sic patet non in traditione atque acceptatione per verba expressis ponendas esse materiam proximam et formam huius sacramenti, sed illam materiam in actibus voluntatis contrahentium matrimonium praedictis ac expressis, et formam in eorum verbis vel aequipollentibus signis.

399. **Ministri huius sacramenti sunt ipsi contrahentes.** — Intentio ministri faciendi saltem quod facit Ecclesia, in aliis Sacramentis habetur, quatenus aliquis ponit libere ac cum veritate seu ex animo formam Sacramenti, libere ac vere dicit: baptizo, confirmo, absolvo, hoc est corpus meum [1]. Ergo pariter in sacramento matrimonii intentio est actus voluntatis contrahentium quo libere ac vere exprimunt consensum eorum matrimonialem, atque a consensu ipso non differt nisi ob additum respectum ad plene determinatam expressionem eius.

400. **Quid in eo sit, sacramentum tantum, res et sacramentum, ac denique res tantum significata, et quotuplex sit haec.** — Apud Theologos quoad novae legis Sacramenta vocatur « sacramentum tantum » sensibile signum a Christo Domino institutum ad causandam gratiam in recipientibus illud, constans materia et forma, « res et sacramentum » dicitur id quod per sacramenta immediate significatur, alius significationem prae se ferens, v. gr. character in sacramentis quae hoc imprimunt, vinculum ex matrimonii sacramento, ac denique « res tantum significata » dicitur illa quae a predictis designatur quin aliud ultra significet. Ad matrimonii sacramentum quod spectat, ait S. Thomas [2]: « etiam in hoc sacramento sunt illa tria; quia sacramentum tantum sunt actus exterius apparentes; sed res et sacramentum est obligatio (mutua) quae innascitur viri ad mulierem (ac viceversa) ex talibus actibus, sed res ultima contenta est effectus huius sacramenti (nempe: gratia illa peculiaris quam illud sacramentum suscipientibus confert), non contenta autem est res quam Magister (Sententiarum) determinat ». Videlicet: « unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc sacramento, sed res significata, et non contenta, et talem rem nullum sacramentum efficit ».

[1] Suppl. q. XLII, a. 1 ad 5 et 4.

[2] Ita D. Th. in P. III. q. LXIV a. 8. « Et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, etc. ».

401. **Matrimonii fines atque proprietates.** — *Can. 1013. Matrimonii,* sive pro contractus significatione accepti, sive formaliter pro causata inter virum et mulierem iuridica coniunctione, *finis* iure naturae illi assignatus, qui ut posterior matrimonio frustrari potest in singulis, tum naturae viribus quoad effectum, tum coniugum voluntate circa actus qui ab ipsa pendent, sed a) *primarius,* eo quod sine relatione ad illum finem per ius (implicite saltem volitum in contractu, et possessum in statu matrimoniali) ad actus eidem fini aptos concipi nequit matrimonii institutum ex natura, *est procreatio,* sicut finis diversi sexus in ceteris animalibus. *atque educatio prolis* ex propria hominis natura, quoad corpus propter eius debilitatem sicut in quamplurimis animalibus apparet, quoad intellectum et mores in quibus omnino ab eis homo distinguitur; b) *secundarius,* sine quo matrimonium in statu innocentiae subsistere posset, sed post peccatum etiam ad hunc deservit matrimonium ex sua naturali institutione, est duplex, nempe *mutuum* mariti et uxoris *adiutorium* in domesticis rebus ex communicatione operum, quae est inter virum et uxorem, *et remedium concupiscentiae* iuxta naturam exercitae, ne ad illicita pertrahatur haec praeter aut contra sexus naturam.

§ 2. *Essentiales matrimonii* scilicet: coniunctionis seu vinculi matrimonialis, ac proinde non excludendae in contractus consensu, quia sunt *proprietates* ab eo inseparabiles iure naturae ac divina institutione, *sunt* a) *unitas,* quae ex parte viri contra polyandriam est ex primis praeceptis legis naturae, quia polyandria opponitur quodam modo procreationi et tollit educationem prolis ob incertitudinem patris, ergo adversa est primario fini antea explicato in § 1; « unitas » vero matrimonii ex parte uxoris contra polygamiam non est ex primis, sed ex secundis praeceptis legis naturae, eo quod pluralitas uxorum repugnat tantum secundario matrimonii fini, qui est proprius hominum: *ac* b) *indissolubilitas,* quae vi legis naturae ac divinae sic viget, quatenus sola coniugum voluntate abrumpi nequit, ac insuper matrimonium infidelium sive nondum sive iam consummatum nequit potestate civili dissolvi quoad vinculum ex iure naturae, iuxta damnatam in Syllabo Pii IX prop. LXVII. « Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri

potest ». Quod naturae ius sic exponitur ac probatur a D. Thoma [1]: « matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturae est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum haeredes sint [2]. Et ideo cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturae dictamen. Et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturae » [3]. Attamen « in bono prolis, secundum quod est de prima intentione naturae, intelligitur procreatio, et nutritio et instructio, quousque proles ad perfectam aetatem ducatur; quae requirunt diuturnam commansionem parentum, quod non est in concubina, quae ad tempus assumitur [4]. Sed quod proli provideatur in posterum per haereditatis et aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturae intentionem ».

Prosequitur can. 1013 in § 2: *quae* duae proprietates declaratae hucusque *in matrimonio christiano*, nempe: iuxta Christi legem contracto inter baptizatos, *peculiarem obtinent firmitatem*, ut constat de unitate in Conc. Trid. (sess. XXIV) et dogmatico can. 2. « Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit ». Imo ex prima divina institutione matrimonii, hoc habet praedictam unitatem ex ipsius Dei voluntate naturam confirmante iuxta verba Conc. Trid. in Decreto doctrinali de sacramento matrimonii: « Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba (nempe: adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una) tanquam a Deo prolata, referens dixit: Itaque iam non sunt duo sed una caro », ac de indissolubilitate prosequitur hoc modo: « statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit (Iesus): Quod Deus coniunxit, homo non separet ». Quibus verbis abrogavit Christus pro lege nova permissionem legis veteris, ob quam eidem proposita fuerat quaestio de matrimonii solubilitate. — Et hac duplici lege divina de matrimonii proprietatibus sicut et lege naturali tenentur nunc omnes, etiam non baptizati, eo quod dispensatio de uxorum pluralitate concessa patribus per internam inspirationem seu divina revelatione fuit solum eis concessa, ut asserit Innoc. III in

[1] Suppl. q. LXVII a 1 c. — [2] II ad Cor. XII. — [3] Loc. cit. a. 2 ad 1m. — [4] Ib. ad 2m.

cap. « Gaudemus » 13 De Divortiis (IV, 19), ob multiplicationem Deum colentium, quae tunc fiebat per propagationem, dum haec causa cessavit tempore novae legis, atque Iesus Christus illam concessionem expresse revocavit.

Sed canon, quem commentamur, peculiarem proprietatum matrimonii assertam firmitatem fundat in *ratione sacramenti*, scilicet: eo quod « est signum perpetuae coniunctionis (unius) Christi et Ecclesiae » unius, sanctae, catholicae ac Apostolicae [1]. Has enim consequitur matrimonium propter Christi institutionem revocans illud ad primaevam perfectionem illudque sic perfectum dignitate sacramenti donans, unde matrimonium inter baptizatos contractum et consummatum est undequaque indissolubile vita utriusque coniugis durante: quod confirmatur ex Conc. Trid. can. 7 (sess. XXIV): « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi: et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere; moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit ». — E contra ex duobus coniugibus uno tantum ad fidem converso, eorum matrimonium antea contractum etiamsi consummatum dissolvi potest per legitimum Privilegii Paulini usum, quae est divina concessio in favorem fidei. Quod non valet iuxta S. Sedis declarationes de matrimonio valide contracto cum impedimenti dispensatione inter baptizatum et non baptizatum, quod fuerit consummatione completum.

402. **Favor iuris.** — *Can. 1014. Matrimonium* sumptum praecipue pro vinculo coniugali *gaudet favore iuris* in genere ex recta ratione, sed praesertim ss. canonum protectione quoad suam propriam iuris divini stabilitatem; *quare* (addit consequenter canon) *in dubio* quocumque iuris aut facti, sed huius praecipue *standum est* in utroque foro interno ac externo *pro valore matrimonii* accepti pro significatione contractus matrimonialis atque sequuti vinculi, *donec contrarium*, idest nullitas morali seu iuridica evidentia pro fori diversitate *probetur* argumentis positivis; et haec norma est equidem valde prudens, quia melius est salva conscientia quosdam in

[1] Loc. cit. a. 1 ad 2[m].

contubernio vero, quod matrimonium reputatur, relinquere, quam incurrere scienter periculum violandi legem indissolubilitatis matrimonii; tamen utpote iure ecclesiastico orta praedicta norma debet potiori iuri cedere locum per exceptionem sequentem: *salvo praescripto can. 1127,* praevalente « favore iuris quo privilegium fidei (tunc explicandum) gaudet ».

403. **Matrimoniorum distinctiones ac diversae iuris appellationes.** — Cognito undequaque matrimonio, huius exhibet distinctiones *can. 1015.* § 1. *Matrimonium baptizatorum* nempe: huiusmodi contrahentium vinculum *validum* propter talem contractum matrimonialem *dicitur* communiter ac in ecclesiastico iure *ratum,* qua in Ecclesiae foro externo recognitum, veluti secundum ss. canones de validitate contractum, et haec appellatio ex historicis iuris documentis constat tum Decretalium, tum aliis Sedis Apostolicae, tum ex cap. 1, Conc. Trid., sess. XXIV, De ref. matrimonii; retinetque simpliciter hoc nomen, *si nondum consummatione* infra explicanda *completum est,* tanquam animo tantum constans vinculum seu in actu primo; *ratum* vero simul *et consummatum* « dicitur illud validum », *si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus,* nempe: ad prolis generationem aptus secundum quod haec a voluntate pendet, sic enim ille explicatur in canone: *ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis* ad normam can. 1013, et quo contractu ad hunc actum datur mutuo ius; magisque determinatur ille actus ex sequentibus verbis: *et quo coniuges fiunt una caro* iuxta S. Scripturae locutionem in ecclesiastico iure scripto saepius adoptatam, et quae proinde erit secundum Auctorum probatorum interpretationem aestimanda. Et haec est matrimonii distinctio ratione complementi ipsius contractus.

Huius occasione capta, inseritur iuris veteris quaedam praesumptio in § 2. *Celebrato matrimonio,* scilicet: contractu matrimoniali quocumque, *si coniuges simul cohabitaverint,* nempe: diu noctuque, vel solum noctu (v. gr. in officina detenti per diem), sed sub eodem tecto, *consummatio* supra declarata *praesumitur* praesumptione « iuris simpliciter, contra quam admittitur probatio tum directa, tum indirecta » (can. 1826), ad quod innuendum addit canon: *donec contrarium probetur* equidem in iudicio ab eo cuius intersit, nam canones « de praesumptionibus » in Codice inter alias iudiciales probationes inseruntur.

Cum matrimonium in fieri « sit duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus », ac divisio propria ex his quae sunt essentialia accipiatur, contradistinguitur matrimonium quod est sacramentum, indeque celebrandam valide iuxta ss. canones, quibus subiiciuntur baptizati vi can. 87, ab altero quod sic denominat § 3. *Matrimonium inter non baptizatos* tum virum tum mulierem *valide celebratum* iuxta legales normas, quae idoneitatem personarum contractusque matrimonialis actum moderantur, *dicitur legitimum* « secundum propriam verbi significationem » (can. 18), unde hoc definitur recte: « quod legali institutione, vel provinciae moribus, non contra iussionem Domini contrahitur ».

§ 4. *Matrimonium,* seu viri mulierisque maritalis coniunctio, *invalidum* propter substantiale contractus matrimonialis vitium *dicitur* proprie *putativum,* tanquam non verum sed existimatum esse prout apparet, *si* a) *in bona fide,* sumpta pro conscientia non dubia nullitatem excludente, b) *ab una saltem parte,* idque sufficit, erga quam erit proprie putativum, etsi non alteri nec aliis, c) *celebratum fuerit,* atque ex tunc dicitur tale *donec utraque pars* forsitan prius ignara *de eiusdem nullitate,* quae vera est, *certa* (nec sufficit superveniens dubium) *evadat* ob rationes positivas, quae sui ipsius conscientiam corrigant de errore aut ignorantia.

404. **Quo iure regitur matrimonium.** — *Can. 1016. Baptizatorum,* sive inter se sive cum non baptizato illi contrahant *matrimonium,* qui contractus, ille utpote sacramentum, iste tanquam proprii subditi baptizati, et inde consequens vinculum, Ecclesiae interest, *regitur iure* a) *non solum divino,* sive positivo sive naturali, ut in can. 6, 6° distinguitur, *sed etiam canonico,* seu ab Ecclesiae universalibus legibus, ita ut Episcopi pauca iubere possint, nisi determinationes sint quoad praxim praedictorum canonum, expressaque illorum concessione, nec leges civiles ipsum attingant etsi quoad liceitatem, utpote sacramentum, nam de validitate constat illarum exclusio ex seq.[s] damnatis in Syllabo Pii IX propositionibus: « LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit,... » et « LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere ». — Haec dicta confirmantur ex canone sic prosequente: *salva competentia civilis*

potestatis sub quacumque legitima forma gubernii exerceatur *circa mere civiles,* quo verbo restringitur ad illos competentia, v. gr. quoad modum communitatis bonorum, quoad dotis proprietatem vel usumfructum, quoad filiorum admissionem ad officia publica, *eiusdem matrimonii* de quo in canonis initio *effectus* non necessarios ipsius, alioquin essent non mere civiles, v. gr. legitimitas filiorum et coniugum « aequum ius et officium », aliique recensiti sub tituli huius cap. IX.

Ex hoc canone admitti potest sano sensu distinctio matrimonii in *canonicum* ac insuper *civile.* Primum sit « quod contractum fuerit servatis Ecclesiae legibus urgentibus circa ipsius validitatem ». Civile autem matrimonium « quatenus in eo servatae sint quoque legum civilium praescriptiones, sine quarum observantia illud ex humana voluntate effectibus civilibus destituitur ». Appellatio illa sic adhibetur in Dubio, quod huic canoni connectitur, per S. Congr. de Sacramentis soluto [1]: « an admitti possint ad celebrationem matrimonii mulieres, viris bello interfectis orbatae, quae, ne annua Gubernii pensione priventur, praetermittere volunt celebrationem matrimonii, aut aiunt, civilis. Emi. ac Revmi. Patres... respondendum censuerunt: « Non esse recedendum a praxi S. Congregationis, ideoque amissionem pensionis non esse causam sufficientem permittendi celebrationem matrimonii absque ritu civili. Quod si aliae habentur circumstantiae, recurrendum in singulis casibus ».

405. **De matrimonii futuri promissione ac de sponsalibus.** — S. Congr. Concilii [2] edidit Decretum « Ne temere » in quo primum fuit praescripta generaliter forma pro sponsalium validitate servanda, quae in iure Romanorum recte definita sunt: « futurarum nuptiarum promissio » mutua inter personas de iure habiles, prout illa definitio ab Auctoribus iuri canonico innixis perfecta fuit. Numerum primum illius Decreti integre refert eique « ex parte congruit » *can. 1017.* § 1. *Matrimonii* contrahendi *promissio* mulieris viro aut viri mulieri facta et ab alterutro acceptata, secus enim nondum obligat, *sive unilateralis,* scilicet: alterutro solummodo taliter promittente, qui solus consequenter obligatur, *sive bilateralis,* videlicet: mutuo promittentibus matrimonium et acceptantibus alterutrius promissionem, unde in utraque parte nascatur obligatio, *seu sponsalitia* promissio ut prius definita est, ac de qua unice Decretum cit.[m] disposuit quod nunc ad simplicem dictam promissionem canon sic extendit: *irrita est pro utroque foro,*

[1] 2 Iul. 1917. Il Monitore ecclesiastico, an. 1919, pag. 193. — [2] 2 Aug. 1907.

nempe: respectu iurisdictionis distinctae in can. 196, « alia fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extra-sacramentalis », ita ut nec sponsalia « canonicos sortiantur effectus », ut asserebat Dec.[m], nec illa simplexve matrimonii promissio secumferat obligationem ad illud coram Deo, *nisi facta fuerit* alterutra declarata promissio a) *per scripturam* uti formam contractus substantialem, atque b) *subsignatam* tum *a partibus* nempe: his de quorum futuro agitur matrimonio, simul *et* singulatim a) *vel a parocho* declarato in can. 451, §§ 1, 2, b) *aut loci Ordinario,* prout declaratur in can. 198, § 2, c) *vel a duobus saltem testibus,* qui sufficiunt tales mente ac sensibus, ut quod testificantur percipere queant.

Cum iste canon qua parte « cum veteri iure congruit, ex iure antiquo aestimandus sit » (can. 6, 3°), vigent quoque nunc sequentes Dec.[1] « Ne temere » Declarationes: Romana et aliarum [1] « In plenariis comitiis: VI. Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.

VII. Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut parocho.

Ad VI. Negative.

Ad VII Posse celebrari coram quolibet Ordinario, aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi ».

Romana et aliarum [2]. « Ex pluribus dubiis: I. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.

II. An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni.

Ad I. Affirmative ad 1[am] partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative ».

Quae declarationes nunc valent quoque ob aequalem rationem de unilaterali matrimonii promissione.

[1] 28 Martii 1908. — [2] 27 Iulii 1908.

Pariter altera num.[1] cit.[1] ex Dec.[0] pars de verbo ad verbum cum aliqua explicante additione transcribitur in § 2. *Si utraque vel alterutra pars,* quae necesse est ex § 1[0] ut subscribat promissionem, ibidemque declarata, *scribere nesciat,* seu quod in idem recidit, sed in Dec.[0] omissum, *vel nequeat* v. gr. ob manuum vel visus amissionem, *ad validitatem* alterutrius promissionis iuxta §[i] 1[1] praescriptum, a) *id* scilicet: praefata nescientia vel impotentia utriusque vel alteriusutrius *in ipsa scriptura,* quae forma substantialis est promissionis dictae, *adnotetur* b) *et alius testis addatur,* semperque sufficit unus *qui,* ut supra explicatum est, singillatim c) *cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1* uti necessariis actum est, d) *scripturam subsignet,* sicut eorum unusquisque facere debet.

Ad duos reduci poterant in iure praecedenti effectus sponsalium, nempe: impedimentum publicae honestatis de quo mentio fit in Decretalibus, v. gr. in cap. 6 de desponsatione impuberum (2, IV) et in cap. un. in 6[0] (1, IV) et in Conc. Trid. [1], nunc ob eius omissionem in Codicis abrogatum, ac mutua obligatio contrahendi matrimonium, qua tenetur etiam ex iustitia solus promittens illud cum alterius acceptatione, sicuti adimplementum validae promissionis quae non cessaverit urget promittentem. Nec tantummodo in conscientia, verum etiam in foro Ecclesiae externo proposita fuit norma iuxta quam iudex pronuntiare debuit [2]: « Universi dixerunt: Pax servetur, pacta custodiantur » et in c. 3 « Studiose agendum est, ut ea, quae promittuntur, opere compleantur ».

De sponsalibus autem duo sunt capita Tit.[1] « De sponsalibus et matrimonio » (1, IV) in quorum 10[0] respondit Innoc. III: « ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationalis causa obsterit) in uxorem (prout iuravit) recipiat, et materiali affectione pertractet », verum in altero 17[0] Lucius III ait: « quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda (mulier ad sponsalium obligationem adimplendam), cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere ». Hac multum ponderanda ratione inductus fortassis legislator Codicis mutationem iuris notabilem edixit in § 3. *At ex matrimonii promissione,* (innuens antea dictam) « sive unilateralis (illa) fuerit sive bilateralis », *licet* a) *valida sit*

[1] Cap. 3, sess. XXIV, De ref. matrimonii. — [2] De pactis cap. 1, tit. 35, Lib. 1.

ad normam §§ praeced^m., b) *nec ulla iusta causa* ex diversis quae ab Auctoribus explicantur secundum canones in hac parte implicite servatos, eo quod in sponsalitiae vel simplicis promissionis natura fulcimentum habeant, *ab ea* promissione alterutra *implenda excuset,* ac proinde quamvis in conscientia servare illam oporteret, quam obligationem canon minime aufert, illis neutiquam obstantibus a) *non datur actio* in Lib. « de processibus » cognoscenda, utpote iudicialis, *ad petendam matrimonii* promissi *celebrationem:* b) *datur tamen* sub duplici necessaria expressa prius conditione *ad reparationem damnorum* forsitan ex promissione non adimplenda enascentium, propter quod est additum: *si qua* reparatio *debeatur.*

Huc pertinent corroborantes datam explicationem duae seq^s. declarationes Pont^ae. Comm. ad Cod^s. can^s. auth. interpretandos [1]: « IV. 1. Si quis reclamet ius suum ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de iusta causa dispensationis priorum sponsalium et de damnorum reparatione, si qua debeatur? Resp.: Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium, actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.

2. Utrum actio reparationis damnorum de qua in can. 1017, § 3, pertineat ad forum ecclesiasticum, an ad civile? Resp: Actionem reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3 esse mixti fori ».

His addere oportet alia bene notanda sub n. « 6. Vis novi Codicis estne retroactiva in his, quae modificantur circa sponsalia et impedimenta tam impedientia quam dirimentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum, nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice, nulla dispensatione indigeant? — Resp. Codici, etiam quoad sponsalia et impedimenta, non esse vim retroactivam: sponsalia autem et matrimonia regi iure vigenti quando contracta sunt vel contrahentur, salvo tamen, quoad actionem ex sponsalibus, canone 1017, § 3 ».

406. **Parochi obligatio de populo circa hoc sacramentum erudiendo.** — Quia iuxta Apostoli monitionem mulieri a viri lege liberatae: « cui vult, nubat, tantum in Domino » [2], quae fide-

[1] 2-3 Iun. 1918; CO. X-345. — [2] I ad Corinth. VII, 39.

libus ceteris aptatur, nempe: ut sancte matrimonium contrahatur, quod supponit sanam huius sacramenti cognitionem, huic providit *can. 1018. Parochus* ad normam can. 451, cuius proxima est cura fidelium, *ne omittat,* quia ex officio debet *populum,* et hinc publice in catechetica vel homiletica instructione *prudenter,* sicut materia expostulat, ac ne simplices scandalum patiantur. *erudire* a) *de matrimonii sacramento* circa eius naturam, efficaciam et dispositiones nupturientium. b) *eiusque impedimentis,* quantum oporteat.

407. **Distributio Tituli in capita.** — Edixit can. 1012 matrimonii sacramentum esse « ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos ». Consequens est ut eaedem personae quae subiecta sunt matrimonii qua contractus, sint quoque vicem gerentes ipsius ministri qua est sacramentum; locus ergo non datur capitum distinctioni hoc sub respectu. Deinde sicut in quolibet contractu similiter in matrimoniali baptizatorum, qui, etsi natura constans, « regitur iure etiam canonico », tria distinguere oportet moderanda, quae sunt: contrahentium idoneitas, consensus qualitates, ac forma contrahendi quando substantialis fuerit legibus constituta, sicut accidit in matrimonii sacramento. Ne igitur haec ab invicem, ultra id quod convenit, separentur, secus ac obtinuit tertium locum similis inscriptio in Titulo praecedenti, *Caput I.* inscribitur: *De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus.* Postea in canone primo post primum Caput inveniemus « omnes posse matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur », unde personarum idoneitas potius negative, quam positive fuit ss. canonibus moderanda, seu inscribendum fuit *Caput II. De impedimentis* equidem *in genere,* cum propter eorum magnum numerum alia duo capita fuerint opportuna, videlicet *Caput III. De impedimentis impedientibus, et Caput IV. De impedimentis dirimentibus.* His cognitis, ob analogiam ordinis in praec[1]. Titulo servati, oportuit tractare de matrimonii celebratione, sicut de quodam contractu, qui et sacramentum est, hinc *Caput V. De consensu matrimoniali,* qui est elementum formale ac velut anima contractus, et *Caput VI. De forma celebrationis matrimonii,* quo ille consensus patefit velut anima per corpus, ob quam formam utique servandam sed secreto, sequitur immediate *Caput VII. De matrimonio conscientiae;* circumstantias autem, quae naturam induunt formae accidentalis, considerat *Caput VIII* inscriptum *De*

tempore et loco celebrationis matrimonii. — Hac celebratione in eorum singulis partibus regulata, remanet videndum quidnam ei pro casuum diversitate subsequatur, et hoc in genere perpendit *Caput IX. De matrimonii effectibus,* pro quibusdam solum matrimoniis sive valide sive invalide contractis *Caput X. De separatione coniugum,* pro invalidis tantum *Caput XI. De matrimonii convalidatione.* Adiungitur demum velut complementum *Caput XII. De secundis nuptiis,* quae inscriptio est eadem rubrica ultimi Tituli XXI Libri IV Decretalium.

CAPUT. I.

De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus.

CAN. 1019. - § 1. Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

§ 2. In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

CAN. 1020 - § 1. Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet.

§ 2. Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat.

§ 3. Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare.

CAN. 1021. - § 1. Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

§ 2. Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo.

CAN. 1022. - Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum.

CAN. 1023. - § 1. Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio.

§ 2. Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat.

§ 3. Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur.

CAN. 1024. - Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat.

CAN. 1025. - Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis, aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur.

CAN. 1026. - Publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento dispari-

tatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae.

Can. 1027. - Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare.

Can. 1028. - § 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare.

§ 2. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses quilibet Ordinarius proprius dispensare potest.

Can. 1029. - Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddet parochum, qui matrimonio assistere debet.

Can. 1030. - § 1. Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione.

Caput I.

De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent —
- generale iuris principium — Can. 1019
- investigatione ac sponsorum interrogationibus — » 1020
- sacramentis ab sponsis receptis — » 1021

et praesertim de publicationibus matrimonialibus —
- peragendis —
  - per denunciationem — » 1022
  - a parocho proprio quandoque consulente Ordinarium — » 1023
  - diebus, loco et functione determinatis — » 1024
- substituendis — » 1025
- omittendis vel secus pro quibusdam matrimoniis — » 1026
- peractis —
  - fidelium obligatio — » 1027
  - aequipollenter iure ob dispensationem — » 1028
  - parochi obligatio —
    - certiorandi alterum parochum — » 1029
    - circa celebrationis dilationem — » 1030
    - ob impedimentum dubium aut certum — » 1031
    - circa matrimonia —
      - vagorum — » 1032
      - ob personarum conditionem — » 1033
      - filiorum familias — » 1034

§ 2. Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur.

Can. 1031. - § 1. Exorto dubio de existentia alicuius impedimenti:

1. Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes;

2.° Publicationes peragat vel perficiat si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes:

3.° Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit.

§ 2. Detecto impedimento certo:

1.° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Poenitentiariam;

2.° Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat et rem ad Ordinarium deferat.

§. 3. Demum si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat.

Can. 1032. - Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit.

Can. 1033. - Ne omittat parochus, secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucaristiam pie recipiant.

Can. 1034. - Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.

408. **Inscriptio capitis ac eius canonum coordinatio.** — *Caput I* est inscriptum: *De iis, quae matrimonii* virum inter ac mulierem, saltem alterutrum baptizatum, *celebrationi* scilicet: contractui vel sacramento *praemitti* fere omnia *debent* a parocho cum Ordinarii interventu quandoque expostulando, *et praesertim*, quia canonum maior pars est, *de publicationibus matrimonialibus*, quae primo in ius commune inductae fuerunt ab Innoc. III in Concilio generali, ut videre est sub Tit. Decretalium « De clandestina desponsatione » (3, IV) cap. 3, et accuratius definitae a Conc.[1] Trid.[1] Patribus [1].

In hoc capite tres can. 1019-1021 tum de generali requisito, tum de investigatione ac de sacramentis prius accipiendis, praecedunt alios can. 1022-1031, qui moderantur denunciationes matrimoniales, has praecipiens can. 1022, et de illis perficiendis determinantes can. 1023 personam denuntiantem, can. 1024 circumstan-

[1] Cap. Tametsi 1, sess. XXIV De ref. Matrimonii.

tias temporis ac loci, can. 1025 modum diversum ab altero per ius vetus praescripto; illas autem denunciationes pro casibus prohibet can. 1026, atque obligationem ex illis apud fideles decernit can. 1027, ac demum earum dispensationem vel documentum exitus earumdem moderantur can. 1028, 1029. Peractis investigationibus et publicationibus, quid faciendum sit parocho statuit can. 1030, quid vero, quando detegatur dubium vel certum impedimentum, edicit can. 1031. Denique tres postremi can. 1032-1034 parocho imponunt obligationes quoad matrimonia vel vagorum vel secundum diversam personarum conditionem, vel filiorum-familias.

409. **Authentica declaratio prae oculis habenda quoad huius capitis praescripta** fuit data per Pontif.m Commiss.[1] propter Dubium « 17. Utrum Ordinarius, praetermissis iuris sollemnitatibus in Const. Aplca. *Dei miseratione* requisitis, matrimonium possit declarare nullum cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, hisce in casibus, nempe: — 1) Si duo catholici, in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Trid., vel post Dec. *Ne temere*, matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium vel novum matrimonium civiliter initum, in foro Ecclesiae convalidare. — 2) Aut catholica pars, quae cum acatholica, spretis Ecclesiae legibus, in templo sectae protestanticae (in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Trid., et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post Dec. *Ne temere)* matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiae novum matrimonium cum catholico consorte inire vult. — 3) Aut apostatae a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, poenitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant.

Resp.: Casus supra memorati nullum iudicialem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a Parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 et seqq. ».

410. **Generale principium** secundum capitis inscriptionem arguitur ex gravibus inconvenientibus ac peccatis, quae oriri possunt

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI. 479.

ex matrimonio invalido vel illicito, propter divinae benedictionis absentiam, et quorum medela est difficilis, imo non raro impossibilis. Merito igitur declarat praescripto *can. 1019.* § 1. *Antequam matrimonium celebretur*, scilicet: contractus fiat vel sacramentum, *constare* per argumenta positiva *debet* auctoritati ecclesiasticae, cuius est officium: *nihil eius* singularis « matrimonii » a) *validae* b) *ac licitae celebrationi* iam declaratae *obsistere*, ut videlicet: moralem habeat certitudinem iuxta ss. canones obtinendam de sacramenti contractusve validitate ac liceitate.

Quamvis praeceptum divinum de contrahendo matrimonio, quod est medium honestum ad generis humani conservationem, non urgeat sui ratione singula illius individua, evenire potest per accidens vel ob circumstantias, ut determinata persona obligetur in conscientia contrahere cum quadam altera, praesertim quando extremis conscientiae stimulis urgetur, propter quod decernit § 2. *In periculo mortis*, quando nempe in proximo futura mors probabiliter praevidetur, sub conditione: a) *si aliae probationes*, ut supra positivae praeter sequentes *haberi nequeant*, ad quas proinde obligari nemo potest, *sufficit,* ad hoc ut « matrimonium celebretur » (§ 1) ac permittatur, ad sacros quod attinet huius capitis canones, b) *nisi contraria adsint indicia,* quae infirment quod sequitur, ac proinde sint removenda per opportuna probationum media: sub duabus igitur conditionibus duplex « sufficit » *affirmatio*, nec simplex tantum, sed *iurata* praeviaque *contrahentium*, viri simul ac mulieris, quibus defertur iusiurandum tanquam in negotio, quod ipsorum maxime interest conscientiae: a) *se baptizatos fuisse*, unumquemque de seipso id testantem, alioquin, vel non regitur eorum matrimonium iure canonico, vel iurare nequeunt alteram affirmationis partem sequentem; b) *et nullo* dirimente aut impediente *detineri impedimento* suipsius proprio vel in respectu alterius qui secum contrahere velit, quae proinde impedimenta eisdem prudenter notificare oportebit.

411. **De impedimentorum investigatione ac sponsorum examine.** — De his cavent pro iure Codicem praecedente, tum Rit.e Rom.m in Tit. VII De Sacramento matrimonii (cap. 1 n. 1), tum Bened. XIV in const. « Nimiam licentiam » [1], quorum praescripta sic retinet *can. 1020. Parochus* ad normam can. 451, etiam « mi-

[1] 18 Maii 1743.

litum cappellanus », non ille « in cuius parochia matrimonium sit de facto contrahendum », sic designatus in Rit. Rom. (loc. cit.), sed *cui ius est adsistendi matrimonio* etiam licite, ac propter quod eius licentia ad licitam alterius sacerdotis adsistentiam esset necessaria ad normam can. 1097 §§ 1 et 2 ibi explicandam, a) *opportuno* scilicet: eo quod fuerit « admonitus de tali matrimonio contrahendo » (Rit. Rom. loc. cit.) *antea tempore*, videlicet: « antequam faciat publicationes in eius Ecclesia », uti praescripserat Instructio S. C. Inquisitionis a Clem. X const.[e] « Cum alias » [1] confirmata de testium examine, cui substitutum est, ut ille « parochus » b) *diligenter*, prout res postulat, *investiget*, equidem prudentia duce, c) *num matrimonio contrahendo* valide ac licite undequaque *aliquid obstet*, ac praesertim canonicum impedimentum.

Bened. XIV in cit.[ae] const.[is] § 10 ait: « Onus pariter proprio parocho iniunctum est », nunc parocho supra declarato, « ut antequam denunciationes fiant », quod etiam nunc viget; subintelligendo vero §° 1 usque ad verbum « tempore » iterato, dum sic nectitur illi § 2. *Tum sponsum*, sic vocatum non propter sponsalia quae fortassis praecesserint, sed relate ad futurum validum matrimonium, eodemque sensu *tum sponsam etiam*, ne diceretur haec ab examine excludenda ob naturalem verecundiam, timiditatem, vel pharisaicum aliorum scandalum, *seorsum* ab invicem, ac melius sed prudenter solum ac solam, propter quod dicitur: *et caute* v. gr. adstante comite quae in distantia videat, non audiat, sed hoc adverbium innuit praesertim modum interrogandi, ne illi iuste offendantur vel scandalizentur, *interroget*, ac Bened. XIV addit post verbum « caute », veluti hoc et praecedens explicans, « et ut dicitur ad aurem », a) *num aliquo detineantur* singuli *impedimento* cuiusvis generis etiam occulto v. gr. impotentiae, voti vel religionis, vel forte quod ex peccato sit ortum v. gr. criminis, tum quod sit ipsius peculiare, tum quod inter sponsos intercedat, v. gr. consanguinitatis, « quantum fieri potest, inquirere nitens » servato modo supra expresso, quia determinatae istae interrogationes non sunt praescriptae. Quo in examine sponsi manifestare debent ex gravi obligatione ad periculum animae vitandum, impedimenta etiam occulta et diffamantia, nisi forte iam obtinuerint dispensationem

[1] 21 Aug. 1670.

ab illis. — Parochus « interroget » quoque ut supra b) *an consensum* matrimonialem postea rite exprimendum *libere praesertim mulier*, cuius libertas frequentius faciliusque laeditur, *praestent*, seu ut id explicat Bened. XIV: « an ex voluntate, sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim coniungantur »: *et* demum « interroget » etiam ut supra c) *an in doctrina christiana sufficienter instructi sint*, « cum eam deinde filios suos docere debeant » ut ait Rit. Rom. (loc. cit.), et praesertim quia sponsi recipientes in matrimonii celebratione sacramentum vivorum et obligationes assumendo, ad talem instructionem possidendam lege divina et ecclesiastica hic implicita tenentur, in qua comprehenduntur scienda necessitate medii ac praecepti.

At recte monet Bened. XIV: « Quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, cetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriae, post omnem adhibitam diligentiam illa memoria retinere et recitare non valeat, in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini sine propria culpa est negandum, sed curabit parochus, ut, qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab eius mente penitus elabantur ». Hanc monitionem confirmat et complet sequens declaratio Pont.ae Commis. ad Cod.s can.a auth. interpretandos [1] « IV, 3. Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae christianae, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem?

Resp.: Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit, quae Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066 ». — E contra cavet canon: *nisi ob personarum qualitatem* instructionis praecipue ac pietatis *haec ultima interrogatio* (propter quod verbum censeo canonem generales sed taxative interrogationes faciendas praescribere) *inutilis* utpote de re certo cognita *appareat*.

Ultimo factam animadversionem confirmat decernens § 3. *Or-*

[1] 2-3 Iun. 1918, CO. X-345.

dinarii loci (can. 198 § 2) *est* ius ac officium quatenus oporteat, sui territorii parochis ut supra *peculiares normas*, quoad dictarum interrogationum determinationes iuxta temporum, locorum ac personarum adiuncta diversas, *pro huiusmodi parochi investigatione*, quod singulare verbum confirmat interpretationem de utriusque §[1] connexione quos respicit, *dare*. Atque ab eisdem parochis, si normae illae dentur, erunt servandae.

412. **De praevia susceptione baptismi ac confirmationis.** — Utpote sacramenti matrimonii fundamentum requiritur ad illud sic contrahendum baptisma: qua de causa, et etiam ne illud sit fortassis nullum ob disparitatis cultus impedimentum, atque ut deprehendatur an quaedam alia subsint impedimenta, illud quod servatum erat in praecedenti disciplina iubet *can. 1021.* § 1. *Nisi baptismus* utriusque sponsi *collatus fuerit in ipso suo*, seu paroeciae etiam extra ecclesiam paroecialem *territorio*, quia tunc per se ipse potest de hoc ex baptizatorum libro certificari, *parochus*, absdubio ille « cui ius est assistendi matrimonio » (can. 1020, § 1), ut cohaesio canonum salva sit, *exigat baptismi testimonium*, in quo vi can. 470, § 2, de confirmatione suscepta, de matrimonio forsan contracto et de ordinis aut voti sollemnis impedimento forsitan existente « adnotationes semper referantur », a) *ab utraque parte*, nempe: vel ab una vel ab altera tantum, de qua conditio posita in §[1] initio non verificetur, b) *vel a parte tantum catholica*, scilicet baptizata ob id quod additur, et planum est, *si*, praeter conditionem toti §[1] praescripto communem, *agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione*, in casu necessaria ut hoc valeat, *ab impedimento disparitatis cultus* proprie sic appellato, et quod ad normam can. 1070 existit solum ad matrimonium contrahendum « a persona non baptizata cum persona baptizata », ut supra notatum est, sed « in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa », prout in cit. can. exponetur.

Quod exigi solebat pro regionum diversitate v. gr. Romae. nunc merito ad Orbem extendit § 2. *Catholici*, ut in praec §° uterque vel alteruter ex sponsis, *qui sacramentum confirmationis nondum receperunt*, quapropter erunt facile de illicita negligentia arguendi ad normam can. 787, *illud*, *antequam ad matrimonium* celebrandum *admittantur*, ergo impediendi a parocho quousque illud *recipiant*, (praesumendum enim esset illos a fortiori similem

incursuros negligentiam erga filiorum confirmationem) posita conditione, *si id*, nempe: hanc recipere *possint sine gravi incommodo*; aliter namque a praescripto can. 787 pro nunc, et simul a praesenti canone servandis excluderentur.

413. **Matrimonii contrahendi praescripta denunciatio.** — Omnes norunt fundamentum societatis religiosae, non minus quam civilis, pro earum conservatione positum esse in matrimonii institutione honeste observata. Proinde omnium fidelium interest, ut ss. canones, qui huiusmodi sacramentum moderantur, sarti tectique maneant. Praeter hoc etiam nunc valet ratio ab Innoc. III adducta in Concilio generali [1]: « Cum inhibitio copulae coniugalis sit in ultimis... gradibus revocata, eam in aliis volumus districte servari... Quare specialem (tunc) locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando: Statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito: ut infra illum qui voluerit, et valuerit, legitimum impedimentum opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat », non secus ac in can. 1020 § 1 supra explicato praescriptum est. Huic capiti congruit *can. 1022. Publice*, scilicet: per talem actum, quo possint facile omnes qui scire velint, id agnoscere, *a parocho* ad normam can. 451 ac determinando in seq. can. *denuntietur* id est: « proponatur » parochianis « vulgari sermone » ad normam Rit. Rom. (loc. cit. nn. 12, 13) vel in alia lingua rite usitata, *inter quosnam* sic designatos nomine ac cognomine propriis ac parentum, ut confusio vitetur, *matrimonium sit contrahendum* in proximo tempore, eo quod « de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet » (loc. cit. n. 1°), et ex canonum aliorum praecedentium observantia nihil obstare inventum fuerit, ad normam can. 1031 servandam. Verba huius canonis sunt eadem cap. Tametsi in Conc. Trid. [2].

414. **Designatio parochi et ipsius hac de causa obligationes.** — *Can. 1023.* § 1. *Matrimoniorum*, quae contrahenda sint iuxta declarationem praec.[s] can. finalem, *publicationes*, seu publicae denunciationes equidem oretenus ut supra, *fieri debent*, et quidem per se sub gravi ob legis scopum, *a parocho proprio*, qui, ut servetur substantialiter concordantia iuris veteris Conc. Trid., Ritualis

[1] Decretal. cap. 3 tit. « de clandestina desponsatione » 3, Lib. IV. — [2] Sess. XXIV de ref. matrimonii.

Romani cum Dec.° « Ne temere » ac Codice, interpretandus est, ut supra declaratum fuit ad § 1 can. 1020, ille « cui ius est assistendi matrimonio », scilicet: « parochum proprium » in praesenti canone intelligi oportet ad normam can. 94, non excluso tamen parocho loci commorationis menstruae actualis. — Canon loquitur de publicationibus faciendis singulariter « a parocho proprio », qui erit unicus, si sponsus ac sponsa eumdem sortiantur iuxta dicenda, erunt duo, si non sit idem proprius utriusque, seu ut ait Rit. Rom. (loc. cit. n. 8). « Si vero vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiant denunciationes ». Cum autem una et eadem persona sive sponsus, sive sponsa, possit in uno loco domicilium habere, commorari autem in altero loco cum quasi-domicilio, vel cum menstrua commoratione, puto canonis huius omnes obligationes gravare super loci actualis praedictae commorationis parochum, saltem si eodem in loco persona manere intendat usque ad matrimonii celebrationem. Atque interpretatio haec secure in praxi servatur, eo quod aliae forsan utiles aut necessariae denunciationes non omittentur ad normam §§ sequentium.

§ 2. *Si pars* unaquaeque tum sponsus tum sponsa, a) *alio in loco* diverso ab isto in quo commoratur iuxta dicta in praec. §°, b) *per sex menses* computandos ad normam can. 34, § 2, « sed tempus sit continuum », quia praedicta verba concordant quoad praepositionem cum ibidem « allato primo exemplo », *commorata sit* quamvis absque domicilio vel quasi-domicilio, quod ultimum est fere impossibile ad normam can. 92, § 2, c) *post adeptam pubertatem*, scilicet: menses praedicti sunt computandi quoad eorum initium ultra « decimum quartum aetatis annum » si sponsus, ultra « duodecimum annum completum » (can. 88, § 2) si sponsa. Sub illa triplice conditione *parochus* declaratus in § 1° *rem exponat Ordinario* loci ex contextu, *qui pro sua prudentia* circumstantias ponderans ac ex illis eligens alterutrum: a) *vel publicationes inibi faciendas exigat*, iniungendo quoque si locus ille ei subiiciatur, secus eas expostulando saltem per sponsus aut parochum ab illius loci parocho vel Ordinario, qui obsequi deberent huius vi canonis, b) *vel alias probationes seu coniecturas*, scilicet: probabiles ast positivas rationes, *super status libertate*, id est: de partium immunitate imprimis ab impedimento ligaminis aliisque impedimentis dirimentibus ac impedientibus saltem generaliter considerata, *colligendas*, quantum possibile sit,

praescribat, proindeque suis subditis, v. gr. parocho, aut Curiae officialibus. Ad rem pertinet atque datam interpretationem roborat declaratio sequens Pont.ae. Commis. ad Cod.s can.s. auth. interpretandos [1]. « IV. 4. Si pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duarum, vel si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus?

Resp.: Rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest ad normam canonis 1023, § 2 ».

Dum praecedens §us servari debeat solummodo propter commorationis tractum illum in altero loco, aliud motivum considerat § 3. *Si aliqua sit suspicio* prudenter fundata *de contracto impedimento* quocumque matrimoniali, *parochus* idem ac in §o 1°, a) *etiam pro breviori* sex mensibus *commoratione* prouti declarata est in § praec., b) *consulat Ordinarium* de modo se gerendi, *qui matrimonium ne permittat,* « vetans illud in casu peculiari », sed ad normam can. 1039 « ad tempus tantum, causaque perdurante », scilicet: vetito non cessaturo, *nisi prius suspicio,* praecise adhibito alterutro medio *ad normam* § 2 iam declaratam, *removeatur,* saltem non detecto, de quo « suspicio » erat, impedimento v. gr. post publicationes in loco illo brevioris commorationis factas.

415. **Publicationum circumstantiae obligatoriae.** — Has mutuavit ex Conc. Trid. [2] iisdemque verbis retulit *can. 1024. Publicationes,* ut supra in praec. § 1°, quaecumque faciendae ad normam can.s praec.s, *fiant* a) *tribus,* proinde ter, nam additur b) *continuis,* quatenus non interveniat dies quaelibet in qua omittantur proclamationes ex sequentibus, nempe: c) *diebus dominicis aliisque festis de praecepto,* sive iuri communi ad normam can. 1247, § 1 sive iure particulari de facto servandis, non in festis « abolitis vel translatis » etsi ad normam can.s cit.t respectu habito ad const. « Universa » Urbani VIII, quam retulimus in Commentario Textus ad can. 466, sed in illis etiam tempore adventus et quadragesimae

[1] 2-3 Iun. 1918, CO. X-345. — [2] Cap. 1, sess. XXIV de ref. matrimonii.

fieri possunt « publicationes » ; semper autem « fiant » d) *in ecclesia*, quae parocho subiiciatur, ordinarie in paroeciali, (proinde civiles eiusdem matrimonii denunciationes his substitui nequeunt) a) *inter Missarum sollemnia* intelligenda de missa sollemni, si qua ibidem celebretur, aut de missa parochiali, et hoc praescriptum erat in Dec°. Conciliari, sed disiunctive loquitur canon : b) *aut inter alia divina officia* v. gr. vesperarum, exercitii sive novendialis, sive dominicalis cum interventu sacerdotis, una vel altera occasione pro libitu moderato per sequentem conditionem : *ad quae populus frequens accedat,* ut nempe amplior obtineatur matrimonii contrahendi notitia, securiusque celebretur.

416. **Publicationum substitutio.** — Quod pluribus in locis v. gr. in Statibus Americae Septentrionalis erat in more positum, servata legis canonicae intentione, relictaque littera, nunc Codex admisit expresse, dum ait *can. 1025. Potest loci Ordinarius* ad normam can. 198, § 2, vel ibidem in usu fuerit vel non, atque ipsi facultas fit hoc canone, non imponitur obligatio, a) *pro suo territorio* universali vel partialiter, b) *publicationibus*, quae dictae sunt etiam proclamationes velut oretenus faciendae, aut banna, *substituere* congruenter can[1]. 1022 a) *publicam,* ut ibi declaravimus hoc verbum, b) *ad valvas*, id est : ad portam vel prope ipsam ingressus *ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae* sitae quidem in paroeciali territorio, et parocho subiectae, in quarum alterutra fieri deberent publicationes matrimoniales secundum interpretationem can[s]. praec[s]., c) *affixionem nominum contrahentium* scilicet scripturae intelligibilis ac continentis nomen et cognomen sponsi ac sponsae uniuscuiusque matrimonii, eorumve familiae pro more in his denunciationibus ibi servando, quae affixio permaneat d) *per spatium saltem octo dierum*, quod potest computari ab initio diei affixionis, dummodo haec mane fieret praesertim ab Ecclesiae ingressus aperitione, nam « dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte » (can. 32, § 1), nec perfecte sufficeret « hebdomada », quae constat « 7 diebus » tantum, imo tunc frequentius non servaretur sequens clausulae conditio : *ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto*, ut plurimum dominici, et illi ut supra declarati sunt in praec.[1] can[e]., *comprehendantur,* quod verbum requirit interpretationem praefatam de computatione, quando affixio fieret die dominica, et nullum festum de praecepto eveniret intra hebdomadam,

et in hoc ultimo supposito affixio facta intra hebdomadam relinquenda esset plusquam octo diebus.

417. **Prohibitio publicationum pro quibusdam matrimoniis.** — Quod Pius VI docet in ep. ad Card. Archiep. Mechliniensem [1], et in pluribus aliis documentis traditur (ne fideles exinde scandalum aut admirationem haberent, ac salutaris horror erga certa matrimonia, quae ab Ecclesia in se reprobantur, minueretur), retinetur cum adhibita moderatione in *can. 1026. Publicationes* supra declaratae, atque consequenter ipsis substituenda publica affixio, *ne fiant pro matrimoniis*, seu praeviae illis *quae contrahuntur,* etiamsi hoc fiat *cum dispensatione* prius quam denuntiarentur iam obtenta *ab impedimento* disiunctive *disparitatis cultus aut mixtae religionis,* dum alterutrum existat, et de quibus agunt can. 1060-1064 et can. 1070, 1071, et haec pars canonis generale vetitum continet. — In sequenti vero « potestas est explicite concessa » dispensandi (can. 81), nempe: *nisi loci Ordinarius* ad normam can. 198, § 2, *pro sua prudentia* circumstantias ponderans, a) *remoto scandalo,* v. gr. per opportunam necessitatis divulgationem, aut reprobationis similium matrimoniorum, *eas* « publicationes » *permittere opportunum duxerit*, dispensando ab illo generali praescripto, *dummodo* b) *apostolica* necessaria *dispensatio* alterutrius existentis impedimenti *praecesserit* illas, c) *et mentio omittatur*, velut in reprobationis signum, *religionis partis non catholicae,* quae praesupponitur saltem in altero illo impedimento.

418. **Obligatio fidelium revelandi impedimenta.** — Effectus publicationum statim sequutos post eas edicit *can. 1027 Omnes fideles* usum rationis habentes *tenentur* propter bonum commune, cuius interest (quae obligatio hoc canone confirmatur) *impedimenta*, « consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum invicem impediat » (etsi hoc solum), *si qua norint*, etiam occulta vel ex peccato orta, imo etsi sub secreto noverint, servatis pro illius diversitate legibus, quae in Theol. mor. exponuntur, pro libitu aut *parocho*, qui publicationes facit, *aut* eius *loci Ordinario,* quia earum formula in Rit. Rom. sic habet: impedimentum « illud quamprimum nobis denuntiare debeat », cor-

[1] 13 Iul. 1783.

recta quoad tempus urgentis huius obligationis per canonem subdentem: *ante matrimonii celebrationem*, hinc ut fideles anxii non sint quoad eam adimplendam, opportune ait Rit. Rom. ibidem: « et hoc admonemus primo, si fuerit prima; vel secundo, si fuerit secunda; vel tertio, si fuerit tertia denuntiatio ». Atque canon explicit praescripti obiectum addens verbo: *revelare*, quod proprie significat alteri pandere, quod ei absconditum erat, unde fidelis onus cessat, quando ipsi certo innotuerit, parochum cognoscere idem quod ipse impedimentum. Indifferens est num verbotenus vel signata scriptura, vel per nuntium fiat, sed anonymum scriptum non est consulendum nisi ex morali necessitate.

419. **Publicationum dispensatio.** — Ad normam can. 81 « haec potestas fuit explicite concessa », sicut in cap. saepius cit. Conc. Trid., etiam in *can. 1028*. § 1. *Loci Ordinarius* pluries declaratus *proprius* sponsorum eodem sensu ac interpretatum est de « parocho proprio » in can. 1023, § 1, supposito quod sponsi illum eumdem obtineant, a) *pro suo prudenti iudicio,* cui est in hac re deferendum, b) *ex legitima causa* nempe: iuxta praec^{m}. disciplinam, v. gr. quae est in Conc. Trid. (loc. cit.) expressa: « Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat; vel... si Ordinarius ipse expedire iudicaverit, praedictae denunciationes remittantur »; quod implicite affertur his verbis; c) *a publicationibus*, una, duabus, vel omnibus, secundum reg. iuris 53 in 6°. « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus », quae potestas sic novo iure ampliatur: d) *etiam in aliena dioecesi faciendas*, forsitan in casu ad normam §§ 2, 3, can^{s}. 1023 ibi explicatam, *dispensare,* quae « dispensatio (absque legitima causa) ab inferiore Rom°. Pontifici data illicita et invalida est » (can. 84). Ergo de illa per extraiudicialem quandam informationem constare debet Ordinario, vel alteri per illum ad has dispensationes delegato.

Quodsi causa illa est huiusmodi, ut dispensatio tantum utilis sit nupturientibus sponsis, v. gr. si concedatur ob merita, nobilitatem, dispensatio dicitur gratiosa, quam Episcopus concedere potest, sed non tenetur. At si causa dispensationis sit certum et grave damnum spirituale vel temporale a sponsis vel scandalum ab aliis avertendum, dispensatio redditur necessaria et ab Episcopo concedi

debet. Quae causae legitimae eo graviores esse debent, si non solum ab una, sed a duabus proclamationibus dispensetur. — Huiusmodi causae sunt, si v. gr. post primam proclamationem ob longiorem dilationem matrimonium malitiose impediretur, vel sponsa deflorata ob imminentem partum diffamaretur, vel periculum fornicationis oriretur inter sponsos. Ad concedendam vero dispensationem, ut ne una quidem fiat proclamatio, « urgens, legitima gravissimaque causa » requiritur. Huc spectant casus, si sponsi ad legitimandam prolem contrahunt matrimonium in articulo mortis, vel si convalidandum sit matrimonium invalide iam contractum, vel si duo concubinarii, qui publice reputantur coniuges, velint celebrare legitimas nuptias, vel timendum sit, ne malitiose impediatur matrimonium, si vel una fiat denuntiatio, vel si matrimonium conscientiae celebretur a sponsis ob speciales rationes cum approbatione Ecclesiae, vel sponsi exponerentur publicae derisioni propter aetatis diversitatem vel ob alias causas.

Ut alias diximus in can. **1023**, § **1**, si sponsus et sponsa in dioecesibus diversis cum domicilio aut quasi-domicilio aut per mensem praevie commorentur, diversos parochos proprios sortiuntur ordinariis diversis subiectos: hinc ratio § 2. *Si plures* (saltem duo) *sint Ordinarii proprii,* tantum unus nempe: *ille ius habet dispensandi* sub § 1° decretum ac declaratum, *in cuius dioecesi,* cuius « nomine venit quoque abbatia vel Praelatura nullius « (can. 215, § 2), et quoad illud ius etiam « Vicarii et Praefecti Apostolici » territorium (can. 294, § 1), *matrimonium celebratur,* quod verbum proprie significat contrahendi actum, qui utpote adhuc futurus, et dispensatio praesens, praevidendus est humano modo ex sponsorum voluntate recta per can. 1097 de parocho, « cui ius est adsistendi matrimonio » ibidem explicando; *quod si matrimonium* secundum declarationem immediate datam *extra proprias ineatur dioeceses* supra dictas et declaratas, tunc *quilibet* ex praefatis *Ordinarius proprius dispensare potest.*

420. **De notificatione exitus publicationum.** — Ne publicationum effectus quoad vetandum matrimonium frustretur, cautum est per *can. 1029. Si alius* praeter proprium, vel ab eo in fine can^a. designando distinctus *parochus,* nobis aliunde notus quoad verbi significationem, a) *investigationem* « peregerit » ad normam can. 1020, nempe: « cui ius est assistendi matrimonio », b) *aut*

publicationes peregerit ad normam totius can[s]. 1023, *de harum* disiunctive sub litteris a) et b): a) *exitu* detectionis vel non revelationis circa impedimenta eiusdem matrimonii certa vel dubia, b) *statim* idest: negligentia postposita, c) *per authenticum documentum*, scilicet: semper scriptum ac subsignatum sigilloque parochiae munitum, d) *certiorem reddat*, ergo cum hoc effectu per transmissionis securitatem vel iterationem forsan necessariam, e) *parochum, qui matrimonio assistere debet*, ut in can. 1020 ad normam can. 1097, etsi alius parochus ex illius licentia vel sacerdos quilibet ex delegatione de facto assistat eidem matrimonio.

421. **Tempus celebrandi matrimonium causa praecedentium canonum.** — Ut salvus maneat praec[m]. praescriptorum effectus, novum datur Rit[l]. Rom[is]. correctorium in *can. 1030*. § 1. *Peractis investigationibus et publicationibus* omnibus, quae fieri debeant iuxta interpretatas normas de ipsis, non sicut aiebat Rit. Rom.: « si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii procedatur », omissa temporis determinatione, sed adhuc *parochus* « intra fines sui territorii » ob normam can. 1095, § 1, 2°, *matrimonio ne assistat*, vel « alii sacerdoti licentiam det » assistendi (eod. can. §° 2), quia ex reg. Iuris 72 in 6°. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum », *antequam* a) *omnia documenta necessaria* iuxta praec. canonem et can. 1021 *receperit* ipse, vel parochus « cui ius est assistendi matrimonio » (can. 1020) quando is dederit pro licita assistentia licentiam, qua opus est ad normam can[s]. 1097. Atque dum haec conditio sine ulla exceptione servanda sit, subditur alia: b) *et praeterea* cum limitatione: *nisi rationabilis causa aliud postulet,* v. gr. parentis discessus non procrastinandus, paratae nuptiae, aut earumdem causa iam paratum iter, secus nova in iure conditio est: *tres dies decurrerint* computandi ad normam can. 34, § 3° 3°, eo quod « terminus a quo explicite assignetur et non coincidat cum initio diei » propter verba: *ab ultima* omnium quae fieri debuerunt *publicatione,* ac initium computationis constat saltem ex documentis receptis. Casu vero haec publicatio mane facta fuerit, non esset inquietandus qui putaret illum diem supputari posse.

Rit. Rom. (loc. cit. n. 11) ait: « Si vero infra duos menses post factas denunciationes matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur ». « Ex parte tan-

tum cum hoc veteri iure congruit » (can. 6, 3°) § *2. Si intra sex menses* continuos, ac incipientes non a die quo licite celebrari poterat matrimonium secundum normam exceptionemve §[1] praec., sed « ab ultima denunciatione » eo quod « in dubio a veteri iure non est recedendum » (can. 6, 4°), *matrimonium contractum non fuerit,* illis transactis ad normam can. 34, § 3, 3°, iussum est: *publicationes,* et canon tacet de investigatione forsan necessaria ob can. 1019, § 1, *repetantur,* seu canones de illis praecedentes urgent, cum « potestate explicite hic concessa » (can. 81): *nisi aliud* totaliter vel partialiter *loci Ordinario* quoad hoc tempus considerando ad normam can. 1028 pro attribuenda ipsi supradicta potestate, *videatur*, quod prudens iudicium sufficit velut « legitima causa ».

422. **Obligationes parochi iuxta impedimenti detectionem.** — Rit. Rom. decreverat (loc. cit. n. 8): « denunciationibus factis... si quid obstat, ultra Parochus non procedat ». Maiori cum aequitate parocho deferens in hac parte interventum, et secundum probatorum Auctorum doctrinas disciplinam accurate docuit *can. 1031* sub duobus §§ iuxta diversam impedimenti notitiam. § *1. Exorto dubio* positivo seu mentis statu, quo iudicare ob rationes nequeat *de existentia alicuius impedimenti,* dum eam prudenter suspicatur, sequens ordo servandus est: — *1° Parochus rem accuratius investiget,* sive in adimplementum can. 1020, § 1, ita ut verbum « diligenter » interpretetur in casu per verbum « accuratius », sive iterando vel prosequendo investigationem « accuratius » respectu praecedentis, modusque determinatur: *interrogando* a) *sub iuramento* de veritate dicenda, b) *duos saltem testes,* qui sufficiunt pro canonis observantia, vel plures, si velit, adhuc necessarios pro detegenda existentia, c) *fide dignos* ob naturalem de re ac non suspectam veracitatem, quod medium investigationis statuitur, *dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia* ob testium interrogationem forsitan illud nescientium *infamia partibus* propter eius originem peccaminosam *oriatur,* nam dubium eluendum hanc infamiae inductionem non cohonestat, immo addit canon: *et, si necesse fuerit* in casu exceptionis, vel ob testium defectum, *ipsas quoque* (fortassis post illos) « interrogando sub iuramento » *partes,* quae veritatem patefacere debent, ut diximus ad can. 1020, § 2.

Interim vero aut manente dubio: *2° Publicationes*, quas plene cognoscimus ex can[s]. praec[s]. a) *peragat vel* b) *perficiat* quod earum numerum, *si dubium* praefatum *ortum sit* a) *ante inceptas vel* supple « ante » b) *expletas publicationes;*

3° Matrimonio ne assistat praedictus « parochus », cui proinde supponitur inesse ius assistendi, atque sic confirmatur interpretatio sub n°. 1° data de illius parochi designatione, qui proinde hoc numero assistere prohibetur, sub conditionibus: a) *inconsulto Ordinario*, idest: re Ordinario nondum communicata ad normam agendi obtinendam, nam « in dubio facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Rom. Pont. dispensare solet » (can. 15), solummodo b) *si dubium* exortum, illis sub n°. 1° peractis, *adhuc* post expletas denunciationes *superesse prudenter iudicaverit* moraliter persuasus de dubio parochus.

In utilitatem parochorum ex Instr. S. Congr[s]. de disciplina Sacram. [1] decerpimus num. « 4. Id autem perpendant parochi oportet, aliqua huiusmodi opificum emigrantium matrimonia, quasi vagorum matrimonia habenda esse, quibus, iuxta can. 1032, *parochus assistere non debet nisi debitam licentiam assistendi ab Ordinario loci obtinuerit.* Quod si de vagis non agatur, tamen difficulter quoad alios emigrantes *abest dubium de existentia impedimenti*, ideoque, iuxta can. 1031, § 1, n. 3, parochus *eorum matrimonio assistere nequit, inconsulto Ordinario;* habito etiam prae oculis praescripto can. 1023, § 2. Hisce de causis haec S. Congr. iubet... ut parochi matrimoniis fidelium de quibus agitur in hac Instructione non assistant, excepto casu necessitatis, seu potissimum periculo mortis, inconsulto Ordinario loci ».

§ *2. Detecto impedimento certo* in iure et in facto, quia impedimentum iure non certum sicut quaelibet ecclesiasticae « leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent » (can. 15), quibus legibus ablata sunt certo quaecumque iuris dubia circa iuris divini impedimenta: — *1° Si impedimentum* certum, ut supra, sit *occultum*, nempe: natura sua v. gr. criminis atque notum paucis relative ad locum v. gr. quatuor vel sex in oppido magno, decem vel octo in civitate valde populosa, nec periculum adsit divulgationis ob personarum illarum taciturnitatem, *parochus* nempe: « cui

[1] 4 Iul. 1921. CO. XIII, 349.

ius est assistendi matrimonio » iuxta explicationem datam in can. 1020 § 1, *publicationes* nondum inceptas *peragat vel* inceptas *absolvat*, idemque servetur ab eo « cui non est ius assistendi matrimonio », de harum exitu relaturus alteri equidem sub secreto, *et* hic alter *rem deferat* exponens impedimenti casum cum fictis nominibus seu initialibus, idest: *reticens nomina* sponsorum, *ad loci Ordinarium*, si fortassis potestatem illud dispensandi hic habeat, *vel ad Sacram Poenitentiariam*, si qualibet ex causa sic fieri oporteat, ad obtinendam dispensationem.

2° *Si* impedimentum certum ut supra, *sit publicum* scilicet: pluribus notum etiam relative ad locum, a) *et detegatur ante inceptas publicationes*, *parochus* declaratus in n°. 1° *ulterius ne procedat*, quae urget prohibitio *donec impedimentum removeatur* pro foro externo quomodolibet, saltem per dispensationem, quod implicite asserit canon per clausulam: *etsi dispensationem* eiusdem impedimenti, sed *pro foro conscientiae tantum* vere *obtentam* certo *norit*, b) *si detegatur* qualitercumque *post primam aut secundam publicationem*, quod contingere potest apud quemlibet parochum publicationes facientem, *parochus* hic *publicationes perficiat et* ille « cui ius est assistendi matrimonio » *rem* scilicet: obstare matrimonio publicato impedimentum ad Ordinarium deferat; veluti a se excutiens in eum de hoc matrimonio dispositionem.

Tertia hypothesis consideratur sub § 3. *Demum si nullum detectum fuerit impedimentum*, *nec dubium nec certum*, supposita huius capitis canonum observantia, *parochus* de quo agit totus canon praesens, *expletis publicationibus* saltem aequipollenter ob dispensationem, *ad matrimonii celebrationem*, servato can. 1030, § 1, ac per assistentiam personalem aut concessionem licentiae ad normam can. 1095, § 2 et can. 1097, *partes admittat*, seu ut ait Rit. Rom. (loc. cit. n. 8) quantum in se est « ad celebrationem matrimonii procedatur ».

423. **Speciale praescriptum de vagorum matrimoniis.** — Ex Rit. Rom. (loc. cit. n. 6) est desumptus *can. 1032. Matrimonio vagorum,* tum sponsi simul ac sponsae, quod raro, tum alteriusutrius, quod frequentius eveniet, *de quibus in can. 91,* scilicet: « Persona dicitur: vagus si nullibi domicilium habeat vel quasi domicilium », et cuius « proprius parochus vel Ordinarius », etiam ut « matrimonio licite assistant (can. 1097, § 1, nn. 2°, 3°)

est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur », *parochus* iste « intra fines dumtaxat sui territorii » (can. 1095, § 1, 2°), *excepto casu necessitatis,* sive « in periculo mortis » ad normam can. 1019, § 2, sive extra illud, quando ceteris ss. canonibus capitis praecedentibus servatis, nullum invenerit impedimentum, atque urgeat celebratio matrimonii quin praescriptum sequens adimpleatur, *alias nunquam assistat* valido eorum ac licito propter cetera matrimonio, *nisi,* a) *re ad loci Ordinarium* proprium *vel ad sacerdotem ab eo delegatum* pro his saltem matrimoniis *delata,* b) *licentiam assistendi* huic matrimonio revera *obtinuerit,* alioquin hac solum de causa peccaret parochus.

424. **Parochi obligatio docendi exhortandique sponsos.** — Cum praescripta huius canonis in Rit. Rom. sint posita et ex parochi officio sequantur, sic incipit *can. 1033. Ne omittat parochus,* quo verbo convenienter uti designatus accipitur ille « cui ius est assistendi matrimonio », sed in casibus opportune intelligatur qui matrimonio assistet de facto per se aut dans licentiam; de alterutro ergo dicitur: « ne omittat » *secundum diversam personarum* idest: sponsorum etiam individualem *conditionem* socialem ac instructionis, ex ea sumens moderamen prudentiae quoad modum et substantiam illius quod sequitur: *sponsos* propter intentum matrimonium, non praecise ob sponsalia, *docere,* unde quatenus ignorent, a) *sanctitatem sacramenti matrimonii,* ne in contractus notione sistant, b) *mutuas coniugum obligationes* quas, statim ac matrimonium celebrent, assumunt, nec ignorare licet quoad substantiam, c) *et obligationes parentum erga prolem,* quas implicite cum matrimonio assument in futurum adimplendas; atque sic expositum est plane, quod aliis verbis expressit Rit. Rom. (loc. cit. n. 17): « Admoneantur praeterea coniuges, ut... ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant; et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis, quam sancte coniuges debeant convivere ». — Imo internectit idem Rit. Rom. haec alia: « ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad S. Eucharistiam, (sicut ad Matrimonium, ut supra) pie accedant », quae in secunda canonis parte reservata sunt: *eosdemque* « sponsos » *vehementer,* nitens obtinere quod sequitur, *adhortetur,* non iubeat, sed exemplis forsitan, rationibus, a) *ut ante matrimonii celebratio-*

nem, quae fit initio functionis, v. gr. vespere aut tempestive eodem mane *sua peccata diligenter confiteantur,* ut securius ac fortassis necessario Dei gratiam vivorum sacramento apportent, b) *et sanctissimam Eucharistiam* singulorum sacramentorum perfectivam, bona conscientia ac devote, idest: *pie recipiant* « ante celebrationem » vel opportunius in nuptiarum missa, ad quam recipiendam nullatenus obligantur.

425. **Parochi obligatio circa filiorum familias matrimonium.** — Conc. Trid. in cap. « Tametsi » [1] asseruit: « iure damnandos esse illos, qui falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse ». Nihilominus sancta Dei Ecclesia idipsum moderate prohibet *can. 1034. Parochus* a) *graviter* scilicet: serio ac verbis ad effectum opportunis b) *filiosfamilias minores* nempe: « infra vicesimum primum aetatis annum expletum » (can. 88, § 1) propter patriam, cui subdi solent, potestatem (unde in praxi considerare convenit legem civilem) *hortetur,* quin obligationem imponat, a) *ne nuptias ineant,* quas vel cum qua appetunt, b) *insciis aut* post notitiam *rationabiliter invitis parentibus,* qui de illis cum hac vel illa persona ineundis, vel sub his ac illis circumstantiis boni consiliarii esse possunt; *quod si abnuerint* praefati sponsi praescriptae in canone hortationi morem gerere, *eorum matrimonio* etiam cum persona maiore *ne assistat,* seu eidem parocho id prohibetur, *nisi consulto prius loci Ordinario,* cuius consilium parochus sequatur oportet.

CAPUT II.

De impedimentis in genere.

Can. 1035. - Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur.

Can. 1036. - § 1. Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

§ 3. Quanquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

Can. 1037. - Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum.

Can. 1038. - § 1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat.

§ 2. Eidem supremae auctoritati pri-

[1] Sess. XXIV de réf. matrimonii.

vative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis.

Can. 1039. - § 1. Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest.

Can. 1040. - Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit.

Can. 1041. - Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur.

Can. 1042. - § 1. Impedimenta alia sunt *gradus minoris*, alia *maioris*.

§ 2. Impedimenta gradus minoris sunt:

1° Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;

2° Affinitas in secundo gradu lineae collateralis;

3° Publica honestas in secundo gradu;

4° Cognatio spiritualis;

5° Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.

§ 3. Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia.

Can. 1043. - Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus.

Can. 1044. - In eisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1043 et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can. 1098, n. 2, assistit. tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum.

Can. 1045. - § 1. Possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

§ 2. Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem.

§ 3. In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.

Can. 1046. - Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

Can. 1047. - Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerit tantum in foro interno sacramentali.

Can. 1048. - Si petitio dispensationis ad Sanctam Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur, nisi ad normam can. 204, § 2.

Can. 1049. - § 1. In Matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui gaudet indulto generali dispensandi super certo quodam impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse praescri-

batur. super eo dispensare etiamsi idem impedimentum multiplex sit.

§ 2. Qui habent indultum generale dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus, sive impedientibus, potest dispensare



super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus.

Can. 1050. - Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet; si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit.

Can. 1051. - Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega.

Can. 1052. - Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu.

Can. 1053. - Data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3.

Can. 1054. - Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit.

Can. 1055. - Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequatur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio aut quasi-domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt.

Can. 1056. - Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas a Sancta Sede expresse eis data fuerit; et si exegerint, tenentur ad restitutionem.

Can. 1057. - Qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant.

426. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Deinde considerare oportet *Caput II* inscriptum *De impedimentis* hoc est: de his quae obstant ex parte personarum matrimonio valide ac licite contrahendo, non quatenus est sacramentum dispositiones requirens in subiecto aliis quoque sacramentis communes, sed prout est speciale sacramentum, seu peculiaris contractus ex iure naturae introductus ac regendus eo iure, positivo divino et canonico propter baptismum ab uno saltem ex contrahentibus susceptum ad normam can. 1016 ibi explicatam. Completur inscriptio verbis: *in genere*, sciliçet: canones sub hoc capite congesti normas tradunt omnibus illis communes, ut patebit ex eorum explicanda coordinatione. — Postquam notio impedimentorum innuitur can. 1035, eorumque duae exponuntur divisiones in can. 1036, 1037, tres subsequentes

can. 1038-1040 tractant de potestate in huiusmodi impedimenta universaliter considerata, et de consuetudinis vi can. 1041. Sequitur in can. 1042 nova impedimentorum divisio respectu ad dispensationem habito, atque huius facultas conceditur pro casuum urgentiorum diversitate tum Ordinariis, tum parochis, aliisque sacerdotibus per can. 1043-1045, additis can. 1046, 1047 de adnotatione dispensationum, sic transeundo ad huiusmodi dispensationes vi S. Sedis indulti aut rescripti concessas. — Facultatis dispensandi usum moderantur can. 1048-1050, ac de legitimatione prolis per dispensationem concedenda loquitur sub distinctione can. 1051 transiens ad S. Sedis rescripta de hac materia, quorum validitas et implicita amplitudo determinatur per can. 1052-1054, exequutio autem ordinatur tribus ultimis can. 1055-1057.

427. **Quinam possunt contrahere matrimonium.** — Ad determinandam personarum habilitatem contrahendo matrimonio recolere oportet praeceptum natura hominis exigente humano generi datum a Deo: « crescite et multiplicamini et replete terram » (Gen. IX, 1), quod ut honeste fiat, matrimonium est naturale medium, « quia ratio naturalis ad ipsum inclinat et natura, sed mediante libero arbitrio complendum », ut docet D. Th. [1]. — Nunc vero [2] « natura inclinat ad aliquid dupliciter: uno modo sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem unius, et talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes; alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium ad perfectionem multitudinis; et cum multa sint huiusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti; alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et aedificatoriam, et ad huiusmodi officia quae sunt necessaria communitati humanae; sed inclinationi naturae satisfit, cum per diversos diversa de praedictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanae multitudinis sit necessarium aliquos contemplativae vitae inservire, quae maxime per matrimonium impeditur, inclinatio naturae ad matrimonium non obligat per modum praecepti, etiam secundum philosophos. Unde Theophrastus probat quod sapienti non expedit nubere, ut refert Hieronymus » [3].

Ex dictis sequitur individua humanae speciei singula, dum phy-

[1] Suppl. q. XLI a. 1 corp. — [2] Ib. art. 2 corp. — [3] Lib. I contra Iovin. cap. 28.

sica polleant generandi facultate, ius ad matrimonium habere in praecepto ad conservationem humani generis dato fundatum, quo tamen uti per se non obligantur singuli; attamen quoad illius iuris exercitium debent servare omnes leges, quae illud moderantur. Agitur enim de contractu, qui non tantum naturae humanae interest sed cuiuslibet societatis, et ob diversitatem temporum, locorum ac personarum diversis indiget normis, dummodo salvae relinquantur, quae illi iure divino sive naturali sive positivo sunt impositae, seu regi quoque debet iure humano. Hinc optime principium generale tradit Innoc. III in cap. 23 de sponsalibus et matrimonio (1, IV) dicens: « cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur », seu ut de personarum habilitate ac idoneitate ad matrimonialem contractum statuit *can. 1035. Omnes possunt,* utpote facultatem naturae iuridicam habentes ac licite *matrimonium contrahere,* idest: celebrare illum contractum, *qui iure,* cui subdantur. scilicet: divino semper sive naturali sive positivo, canonico baptizati ut explicatum est in can. 1016, civili iure nondum baptizati, *non prohibentur.* Unde impedimentum matrimoniale recte definietur « prohibitio contrahendi matrimonium alicui facta per ius cui subditur ». — Iuris autem humani prohibitio sic concipi tantum potest, ut sit relativa quoad matrimonium cum tali aliave persona, equidem ob motivum in eis vel in persona prohibita existens, nam prohibitio absoluta matrimonium contrahendi, solum ratione boni communis aut alia proportionata, non videtur admittenda nisi ad tempus, ita ut ad iustam prohibitionem perpetuam sit necesse, ut persona illud naturale ius voluntarie abdicet saltem quoad illius exercitium. Unde sequitur quod impedimentum matrimoniale saltem iuris humani duo includat, nempe: prohibitionem matrimonii contrahendi et motivum in persona impedita existens, sive hoc sit physicum sive morale.

428. **Divisio impedimentorum ratione effectus.** — In Decretalium collectionibus authenticis haec duo inveniuntur iuris principia. Innoc. III ait in c. 16 « de regularibus et transeuntibus ad religionem » (III, 31): « multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, roboris obtinent infirmitatem », et e contra edicit Reg. 64 iur. in 6°: « Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi », cum sequenti interpretatione in iure canonico ad norman can. 11: « irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur ». — Quaeritur ergo non immerito utrum illa regula queat impedimentis matrimo-

nialibus applicari. Ratioque dubitandi est, quia Conc. Trid.[1] generaliter « declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, (subducta proinde validitate eiusdem potestati) ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret ». Atqui matrimonium baptizatorum, quod « iure canonico regitur » (can. 1016), « Christus ad sacramenti dignitatem evexit » (can. 1012, § 2). Ergo eius substantia seu validitas, sicut de aliis sacramentis vidimus, non pendeat oportet ab Ecclesiae potestate impedimenta statuente per ss. canones. — Dubitatio evanescit si perpendatur specialis huius sacramenti substantia, quam perfecte sculpsit Leo XIII his verbis[2]: « Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium »; ac notanda verba: « matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure »; scilicet: immutabili, prout est divinum, ac mutabili, prout est humanum, quod in sacramenti substantia est canonicum. Hinc quamvis hoc mutetur, manebit semper eadem substantia huius sacramenti, nempe: « ipse matrimonii contractus, modo sit factus iure ».

His positis, optime rationabilis apparet impedimentorum divisio, quam ab antiquo admissam declarat, eam confirmans *can. 1036.* § *1. Impedimentum impediens,* proprie sic dictum ob unicum effectum, videlicet: a) *continet,* praeter suppositum in persona motivum, *gravem* seu in conscientia urgentem sub gravi *prohibitionem contrahendi matrimonium,* cui obstat illud; b) *quod tamen irritum non reddit* iuxta principium ex cap. 16 de regularibus... cit. *si, non obstante impedimento,* videlicet: hoc in praxi posthabito vel cum peccato vel ob ignorantiam sine gravi reatu, *contrahatur.*

E contra § *2. Impedimentum dirimens,* sic proprie nuncupatum ob alterum effectum sibimetipsi proprium, convenit cum impediente impedimento in eo quod a) *et graviter prohibet matrimonium contrahendum,* sicut explicata est par clausula in §° 1°, b) *et impedit,* uti casus reg°. cit^ae^. Iuris in 6°, *quominus,* etiamsi de facto matrimonium celebretur cum tali impedimento, *valide contrahatur,* quod praesupponit legem hoc impedimentum statuentem clausula inhabilitante muniri « expresse vel aequivalenter » (can. 11). — Animadvertatur vero cum D. Th.[3] circa verbum « dirimens »: « quod impedimenta praedicta non dicuntur dirimere matrimonium contractum, quasi solventia verum matrimonium, quod rite contractum antea sit, sed quia solvunt (idest: irritum reddunt) matrimonium quod contractum est de facto et non de iure. Unde si impe-

[1] Cap. 2 sess. XXI. — [2] Litt^s^. encycl^s^. « Arcanum » 10 Feb. 1880. — [3] Suppl. q. L art. un. ad 7^m^.

dimentum aliquod matrimonio rite facto superveniat, matrimonium solvere non valet ».

Porro [1] « cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam (ad normam can. 1013), constat quod in matrimonio est aliqua coniunctio, secundum quam dicitur maritus et uxor; et talis coniunctio » iuribus et obligationibus mutuis constans perfici non potest, nisi uterque voluntarie consentiat in eam, ac iterum non datur maritus sine uxore, nec uxor sine marito: quapropter merito admonet § 3. *Quanquam impedimentum* alterutrum §[i] praecedentis *ex una tantum parte,* in qua sit illius ratio, de quo tantum casu dubitari posset, *se habet* vel enascitur, *matrimonium tamen,* uti contractum perfecturum matrimonialem coniunctionem *reddit* in se ac pro utraque parte *aut illicitum,* et hoc semper, eo quod pars ab impedimento libera consentit efficaciter in alterius actum pravum, *aut invalidum* simul ac illicitum, si obstans impedimentum sit dirimens.

429. **Alia impedimentorum divisio ratione cognitionis de ipsorum existentia,** (quae divisio in se completa est, quia inter affirmationem et negationem unicae conditionis de eodem obiecto non datur tertia hypothesis), confirmatur ac declaratur congruenter disciplinae praecedenti in *can. 1037. Publicum censetur* iure, quia forsitan a paucis noscitur vel ab omnibus ignoratur, v. gr. ordo sacer susceptus, matrimonii vinculum prius contractum, quae singula impedimenta constant ex libro ordinationum vel matrimoniorum, quamvis pauci vel nulli eum inspiciant, vel in praesenti noscant; attamen natura sua erit publicum hoc impedimentum, prout opponitur simpliciter publicum eo quod pluribus notum; propterea « publicum censetur » *impedimentum* huiusmodi *quod probari* certo *in foro externo* ad can. 196 explicato, quamvis solum extraiudicialiter *potest*, etiamsi de facto probationes illius nec afferantur, nec idipsum timendum sit; *secus* idest: quod « probari in foro externo non potest » ex prudenti iudicio, *est* revera *occultum* impedimentum. Atque divisio haec tum impedientibus tum dirimentibus impedimentis aptari potest, ac maximum obtinet momentum quando tractatur de ipsorum dispensationibus, ut patebit

[1] Loc. cit. q. XLIV, a. 1 corp.

in can^{s}. seq^{s}., tum in his qui agunt de potestate dispensandi sive de ipsa dispensatione, tum etiam in aliis.

430. **Ius privativum supremae auctoritatis ecclesiasticae circa haec impedimenta.** — Quia « baptizatorum matrimonium (sicut et non baptizatorum) regitur primum iure divino » ac de ipso dubia sive iuris sive facti emergere possunt, refert scire apprime quod edicit *can. 1038.* § 1. *Supremae tantum,* exclusis omnibus inferioribus gradibus, *auctoritatis ecclesiasticae,* quae omnium hominum est magistra, et subditorum rectrix, et residet in Romano Pontifice ac Conc. Oecumenico, proinde exclusa quoque ipsa suprema civili auctoritate pro non baptizatis, *est* omnino proprium ex divina concessione, *authentice* idest: obligatorio modo *declarare,* scilicet: in casibus veri dubii obiectivi, non iam solum pro casibus qui, cum sint certi iuris, ab aliquo tamen vel quibusdam iudicio minus recto in dubium vertuntur, *quandonam* in opinionum diversitate propter circumstantias casuum vel obscura revelationis documenta *ius divinum* « sive positivum sive naturale », quod etiamsi « nec explicite nec implicite in Codice contineatur adhuc tamen viget » (can. 6, 6°), *matrimonium* quodcumque, et in specie baptizatorum a) *impediat* b) *vel dirimat,* et consequenter unum potius quam alterum efficiat. — Hanc vero declarationem edere potest Romanus Pontifex (idemque dicatur de Concilio universali), vel per definitionem dogmaticam loquens ex cathedra equidem infallibiliter, prout continetur in Conc. Vaticani definitione infallibilitatis, vel per legem universalem in qua illa declaratio contineretur implicite, ac tunc etiam infallibiliter quatenus Romanus Pontifex ex divina Spiritus Sancti assistentia non dabit leges inducentes Ecclesiam ad agendum contra Ius divinum, quamvis hoc adhuc definitum non sit, vel per legem particularem pro aliqua regione, vel per praeceptum aut dispensationem in casu, quae lex, praeceptum ac dispensatio declarationem illam supponerent, videlicet; etiam in his parendum esset, ac licite deponeretur dubium a privatis pro licita praxi ex reflexo principio: « obedientia excusat in dubiis ».

Praecedentis § ius oritur ex rei natura expostulante specialem Dei concessionem, qui Ecclesiam sui Filii sponsam providit de omnibus in rectam fidelium vitam necessariis. — Tantummodo in convenienti Ecclesiae regimine fundatur § 2. *Eidem supremae auctoritati* supra explicatae, quae per Sacras Congregationes exerceri

quoque potest ad normas earum attributionum, *privative* idest: prae quacumque alia auctoritate *ius est* proprie, seu moralis facultas lege fundata et inviolabilis, *alia* a) *impedimenta* praeter ea, quae vel iure divino constituta sunt, vel in Codice inseruntur, *matrimonium* non quodcumque b) *impedientia vel dirimentia* supra explicata, sed c) *pro baptizatis* sive inter se sive cum non baptizata persona contrahentibus, illa *constituendi* d) *per modum legis* e) *sive universalis* scilicet: pro tota Ecclesia saltem latina, f) *sive particularis* pro aliqua regione aut territorio etiam dioecesis.

431. **Vetitum Ecclesiae.** — Doctores sic proprie nominarunt Superioris prohibitionem, qua alicui in particulari casu interdicitur matrimonii celebratio, iuxta rubricam tituli Decretalium « De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae » (16, IV). Sic moderatur illud Codex per *can. 1039. § 1. Ordinarii locorum* (can. 198, § 2), ac tacet canon de parochis, queis non potestas interdicendi conceditur, sed indirecte vetitum infligitur iure sponsis ex prohibitione parocho facta « ne assistat », ut vidimus in can^{s}. praec^{s}., a) *omnibus in suo territorio actu commorantibus,* etiamsi non habeant hi domicilium nec quasi domicilium, proinde illis non subdantur, imo nec menstruam commorationem, b) *et suis subditis* ad normam can. 94, 111 *etiam extra fines sui territorii* supple « actu commorantibus », congruenter canoni 24 ubi legitur: « praecepta, singulis data, eos quibus dantur, ubique urgent »; *vetare possunt matrimonia* a) *in casu peculiari,* nempe: hoc illudve matrimonium, b) *sed ad tempus tantum,* v. gr. vel certum, vel usquequo dubium eluatur de impedimento, quod abesse sponsis certo constat, vel ad consensum obtinendum a parentibus, c) *iusta de causa,* idest: secundum vel praeter ss. canones et proportionata vetito d) *eaque perdurante,* proinde quando cesset, auferendum esset vetitum, imo cessaret hoc ex seipso. Si tamen sponsi contra hoc interdictum per se grave contraherent, illi ac parochus peccarent, quamvis Doctores recte admittant materiae parvitatem ob circumstantias. Cessat quoque illud vetitum, « resoluto iure praecipientis », idest in casu vel discedentibus sponsis non subditis a vetantis territorio, vel insuper derelinquendo quasi-domicilium vel domicilium, si agatur de Ordinarii vetantis subditis, « dummodo vetitum non fuerit impositum per legitimum documentum aut coram duobus testibus » (can. 24).

Valde notandus § 2. *Vetito* praedicto, vel per Rom. Pontificem dato, *clausulam irritantem,* ita ut matrimonium vetiti transgressione contractum sit nullum, *una Sedes Apostolica* sensu normae generalis in can. 7, *addere potest,* quae verba supponunt peccatum a contrahentibus et parocho adhuc patrari.

432. **Potestas impedimenta auferendi saltem per dispensationem.** — Stabilitati canonum impedimenta statuentium ac eorum observantiae prospicit *can. 1040. Praeter Romanum Pontificem* per seipsum, vel fortassis confirmantem sive Concilium Oecumenicum, sive in forma specifica seu specialiter tum Decretum alicuius S. Rom. Congr^s^. tum particulare Concilium, *nemo,* sive persona physica sive moralis iurisdictionem exerceat, (ipsae quoque Romanae Congregationes), *potest impedimenta iuris ecclesiastici,* nam iuris divini nec ipse Romanus Pontifex « potest », a) *sive impedientia* b) *sive dirimentia* a) *abrogare* scilicet: canonem hoc vel illud statuentem supprimere, b) *aut illis derogare,* videlicet praefatorum canonum amplitudinem restringere; atque pars haec canonis est perpetua. — Sequens autem exceptionibus coniungitur: *item* hoc est: « Praeter Romanum Pontificem, ut supra, nemo potest », *nec in eisdem* alterutrius speciei impedimentis singulis *dispensare,* quod est: « legis in casu speciali relaxatio » (can. 80), *nisi* congruenter canoni 80 a) *iure communi* idest: Codicis v. gr. SS. Congr^s^. per canones 247, § 3, 249, § 2, etc., vel melius interpretando « iure communi » per legem, quae omnibus saltem alicuius gradus iurisdictionis tribuat potestatem, b) *vel speciali indulto,* id est: concessione gratiosa uni vel pluribus facta *a Sede Apostolica* interpretanda ad normam can^s^. 7 generalem, *haec potestas* iuridica dispensandi, ut supra, *concessa fuerit,* illa sub littera *a*) ex ordinaria, haec sub littera *b*) ex delegata iurisdictione exercenda. Exempla indultorum habemus in Dec^s^. S. Congr. Consistorialis [1], quibus « facultates Ordinariis concessas adhuc in suo robore perseverare eisque Ordinarios uti posse usque ad sex menses integros (ad normam can. 34, § 3, 1°, 2°, 3°) post signatam inter nationes, quae bello contenderunt, pacem », non iam post vigorem eiusdem signatae pacis, decrevit ead. S. Congr. [2]. Item in

[1] 25 Apr. et 2 Aug. 1918. CO. X-190, 363. — [2] 4 Mart. 1919, CO. XI, 120.

Formulis S. Congⁿ. de Prop. Fide quas in hac parte commentatas vide infra.

433. **Contraria consuetudo reprobatur.** — Maxime interest Ecclesiae uniformitas huius disciplinae, eo quod sicut in aliis sacramentis quoad materiae ac formae accidentalia stabilitas unitasque disciplinae maxime cavetur, sic decet fieri pro posse in illius contractus elementis, qui sacramenti matrimonii substantiam efficit, iuxta Leonis XIII supra declaratam accuratamque doctrinam. Propterea opiniones Doctorum circa consuetudinis vim senescentes resecuit *can. 1041. Consuetudo* scilicet: facti, seu diuturnus agendi per populum modus liber ac uniformis, a) *novum impedimentum,* sive impediens sive dirimens *inducens,* videlicet: (can. 28) « consuetudo praeter legem (impedimentorum), quae scienter a communitate cum animo se obligandi servata sit », b) *aut impedimentis* matrimonii quibuslibet ex iure nunc et pro tempore vigente *existentibus contraria,* quae ut « iuri ecclesiastico praeiudicium afferat, oportet quod fuerit rationabilis », hoc in canone *reprobatur* « expresse », ac proinde « non est rationabilis » (can. 27).

434. **Impedimenta gradus minoris et maioris.** — In ordine ad impedimentorum dispensationem de qua statim loqui intendit Codex, inducta fuit Normis peculiaribus [1] (Cap. VII, art. III, nn. 17°-21°) distinctio impedimentorum iuxta eorum momentum in matrimonii disciplina, quam divisionem retinet cum mutationibus respectu ad Codicem necessariis *can. 1042.* § 1. *Impedimenta,* prout haec comprehendunt tam dirimentia quam impedientia, nam lex non distinguit atque impedientia quoque dispensantur, quamvis sub priore divisionis membro dirimentia sola recenseat, unde ista directe divisio respicit, *alia sunt gradus minoris* forsitan ob minorem personarum cognationem, in qua gradus proprie sunt, et inde horum nomen impedimentorum provenit; sed quia non recensentur sola cognationis impedimenta, melius interpretantur verba « gradus minoris » velut in inferiori posita, quae in citatis normis « minora impedimenta » quoque appellantur (loc. cit. n. 21), *alia maioris* respectu praefatorum.

§ 2. *Impedimenta gradus minoris sunt: — 1° Consanguinitas,* de qua sicut de lineis et gradibus eius est can. 96 iam commen-

[1] Ordo servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae. CO. I, 16.

tatus, *in tertio gradu,* quia in remotioribus ablatum est illud impedimentum, non lineae rectae sed *collateralis* seu « obliquae » (can. cit. § 2), « sive aequalis sive inaequalis, hoc est tertii gradus mixti cum secundo », (Normis cit. n. 19° *a*), quia recte illud ius vetus sub canonis verbis manet implicitum; — *2° Affinitas* designata et explicata in can. 97, non iam « tertii gradus mixti cum secundo » (ib.) quia tertius affinitatis gradus et ulteriores non impediunt nec dirimunt ex Codice matrimonium, sed *in secundo gradu* simplici *lineae collateralis* sic dictae ob consanguinitatem, quae includitur in affinitate, ut in can. cit. fuit declaratum, non comprehensa igitur sub hoc numero linea recta; — *3° Publica honestas* diverso tamen sensu quam in praedictis normis, scilicet: ad normas can^{s}. 1078 congruens partialiter litterae *b*) sub n. 19° in Normis (loc. cit.), *in secundo gradu* « simplici vel mixto cum primo » (num. cit.) lineae rectae, quae verba fuerunt (utpote innecessaria) omissa, eo quod in hac tantum linea servatur impedimentum; — *4° Cognatio spiritualis* « ea tantum » (can. 1079), quae impedimentum inducit; — *5° Crimen* solum a) *ex adulterio*, quod supponit validum matrimonium in uno saltem ex peccantibus, *b*) disiunctive *cum promissione matrimonii* celebrandi cum adultera persona, quae data fuerit vivente coniuge innocente, *vel attentatione matrimonii* equidem invalidi loco promissionis ac in iisdem circumstantiis ante dictis, *etiam per civilem tantum actum,* seu invalidi quoque ob defectum substantialis formae; nempe: hoc impedimentum est contentum in can. 1075, n°. 1°.

Post haec commentario non indiget § *3. Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia,* etsi tantum impedientia cognationis legalis, dum haec respiciat praefata divisio, quae utilis est pro determinanda in casibus validitate dispensationum iuxta sequentes canones.

Opportunum duximus addere Dec^{m}. S. Congr^{s}. Consist.[1], « quo declarat et statuit, facultates Ordinariis concessas decretis eiusdem S. Congr^{s}. die 25 Aprilis (ubi fusius illae describuntur) et 2 Augusti 1918 (ubi omnes Ordinarios in altero Dec^{o}. expressos aequales in facultatibus reddidit) adhuc in suo robore perseverare, eisque Ordinarios uti posse usque ad sex menses integros post signatam inter nationes, quae bello contenderunt, pacem ». Illa Decreta citata prostant per extensum in Comment. Officiali vol. X, pagg^{s}. 190 et 363 ubi con-

[1] 4 Mart. 1919, CO. XI-120.

suli queunt. Solummodo ex ultimo transcribere oportet ultimum paragraphum: « Debebunt tamen singuli Ordinarii (nempe: de quibus sub littera *a*), in America, in insulis Philippinis, in Indiis orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras et in Russia) in fine cuiuslibet anni,..... rationem reddere S. Congregationi de Sacramentis de specie et numero dispensationum quas ipsi concesserint, eaque occasione iuribus eiusdem S. Congregationis circa taxarum solutionem satisfacere », quod ultimum cavetur quoque pro aliis Ordinariis in primo Decreto.

435. **Facultas iure concessa locorum Ordinariis dispensandi ab impedimentis matrimonialibus.** — Duae huiusmodi facultates in Codice inveniuntur. Prima est eadem, quam per litteras Congis. S. Officii [1] Leo XIII concessit, postea in media luce positam per declarationes subsequentes opportune citandas, eo magis quod mutationes non leves passa est in confirmante eam *can*e. *1043. Urgente,* id est: « quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem », vel providendi ordinario modo sequenti necessitati; *mortis periculo* scilicet: ob aegritudinem, vulnus, similemque causam ex qua certo praevidetur iudicio prudenti mors sequutura, sive personae quae afficitur impedimento, sive alterius de cuius matrimonio cum illa sit quaestio, « sive impedimentum directe afficiat » utramque, iuxta Dec. S. C. Inq. [2]; sub illa ergo prima circumstantia, *locorum Ordinarii,* quae appellatio in eisdem Litteris fuit declarata eodem sensu ac nunc viget ad normam can. 198, § 2, sub circumstantia altera quae est *ad consulendum conscientiae,* nempe: « cum iis, qui iuxta civiles leges sunt coniuncti aut alias in concubinatu vivunt » (litte. citae.), sed quia haec clausula inserta non fuit in canone, cuius verba ampliorem significationem admittunt, puto hanc admittendam esse; v. gr. abrogatis Declare. S. C. Inq. [3], cum iis etiam qui matrimonio invalido sunt coniuncti praesertim mala fide, vel quando quis infirmus ad matrimonium cum certa puella est obligatus in damni reparationem, imo ex verbis canonis, *et si casus ferat,* nempe, quia proles fuit ab eis concepta, *legitimationi prolis,* sive « per dispensationem concessam eo ipso » ad normam can. 1051, « excepta tamen adulterina et sacrilega », congruenter Declarationi S. Congr. Inq. [4] facto verbo cum Smo, sive « per subsequens parentum matrimonium » ad normam canon. 1116 id est: « dummodo

[1] 20 Febr. 1888. — [2] 1 Iul. 1891. — [3] 17 Sept. 1890 et 3 Maii 1899. — [4] 8 Iul. 1903.

parentes habiles extiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis ».

In supradictis igitur solis circumstantiis, *possunt,* « quae potestas iurisdictionis (quia) ipso iure (huius canonis) adnexa officio » (conceditur namque « locorum Ordinariis ») est « ordinaria (can. 197) sive propria sive vicaria », non tamen hi « possunt eam alteri (cuicumque) ex toto vel ex parte delegare (can. 199, § 1), iuxta interpretationem huius canonis datam in Comment. Textus Cod. Iur. can. [1], abrogata vero cencessione, quam decrevit S. C. Inq^{s}. [2]: « Ordinarios posse eam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus dumtaxat, in quibus deest tempus ad ipsos recurrendi, et periculum est in mora », quod nunc per canonem sequentem est ipsis parochis iam concessum. — Sequitur in hoc canone obiectum facultatis sic expressum: a) *tum super forma* (atque iuxta reg. iur. 80 in 6°: « in toto, partem non est dubium contineri ») *in matrimonii celebratione servanda* iuxta capitis VI seq^{s}. praescripta etiam pro exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099, quod dubitatum fuit quandoque, quia (litt^{s}. cit^{s}.) S. Congr. Inq^{s}. rationem facultatis afferens dixerat: « ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari, et propriae conscientiae consulere valeant », b) *tum super omnibus* non solum « dirimentibus » ut in cit^{s}. litt^{s}. sed et impedientibus, *et singulis impedimentis,* ut nullum exclusum reputetur, quatenus sit c) *iuris ecclesiastici,* idest: sub ipsius potestate seu dispositione relictum, etsi ex iure divino conditionato vim habeat, scilicet: supposito humanae voluntatis actu, v. gr. votum, quod iure divino est observandum, d) *sive publicis sive occultis,* quorum verborum significationes didicimus in can. 1037, prouti S. Congr. Inquisitionis [3] declaravit litt^{m}. eiusdem verba « quamvis publicis ». Additur in canone e) *etiam multiplicibus* « impedimentis » scilicet: « etiamsi idem impedimentum multiplex sit, vel super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus, sive impedientibus, in uno eodemque casu occurrentibus », congruenter huic praescripto canonis 1049, quae potestas cumulandi denegabatur in iure praecedenti.

Subducuntur vero statim in hoc canone quaedam impedimenta, quae excepta fuerunt in cit^{s}. litt^{s}., nempe: *exceptis impedimentis*

[1] Vol. « De Personis ». Ed. 2. — [2] 9 Ian. 1899. — [3] 23 Apr. 1890.

dirimentibus a) *ex sacro presbyteratus* tantum *ordine* comprehenso iuxta alias dicta in eo, qui consecratione adauctus est episcopali, b) *et ex affinitate in linea recta,* mutatis verbis (cit^{a}. litt^{a}.): « ex copula licita proveniente », in haec alia *consummato* videlicet: proprie *matrimonio* valido ex quo illa orta est, non isto de quo agitur contrahendo, unde « affinitas etiam in linea recta quae dirimit matrimonium in quolibet gradu » (can. 1077) qua « oritur ex matrimonio valido rato tantum » non venit sub hac exceptione; illaque verba necessario fuerunt mutata, quia impedimentum nunc quandoque proveniens cum copula illicita interveniente vocatur in Codice « impedimentum publicae honestatis » (can. 1078). — Super praefatis igitur impedimentis, quae excepta non fuerunt, « locorum Ordinarii » per se tantum « possunt » *dispensare,* scilicet pro utroque foro, cum « forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, nec ex ipsa rei natura aliud constet » (can. 202, § 3). — Quocirca forma in matrimonii contractu servanda dispensaretur tota vel pro parte in foro externo ad quod directe pertinet, nisi res sit occulta per se; impedimenta publica dispensarentur pro foro externo in quo « probari possunt », occulta e contra dispensarentur in foro tantum interno.

Sequitur recensio eorum erga quos concessa sit facultas, indeque valide exerceri queat: a) *proprios subditos* ad normam can. 94 et 111, *ubique commorantes,* quia est potestas iurisdictionis voluntaria, quam « quis exercere potest extra territorium existens, aut in subditum e territorio absentem » (can. 201, § 3) ac utroque simul supposito, ut ibidem probatum est in Commentario Textus, hoc tamen in loco fuit memorandum propter materiae momentum, et ne ille Ordinarius exclusus videretur cum sic duo sint Ordinarii competentes iuxta id quod sequitur; b) *et omnes* quamvis non subditos, ut supra, *in proprio Ordinarii territorio actu degentes,* verbo significante non idem ac decumbentes, sed idem ac commorantes, etsi haec commoratio menstrua non praecesserit alias necessaria ad matrimonii liceitatem ad normam can. 1097, § 1, 2°; ac sequuntur quaedam praescripta per ipsos Ordinarios urgenda, scilicet: a) *remoto scandalo* quolibet, quod incurrere possint fideles, praecipue inductionem parvipendendi impedimenta, despectionem personarum clericorum in sacris ac religiosorum, secundum mentem Sanctitatis Suae (cit^{a}. litt^{a}.) expressam: « ut si quando, quod absit, necessitas

ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum »; quae media possunt tanquam norma directiva aptari scandalo in aliis casibus removendo; ac explicit canon: b) *et, si dispensatio concedatur* a) *super cultus disparitate,* quae ad normam can. 1070 est impedimentum dirimens, b) *aut mixta religione,* quae ad normam can. 1060 continet impedimentum impediens, *praestitis consuetis cautionibus,* quae in can. 1061, § 1, n. 2° continentur, sine quibus « Ecclesia super his impedimentis non dispensat » (can. 1061, 1071).

436. **Eadem facultas iure ipso aliis concessa.** — Praecedentem canonem extendit quoad dispensantem *can. 1044. In iisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1043,* scilicet: *a*) « urgente mortis periculo, *b*) ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis », addita his circumstantiis clausula limitante, c) *et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius* eadem facultate ad normam can. praec. usurus *adiri possit* physica vel morali impossibilitate, proindeque in eiusdem substitutionem *eadem dispensandi facultate,* videlicet: comprehensa et explicata inter verba can. praec. « possunt..... dispensare », *pollet* a) *tum parochus* interpretandus ad normam can. 451, non exclusis « vicariis paroecialibus, si plena potestate paroeciali sint praediti », quod eruendum est iuxta explicationem illius 2[1] numeri, et canonum de singulis « vicariis paroecialibus » sub Capite X, Tituli VIII, Libri I [1], quae facultas est in eis quoque ordinaria et pro utroque foro, propter rationes pro Ordinariis locorum allatas in praec. can.,

[1] Comment. Textus... pagg. 419 et 441 ac seqq[s].

sed illi eam delegare non « possunt alii sacerdoti », etsi ei dent « licentiam ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat », ob rationem in praec. can. indicatam, et est limitatio valde notanda. Sic manet vigens illa Declaratio S. Congr. Inq^s. hac de re [1]: nomine parochorum « comprehendi omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et cappellanis » ; sed e contra plene confirmatur potestas extensa per Dec^m. ac Declarationem S. Congr. de disciplina Sacramentorum [2], dum sequitur in canone b) *tum* equidem pro utroque foro, sed « ex commissione (iuris) facta personae » (can. 197, § 1), quae sit *sacerdos qui matrimonio* secundum canonis huius initium, et *ad normam can. 1098, n. 2, assistit,* nempe: « si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant », prout ex ordinario iure faciendum esset ad matrimonii validitatem, c) *tum confessarius* sic dictus eo quod infirmi confessionem rite audit, saltem vi canonis 882 incipientis: « in periculo mortis omnes sacerdotes », *sed hic,* secus ac de aliis dictum est ac ex seq. clausula confirmatur, a) *pro foro interno,* ita quod dispensatio haec « non valet pro foro externo » can. 202, § 1), nec « exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali » (ib. § 2), eo quod est additum in canone b) *in actu sacramentalis confessionis tantum,* sive stricte perdurante ipso, sive ante « preces ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctas » (can. 885) tunc explicatas, qua formula perficitur sacramentalis confessio, sive post absolutionem sacramentalem immediate unico contextu, quia moraliter actus sacramentalis confessionis tunc dispensatione iam prius intenta completur, non enim dicitur in canone « intra » praefatum actum. Praedicta denique « facultate pollet confessarius », etiamsi parochus physice adiri posset: casu vero quo physice ac moraliter adiri posset, atque agatur de impedimento publico, ad parochum recurrendum esset, saltem ad liceitatem, ex clausula: « remoto scandalo » can. praec^s.

437. **Eadem facultas dispensandi pro aliis casibus extra mortis periculum.** — In iure praecedenti considerarunt Doctores casum in quo angustiis premerentur parochi et confessarii, quae nunc remotae sunt per seq^m. *can^m. 1045. § 1. Possunt*

[1] 23 Apr. 1890. — [2] 16 Maii, 16 Aug. 1909, CO. I, 468 et 656.

Ordinarii locorum « potestate iurisdictionis ordinaria » (can. 197, § 1) ut in can. 1043, a) *sub clausulis in fine can. 1043 statutis,* nempe: a verbis « remoto scandalo » ibique interpretatis, b) *dispensationem concedere,* quae « potestas eisdem est hoc canone explicite concessa » (can. 81), non « super forma in matrimonii celebratione servanda », sed c) *super omnibus* « et singulis » *impedimentis de quibus in cit. can. 1043* idest: expressis sub clausularum diversitate usque ad verba eiusdem « consummato matrimonio », pro casibus tamen sequentibus: *quoties* a) *impedimentum detegatur,* non prius, sed b) *cum iam omnia sunt parata ad nuptias,* c) *nec matrimonium,* d) *sine probabili* (non requiritur certo) *gravis mali* spiritualis aut corporalis vel fortunae aut famae *periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede* (non ab alio quocumque delegato) *dispensatio obtineatur,* quod ultimum unice considerare oportet, non iam utrum alius dispensaturus adiri queat.

Huc pertinet sequens authentica interpretatio Pontificiae Commissionis: « IV. Utrum ad normam can. 1045, § 1, clausula " quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias ", intelligi debeat stricto sensu, scilicet quod impedimentum antea omnino ignotum fuerit, et tunc resciatur, an potius eo sensu quod, quamvis antea cognitum, tunc solum tamen ad notitiam Parochi aut Ordinarii sit delatum. — Resp.: Negative ad 1^am^ partem, affirmative ad 2^am^ » [1].

Eo quod in praec. §^0^ supponitur matrimonium adhuc contrahendum velut necessaria facultatis conditio, eam extendit § 2. *Haec facultas* expressa nempe ab initio §^1^ 1^1^ usque ad verba: « de quibus in cit. can. 1043 », *valeat quoque* id est: concessa intelligatur vi huius §^1^ 2^1^ *pro convalidatione matrimonii iam contracti,* (scilicet: invalidi ob quodcumque impedimentum ex dictis, non defectu formae, aut consensus), perficienda ad normam can. 1133-1135, sub duabus conditionibus ultimo in § 1^0^ expositis: a) *si idem omnino periculum sit in mora,* cui subveniendo b) *nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem* quatenus hoc recursu opus est ad eam convalidationem. Et hoc §^0^ fuit melius provisum, quam per Decretum S. C. Inq. [2] confirmantis doctrinam Bened. XIV [3].

[1] 1 Martii 1921. CO. XIII, 178. — [2] 3 Aug. 1873. — [3] De Syn. Dioec. lib. IX, cap. 2.

Imo sic ampliantur hi duo §§[1] per § *3. In iisdem rerum adiunctis,* nempe: vel §[1] 1[1] sub postremis litteris a), b), c) et d) vel §[1] 2[1] sub litteris eius a) et b), *eadem* quoad forum, obiectum, et personas respectiva *facultate* pro §° 1° dispensandi, pro §° 2° convalidandi, *gaudent* ex huius §[1] facta primo concessione *omnes de quibus in can. 1044,* videlicet: a) « tum parochus, b) tum sacerdos qui matrimonio ad normam can. 1098, n. 2, assistit, c) tum confessarius », quae verba ibidem declarata manent, *sed solum,* secus ac pro duobus prioribus in illo canone, omnes tres a) *pro casibus* publici forsan impedimenti ad normam can. 1037, sed *occultis,* id est: non notis iuxta stylum Sac. Poenitentiariae, « ex quorum ipsa natura pro foro interno potestas intelligitur concessa » (can. 202, § 3), b) *in quibus* insuper disiunctive a) *ne loci quidem Ordinarius* multo minus S. Sedes *adiri possit,* b) *vel,* etsi possit unus vel altera, *nonnisi cum periculo violationis secreti* concomitantis casum occultum, quamvis non sit sigillum sacramentale.

438. **Ordinarii loci certioratio de concessa dispensatione huiusque adnotatio.** — Ut dispensationis probatio habeatur in re fori externi necessaria, sollicitudinem habuit legislator in *can. 1046. Parochus aut sacerdos,* non autem confessarius, *de quo* utroque *in can. 1044* scilicet: prout ibi fuerunt designati cum addita interpretatione, a) *de concessa* vi illius cit[1]. canonis per alterutrum *dispensatione* super impedimento publico, eo quod *pro foro externo,* « quae valet quoque pro interno » (can. 202, § 1), ut ibidem interpretatum est, hinc confirmatum, *Ordinarium loci* (can. 198, § 2) *statim* seu nulla voluntaria mora interposita *certiorem faciat* sufficienti modo per se vel per alium, aut epistolam: haec est obligatio illorum; sed loci in quo matrimonium illud celebratum est parochum urget sequens praescriptum: *eaque* dispensatio vel per Ordinarium quoque vi cit[1]. can[s]. aut 1045, §§ 1-2 concessa cum sequuto matrimonio secundum can. 1103, § 1 adnotando etiam « in libro baptizatorum » (can. cit. § 2) *adnotetur* scilicet: adiungatur matrimonii descriptioni *in libro matrimoniorum,* proindeque implicite praescribitur sacerdoti vel melius ex contextu Ordinarii Curiae, ut illi parocho eamdem notificet. — Dispensationis vero a confessario in foro sacramentali datae utpote nihil valentis pro foro externo, nec iniungitur notificatio, nec permissa est ob rei naturam, etiam consentientibus partibus, ad normam can. 1757, § 3,

n. 2°, quia nihil refert quod agatur de foro extra-iudiciali, in hoc enim probationes admittuntur solummodo secundum ius scriptum, ac saltem certo non oppositae ipsius menti.

Quaeri potest an quid simile huic canonis praescripto servandum sit quando dispensatio « pro casibus occultis » concedatur ad normam can. 1045. Ad rectam responsionis inventionem consideretur illam dispensationem « ex ipsa rei natura » casus occulti ad forum internum intelligi coarctatam (can. 202, § 3), unde sub can^s. 1046 praescripto « de concessa dispensatione pro foro externo » non comprehenditur, etiamsi casus occultus sit impedimenti per se publici, v. gr. quod duabus personis testibus notum sit a quibus probari queat. Sed inveniemus hunc casum occultum sub seq^i. canone implicitum.

439. **Competentia diversarum Congregationum ac Sacrae Poenitentiariae quoad matrimoniales dispensationes.** — I. (Canon 258, § 1) « Sacrae Poenitentiariae tribunal pro solo foro interno (etiam non sacramentali) largitur dispensationes » impedimentorum matrimonialium sive directe, sive indirecte per dispensationem votorum matrimonium impedientium, quando haec sint privata; item convalidationes matrimoniorum ac eorum « sanationes » in radice.

Pro foro externo huiusmodi est competentia: — II. « Ad Congr^m. S. Officii spectat facultas dispensandi in impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis » (can. 247, § 3).

III. « Congregatio de disciplina Sacramentorum cognoscit exclusive de facto inconsummationis matrimonii et de existentia causarum ad dispensationem concedendam, nec non de iis omnibus, quae cum his sunt connexa » (can. 249, § 3). Item « incolumi iure Congregationis S. Officii, secundum ea quae superius statuta sunt » [1] (I, 3°, 1), « eidem Congregationi (de Sacramentis) tributum est concedere dispensationes (matrimoniales) in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice (et consequenter matrimoniorum convalidationes), dispensationem super rato, separationem coniugum, natalium restitutionem seu legitimationem prolis » (ib. 2). Attendendae sunt sequentes ipsius competentiae limitationes.

IV. Cum « Congregationi Concilii ea pars negotiorum sit com-

[1] Const. « Sapienti consilio » Pii X s. m. 29 Ian. 1908, CO. I, pagg. 7 et seq^s.

missa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur » (can. 250, § 1), sequitur quod est competens ad decernendam reductionem clericorum in sacris ad statum laicalem, et relaxandi obligationem coelibatus « qua illi adhuc tenentur » (can. 213, § 2), imo et ad dispensandum a voto castitatis perpetuo emisso « in societate sive virorum sive mulierum, quae non est proprie religio » (can. 673, § 1), quod post dimissionem a societate manserit firmum.

V. « Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita ea sibi exclusive vindicat quae respiciunt » (can. 251, § 1) dispensationem voti castitatis in religione qualibet emissi. Nam ei non est ablatum, imo implicite adiudicatum, quod legimus in const. « Sapienti consilio » (I, 1°, 4)... « relaxationem votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, sibi vindicat, Congr. negotiis sodalium religiosorum praeposita ». Unde tantum ea interveniente videtur posse permitti matrimonium, cui obstet dictorum votorum forsan post egressum permanentium impedimentum.

VI. « Pro Ecclesiis ritus orientalis Congregatio pro Ecclesia Orientali omnibus facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, incolumi tamen (antea obtento in Orientales et per Codicem non ablato) iure Congregationis S. Officii ». Circa hoc ius considerare oportet quod S. Congr. Consist^s. respondit [1] ad Dub. « VI. Utrum Congr. pro negotiis rituum orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus? — Ad VI. Affirmative, excepto tantummodo Privilegio Paulino, quod pertinet ad Congr. S. Officii ». Illi Congregationi successit immediate « S. Congregatio pro Ecclesia Orientali » per Motum pr. « Dei providentis » Bened. PP. XV [2] in quo sub n. IV decernitur: « Pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus facultatibus potiatur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, salvo tamen iure Congregationis S. Officii », quod ius non se extendebat, vel saltem non exclusive ad dispensanda impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis pro subditis ecclesiarum ritus orientalis.

Tam S. Poenitentiaria pro foro interno, quam praedictae SS. Congregationes pro foro externo, sicut dispensationes praefatas iuxta

[1] 12 Nov. 1909, CO. I, 149. — [2] 1 Maii 1917. CO. IX, pag. 529.

expositam competentiam elargiri queunt, ita similiter facultates habituales concedere possunt ad easdem dispensationes tribuendas; iuxta reg. 68 iuris in 6°. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum ». — Immo quamvis legatur in Normis specialibus [1]: « Congregationi de disciplina Sacramentorum in iis, quae matrimonium spectant, competunt quoque loca Congregationi de Prop. Fide obnoxia », quae norma viget post Codicem, attamen viget pariter resolutio S. Congr^e. Consistorialis [2] sequens: « II. Utrum Congr. de Prop. ob peculiaria adiuncta Moderatorum dioecesum et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, Oceaniae aliisque huiusmodi, etiam in posterum concedere possit Episcopis, Vicariis Aplcis., Praefectis, vel Moderatoribus missionum formulas facultatum, quarum plures matrimonia respiciunt? — Ad II. Affirmative, re tamen agitata et composita cum S. Congr^e. de Sacramentis ».

440. **Quaenam sint hodie facultates dispensandi in his impedimentis concessae a S. Congr. de P. F.** — In quatuor Formulis a die 1 Ianuarii 1920 vigentibus, (excepta ergo Form. prima, de qua in fine). Vicarii ac Praefecti Aplci. donati sunt facultate « dispensandi, canonicis existentibus causis », (seu in Curia Romana admissis, « alias dispensatio huiusmodi data illicita et invalida est » can. 84, § 1), super *impedimentis matrimonialibus,* (non omnibus, quae sic vocentur ab Auctoribus etsi probatis post Codicem, sed quae in eo recensentur a can. 1058 ad can. 1080) sive minoris sive maioris gradus (can. 1042), (scilicet: nihil refert distinctio haec quoad facultatem, nec quoad existentiae causarum necessitatem ex contextu contra canonem 1054), tam publicis quam occultis, (« quae probari in foro externo possint, vel secus » can. 1037) etiam multiplicibus, (iuxta explicationem clausulae finalis can^s. 1049, § 1, ac etiam « potest dispensare super iisdem supra dictis impedimentis,... in uno eodemque casu occurrentibus » § 2), iuris tamen ecclesiastici, (prout id declaratum manet ad can. 1043, ubi facultas datur « urgente mortis periculo... super forma in matrimonii celebratione servanda », quae in Formulis non comprehenditur, imo exceptiones illius canonis in his formulis cum tertia exceptione recensentur, videlicet) · exceptis impedimentis provenientibus *a*) ex sacro Presbyteratus ordine (ut in cit. canone) *b*) ex defectu praescriptae aetatis (nempe: quoad virum « ante decimum sextum aetatis annum completum », et quoad mulierem « ante decimum quartum item completum » can. 1067, § 1) et *c*) « ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio », quae exceptio ad can. 1043 fuit declarata.

In praedictis quatuor Formulis monitiones adduntur statim circa facultatis praedictae usum, quae cum « subdelegari possit » eo quod « asterisco notatur »,

[1] Ordo servandus... etc. Cap. I, n. 1 *c*); CO. I, pag. 59. — [2] 12 Nov. 1909, CO. I, 149.

subdelegati has etiam monitiones attendant oportet. Verba citata inveniuntur sub animadversione I in Formularum fine, ubi sub n. II legitur: « Ordinarius insuper supradictis omnibus (Formularum) facultatibus sive per se sive per alios (quoad asterisco notatas) uti tantum valeat *intra fines suae iurisdictionis* (ordinariae, non ergo « extra territorium exsistens, aut in subditum e territorio absentem », quia sic « ex iure constat » illis verbis, can. 201, § 3); easque gratis et sine ulla mercede exerceat, (tam utens, quam subdelegans, atque unusquisque subdelegatus) », et facta (singulis vicibus) mentione apostolicae delegationis », (saltem huiusmodi verbis, quin necesse sit exprimere datam concessionis). — Eas monitiones vide, si lubet, in Appendicis II Formula.

Animadversiones I et II praefatae sunt eiusdem tenoris in Formula prima, sed vi huius Vicarius aut Praefectus apostolicus obtinet solam facultatem: « 8. Dispensandi, canonicis existentibus causis, (supra declaratis) super impedimentis matrimonialibus minoris gradus (recensitis in can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus ». Quae verba fuerunt supra declarata.

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius, Vicarius vel Praefectus apostolicus, ad normam can. 198, § 1, vel « ad quem vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309 » (can. 310, § 2), vel nunc quoque « Vicarius Delegatus » [1] *prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie.*

441. **Adnotatio dispensationis in foro interno concessae.** — Transiturus Codex ad dispensationum super impedimentis matrimonii concessionem ex potestate delegata, et propter adnotationis earum connexionem ratione fori cum altera praec^{a}. canonis, statim subnectitur *can. 1047. Nisi aliud* saltem diversum a sequenti praescripto *ferat S. Poenitentiariae,* « cuius tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea quae forum internum respiciunt » (can. 258, § 1), *rescriptum* dispensationis matrimonialis, convalidationis matrimonii vel sanationis in radice illam dispensationem continentium, v. gr. ut illud laceretur, nullaque probatio remaneat, quaelibet *dispensatio* a) *in foro interno* explicato in Commentario Textus ad can. 196, sed b) *non sacramentali concessa,* igitur non est includenda quam concesserit confessarius vi can. 1044 et 1045, § 3, sed quaelibet alia elargita tum ab Ordinario tum a parocho, tum a sacerdote vi can. 1043-1045, aut vi illius rescripti a quo incepit canon quem commentamur, ac generaliter vi indulti eiusdem S. Poenitentiariae vel S. Congr^{s}. de Prop. Fide pro foro interno c) *super impedimento occulto,* « quod probari in foro externo non potest » (can. 1037) secundum prudens iudicium, ut ibi diximus, *adnotetur*

[1] Epistola S. Congr. de P. F. « Iuxta can. 198 Cod. I. C. » 8 Dec. 1919 CO. XII, 120.

ex hoc praecepto a) *in libro* b) *diligenter* ne pereat vel distrahatur, ac ne inspiciatur ab aliis c) *in secreto Curiae archivo,* quod moderatur can. 379-382, propterea dicitur *de quo in can. 379,* supple « libro » ibi *asservando,* unde comprehenditur sub clausula illius canonis : « In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur ».

Ratio vero effectusque huius praescripti sic patefit : a) *nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria,* supposita illa adnotatione, sicut aliter esset ad normam can. 202, § 1 ubi praescriptum est : « Actus potestatis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae collatae pro foro interno non valet pro externo », *etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit* prae expectatione, quod evenire posse supponitur, et hinc videtur confirmari quod tunc diximus de impedimento occulto ponderando secundum prudens iudicium ; subiungitur autem adversative : b) *sed est necessaria* scilicet : « pro foro externo, si (quandoque dispensatum) occultum impedimentum publicum evaserit », *si dispensatio* initio canonis declarata *concessa fuerit tantum,* vel ob voluntatem exercentis « potestatem collatam pro foro interno », sive quia in concessione potestatis « sacramentale exigatur » (can. 203, § 2) forum, *in foro interno sacramentali,* ut monuimus pro speciali casu in fine canonis 1046, idque statutum est congruenter canoni 1757, § 3 : « Ut incapaces repelluntur a testimonio ferendo :... 2° Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint ; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis, ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt ». Praescriptum illud ac istud valde prudens, ut sacramentalis confessionis libertas in plenam tutelam sit posita.

Quid ergo dicendum de dispensatione concessa tum a parocho tum a sacerdote vi can^s. 1045, § 3, « in foro interno non sacramentali » super impedimento publico (sed in casu occulto). — Respondeo : hunc « actum potestatis iurisdictionis sive ordinariae (in parocho) sive delegatae (ex canonis commissione in sacerdote) collatae pro foro interno non valere pro externo » (can. 202, § 1). Atqui vi huius canonis 1047 adnotatio facienda, ne alia dispensatio pro foro externo sit necessaria, est taxative dispensationis « super impedimento occulto ». Ergo non obtinet eundem effectum similis adnotatio dispensationis super impedimento publico in casibus occultis ad normam can. 1045, § 3. — Unde canonicum effugium in huiusmodi casibus esset dispensationis concessae per parochum vel sacerdotem fidem facientes in eorum ministerii exercitio delatio ad Ordinarium loci, qui iudicans casum sub ipsius facultate vi can. 1045, § 1 fuisse

comprehensum, eamdem concedens dispensationem pro foro externo, iubebit ut « ea adnotetur in libro matrimoniorum » ad normam can. 1046.

442. **Sequentium canonum norma communis.** — Dum de S. Poenitentiariae rescriptis mentio facta est in praec. canone, sapienter digerenti Codicem cum eius plena cognitione ac transituro ad facultates Ordinariorum delegatas, logica fuit recordatio, quam aliis innuere non dubitavit per *can. 1048. Si petitio dispensationis* iuxta inscriptionem huius capitis *ad Sanctam Sedem missa sit* in proprii fidelium iuris usu, vel ex facultatis propriae oblivione aut ignorantia, *Ordinarii locorum suis facultatibus* ad eam dispensationem elargiendam, *si quas habeant* delegatas, nam de ordinariis non est locus canonis praescripto, ut ipsa haec conditionalis clausula etiam innuit, secus esset inutilis, a) *ne utantur,* et hoc iussum est, b) *nisi ad normam can. 204,* § 2, qui tamen respicit ordinariam quoque potestatem, scilicet: « ex gravi urgentique causa: et in hoc casu statim Superiorem de re moneant ».

443. **Normae ad interpretationem indulti generalis dispensandi.** — Quia praeter concessas Ordinariis potestates vi can. 1043, 1045, alias hi solent obtinere, vel plures simul, vel singuli a SS. Romanis Congregationibus et a S. Poenitentiaria, normae ad recte utendum ipsis collectae sunt in sequentibus. Ac primum de ipsarum interpretatione statuit *can. 1049.* § 1. *In matrimoniis* a) *sive contractis* equidem invalide ac convalidandis, b) *sive contrahendis* dum impedimentum obstat, *qui,* sive loci Ordinarius pro foro interno aut externo, sive confessarius pro foro interno sacramentali, *gaudet indulto* a) *generali* scilicet: facultate ad tempus, ad certum numerum casuum, etc. ad normam can. 1051, *dispensandi* b) *super certo quodam impedimento,* idest: determinatae speciei, v. gr. consanguinitatis, affinitatis, *potest* valide ac licite, cum limitatione: c) *nisi in ipso indulto,* cuius tenor inspiciendus et accurate servandus est, *aliud* diversum vel contrarium respectu seq^{a}. praescripti, attamen *expresse* in verbis eius implicite saltem *praescribatur* faciendum, etsi non ad validitatem; ac sequitur praefatae potestatis obiectum: *super eo* supple « certo impedimento » antea explicato *dispensare, etiamsi idem impedimentum* sic declaratum *multiplex sit,* v. gr. consanguinitatis impedimentum « quoties communis stipes multiplicatur », (can. 1076, § 2), affinitatis ad normam can. 1077, § 2.

S. Congr. Inq^s. in Coimbat.[1] decrevit: « Prohibitionem concedendi absque speciali facultate dispensationes, quando in una eademque persona plura concurrant impedimenta matrimonialia, non extendi ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurrit impedimentum occultum seu fori interni ». Illam prohibitionem pluribus decretis firmatam omnino aufert § 2. *Qui,* ut supra expositum est, *habet* Sanctae Sedis *indultum generale,* idest: gratiosam facultatem vel ad certum numerum casuum vel habitualem ad tempus pro casibus futuris, *dispensandi* fortassis ex diversis illius articulis *super pluribus diversae speciei* disgnoscendae ob diversos canones agentes de illis *impedimentis* matrimonii a) *sive dirimentibus* sub capite seq. IV, b) *sive impedientibus* sub capite III, *potest* vi huius canonis simul ac indulti *dispensare super iisdem impedimentis* supradictis ac indulto comprehensis, *etiam publicis* ad normam can. 1037 omnibus dispensandis, nam cumulatio dispensationis impedimentorum occulti ac publici iam vigebat, ut constat ex cit. S. C. Inq. Dec^o., sed tota vis concessionis est: *in uno eodemque casu occurrentibus,* seu datur amplissima facultatum cumulatio impedimenta dispensandi, nec addit canon clausulam praec. §^1, unde innuit esse huic canoni conformandas facultatum habitualium formulas. Imo dicens: « etiam publicis » asserit implicite idipsum vigere quoad occulta impedimenta sic concurrentia in casu, et occulta simul cum publicis ut in iure praec., ac proinde facultas proveniens ex diversis tum Congregationibus ac S. Poenitentiaria tum earum pagellis sic erit interpretanda.

444. **Facultatis usus.** — Dum in praec^1. can. largiter attributa est dispensationes cumulandi potestas in eodem Ordinario, nonnisi cum restrictione permittitur, quando in Ordinario tum derivata tum altera Sedis Aplcae. propria in usu simultaneo considerantur. *Can. 1050. Si quando* a) *cum impedimento,* « etiamsi multiplex sit » (§ 1 praec.), *seu* « diversae speciei » (ib. § 2) *impedimentis* b) *publicis* ad normam can. 1037, ergo non viget hic canon de occultis, c) *super quibus ex indulto dispensare quis* declaratus initio can^s. praec^s. *potest, d) concurrat* « in uno eodemque casu », ut in can^s. praec^s. § 2, *aliud impedimentum* etiam occultum atque unicum, nam locutio generalis est, dummodo sit tale, *super quo dispensare*

[1] 31 Martii 1872.

nequeat, praescriptum est: *pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet,* ut videtur, ad hoc quod aequius dispensationis concessio vel denegatio iudicetur in casu, attamen contrarium dispensandi « actum esse nullum expresse vel aequivalenter non statuitur ». — Videtur implicite confirmari Curiae Romanae stylum ceteroquin vigentem post Codicem ad normam can. 243, § 2, nempe: ut concurrentibus impedimentis, quorum dispensatio una est per S. Congregationem atque alia per S. Poenitentiariam elargienda, primo illa expostuletur pro foro externo, reticito occulto fori interni impedimento, quod postea cum omnibus casus circumstantiis, sed modo in illo Tribunali usitato, est S. Poenitentiariae proponendum, addendo fuisse alterius impedimenti dispensationem pro foro externo obtentam.

Prohibitioni usus facultatis dispensandi per Ordinarium subiicitur exceptio: *si tamen* a) *impedimentum* b) *seu impedimenta,* ut supra declarata fuerunt, *super quibus dispensare* « quis », ut antea, *potest, comperiantur* non prius, quia tunc servanda esset praecedens norma, etsi iam porrectae fuerint preces Apostolicae Sedi, sed *post impetratam,* expedito vel tantum signato rescripto, quamvis nondum recepto nec exequuto, *a Sancta Sede* iuxta can. 7 *dispensationem, suis facultatibus* obtentis « ex indulto » ut supra *uti poterit* valide ac omnino licite, dummodo « dispensetur cum iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur » in casu erga quem intervenit alia S. Sedis dispensatio, ad normam can. 84, ubi sunt aliae clausulae ponderandae in praxi.

445. **Amplitudo implicita indulti generalis.** — S. Congregationi de disciplina Sacramentorum sequens dubium propositum fuit [1]: « an, iuxta tenorem formularum sacrae Congr^s. de disciplina Sacramentorum, in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis inhonestis intelligi debeat tacite concessa Ordinario etiam facultas declarandi legitimam prolem susceptam ante executionem dispensationis et celebrationem matrimonii. — Eadem S. Congr., re mature perpensa, respondere censuit: Negative, sed requiri ut prolis legitimatio ab oratoribus petatur eaque in rescripto concedatur ».

Hanc responsionem salvam voluit, extensamque ut in iure praec. ad alia Curiae Romanae dicasteria vi adiunctae ut infra exceptionis,

[1] 29 Ian. 1909, CO. I, 214.

can. 1051. Per dispensationem super impedimento dirimente, scilicet: ex recensitis sub cap. IV sequenti, non super impedimento impediente, *concessam* a) *sive ex potestate ordinaria,* nempe: « iure communi » (can 1040) canonum 1043-1045 iuxta ea quae diximus in eorum interpretatione, quae hinc confirmantur et « quae facultas valet quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti » (can. 1045, § 2), b) *sive ex potestate delegata* seu commissa personae v. gr. « sacerdoti » ac « confessario » ex can. 1044, 1045, sub conditione: *per indultum generale,* verba explicata in can. 1049, et quae hic explicationem ampliorem postulant, ita ut exempla de sacerdote ac confessario comprehendantur, quamvis hi iure communi illam obtineant, quia « indultum generale » hoc in loco non respicit eiusdem immediatam originem, sed contradistinguitur clausulae sequenti: *non vero per rescriptum in casibus particularibus,* etiam « delegata iurisdictione » quando « in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur » (can. 54, § 2), hinc pari ratione ad normam cit^ae^. declarationis S. Congi^s^. « si in rescripto committatur merum exequutionis ministerium » (ib. § 1): atque canonis praesentis norma est: *conceditur quoque eo ipso* idest: implicite per dispensationem concessam, ast vi huius canonis, *legitimatio prolis* de qua est infra « Caput IX: De matrimonii effectibus », *si qua* supple « proles » *ex iis* viro simul ac muliere *cum quibus dispensatur* ad contrahendum matrimonium, vel contractum convalidandum, a) *iam nata* momento dispensationis concessae b) *vel* solummodo *concepta fuerit* ante illud momentum, c) *excepta tamen* a) prole *adulterina* nempe: concepta ob tale peccatum, dum saltem alterutra « ex iis » personis erat alio vinculo matrimonii ligata. b) *et sacrilega,* eo quod fuit suscepta, dum alterutra « ex iis » personis nunc dispensatis erat adhuc vi professionis religiosae voto castitatis sollemni aut simplici irritante matrimonium obstricta, vel vir clericus in sacris, nondum ad statum laicalem reductus ac insuper coelibatus obligatione solutus ad normam can. 213, in §° 2°, quae exceptio duplex congruit cum canone 1116, ut effectus matrimonii « per dispensationem » hanc contracti sit minor quam « per subsequens parentum matrimonium, dummodo parentes habiles extiterint ad illud inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis vel nativitatis », ac praeter hoc, ut Codex in iuris divini ac religionis honorem iuxta praecedentem disciplinam severior in hac parte se ostendat.

446. **Dispensationum validitas non obstante rescripti vitio.** — Prosequuntur canones duo de dispensationis amplitudine implicita ex iure, prius quoad rescripta in genere, postea circa rescripta S. Sedis. *Can. 1052. Dispensatio* « seu legis in casu speciali relaxatio » (can. 80) unica, si unius legis, multiplex, si multiplicis, *ab impedimento* unius speciei fortassis multiplicato (can. 1076, 1077), nempe: « quod graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur » (can. 1036, § 2), a) *consanguinitatis* b) *vel affinitatis*, nempe: orto ex honesta causa, minime vero « ab impedimento publicae honestatis » (can. 1078) ut plurimum ex causa inhonesta proveniente, *concessa* « sive ex potestate ordinaria sive ex potestate delegata per indultum generale, sive per rescriptum in casibus particularibus » (can. 1051), etiam ab Ordinariis locorum mere exequutum, canon enim nihil distinguit, *in aliquo impedimenti gradu* respective consanguinitatis vel affinitatis, *valet*, nempe: ad auferendum illud prout existit impedimentum, ob favorem matrimonii a legislatore intentum, I° *licet* seu non obstante quod a) *in petitione*, igitur ex parte oratorum vel scribentis preces, b) *vel in concessione*, ergo ex parte concedentis vel exarantis rescriptum, *error* tantummodo *circa gradum* « revera existentem » *irrepserit*, quod verbum connotat bonam fidem in errante, atque per hunc derogatur can.[1] 40 « in omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: *Si preces veritate nitantur* », ad normam reg. iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur »; attamen *dummodo gradus ille revera existens sit inferior* idest minoris consanguinitatis vel affinitatis, sicut gradus simplex est inferior quam eiusdem mixto propinquiori, II° *aut licet reticitum fuerit*, hoc est: cum supposita derogatione can. 42 quoad exceptionem in illo insertam: « dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda », innuente canone exprimendum fuisse *aliud impedimentum* seu multiplicitatem impedimenti *a*) consanguinitatis aut *b*) affinitatis, nam additur: a) *eiusdem speciei* ac expressum in rescripto, sed b) *in aequali* ac expressus *vel inferiore gradu* quam ille qui expressus fuit, et interpretandum est verbum « inferior » pari modo ac supra declaratum est.

447. **Amplitudo implicita quorumdam S. Sedis rescriptorum.** — Per Dec.[m] S. Congr.[s] de disciplina Sacramentorum [1] « Pius

[1] 3 Iun. 1912, CO. IV, 403.

PP. X (ob id quod non raro accidebat) ne matrimonia periculo nullitatis exponantur, statuit ut in posterum dispensatio ab impedimento proveniente ex adulterio cum attentatione matrimonii concessa censeatur per datam a S. Sede dispensationem super matrimonio rato et non consummato, sive permissionem transitus ad alias nuptias.

Quoad praeteritum vero eadem Sanctitas sua matrimonia, quae forte ex hoc capite invalide inita fuerint, revalidare et sanare dignata est ». — Huius Decreti statutum ad normam Codicis exactum refert *can. 1053. Data a Sancta Sede*, utpote unica ad hoc ipsum competente, a) *dispensatio super matrimonio rato et non consummato* per S. Congr. de disciplina Sacramentorum cognoscentem « de facto inconsummationis matrimonii et de existentia causarum ad dispensationem concedendam » ad normam can. 249, § 3, b) *vel facta permissio transitus ad alias nuptias*, declarans id ipsum licere *ob praesumptam coniugis mortem* necessariam iure divino ut aliae nuptiae superviventis valeant, alterutra concessio 1° *secumfert* implicite vi huius canonis a Dec.[1] citati tempore, *semper* idest: in quibuscumque casus circumstantiis, *dispensationem* ipso prioris dispensationis aut permissionis facto, quae liberat personam *ab impedimento* inter ipsam et aliam *proveniente* a) *ex adulterio* simul iuxta interpretationem can.[s] citandi futuram b) *cum promissione vel attentatione matrimonii*, hac « etiam per civilem actum tantum », uno verbo « dispensationem ab impedimento » criminis neutro patrante coniugicidium, seu ad normam can. 1075, n. 1. Quod crimen cum non semper existat, propterea de hac implicita dispensatione cavet canon: *si qua opus sit;* attamen haec impedimenti relaxatio iure sustinetur, quamvis personae illae non intendant contrahere inter se. Additur expresse quod Decretum cit. non edixit: II° *minime vero* alterutra praedicta concessio « secumfert » *dispensationem ab impedimento* inter personam eamdem et aliam quamcumque, *de quo in can. 1075, nn. 2, 3* scilicet: criminis alterutro adultero vel utroque patrante coniugicidium.

448. **Rescriptorum S. Sedis validitas non obstante illorum vitio.** — In normis peculiaribus [1] (cap. VII Art. III n.° 21°) legitur: « Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis.* Sic ergo concessae

[1] Ordo servandus in Romana Curia. CO. I, 91.

perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis ». Haec norma in eius priore parte adhuc servanda est in Congregatione de disciplina Sacramentorum secundum can. 243, § 1, secunda vero pars continetur sub *can. 1054. Dispensatio a minore impedimento* scilicet: « minoris gradus » uno ex enumeratis in can. 1042, § 2, *concessa* ex rescripto S. Sedis, *nullo* a) *sive obreptionis* hoc est: expositionis falsi, b) *sive subreptionis* id est: veri reticiti *vitio irritatur*, eo quod iste canon derogat in huiusmodi dispensationibus normae communi can. 40 et 42, *etsi unica causa finalis,* propter quam expressam concessio videretur dari, *in precibus exposita falsa fuerit,* quod vitium gravius est ceteris, nihil referente ob generalem can.[is] locutionem an voluntarie aut ex errore vel simplicitate sic fiat.

449. **De exequutore rescriptorum ad concedendam dispensationem impedimentorum matrimonii.** — Ex Litteris S. Congr.[s] Inquisitionis [1] citatis ad can. 1043, ac earumdem secunda parte est desumptus integer ac iisdem verbis *can. 1055.* Statuitur ibidem « dispensationes matrimoniales omnes (subintelligebatur a SS. Congregationibus) in posterum committendas esse, vel Oratorum Ordinario vel Ordinario loci ». Ac infra decernitur prout in canone: *Dispensationes super publicis impedimentis,* scilicet: pro foro externo in quo illa probari possunt ad normam can. 1037, *Ordinario oratorum*, vel Ordinario loci in genere, *commissas*, quia si Ordinario loci designati committantur, non est opus explicatione canonis huius, *exsequatur* praecise *Ordinarius*, non ut persona, sed ut praeditus officio in loco, proinde ad normam can. 198, § 2, *qui* a) *litteras testimoniales dedit* de oratoribus, commendans forsitan eorum postulationem, b) *vel preces* in eorum nomine *transmisit* directe vel per alios *ad Sedem Apostolicam* sensu explicato in can. 7, « sive sit Ordinarius originis (quod est correctum in canone), sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum », sicut dicitur in citatis S. Congr.[s] litteris, sed pro praxi non obliviscendus est can. 58: « Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio »; et praescriptum canonis quem commentamur urget, *etiamsi sponsi quo*

[1] 20 Febr. 1888.

tempore exsecutioni danda est dispensatio, a) *relicto illius dioecesis*, nempe: « Ordinarii » de quo supra, *domicilio aut quasi-domicilio*, quod alterutrum implicite asseritur sponsorum saltem unum habuisse, sive parochiale sive dioecesanum, b) *in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri* ad priorem, sicut requiritur ad amittendum iure illud.

Hucusque de rescripti exsequutione; praeceptum autem adiungitur, si casus ferat, observandum, non iam « si id expedire iudicaverit » Ordinarius rescriptum exsequens, ut legebatur in cit.s litt.s, *monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt* ab impedimento per tale rescriptum dispensati, quandocumque ille locus ab exsequentis loco diversus sit. — Finis litterarum S. Congr.s erat: « Et demum, Ordinario praedicto fas est, si ita quoque expedire iudicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim, in cuius dioecesi sponsi actu degunt ». Haec sunt omissa, eo quod amplior est libertas quoad hanc delegationem attributa ex norma generali can.s 57, § 1. « Rescriptorum (quorumcumque) exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita ».

450. **De dispensationibus matrimonialibus gratis concedendis.** — Conc. Trid. [1] decrevit: « In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur ». Et hoc ultimum necesse est propter dispensationis naturam, quia est actus spiritualis iurisdictionis, ac « studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem est simonia iuris divini » (can. 727, § 1). Vidimus etiam quod « non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito » (can. 730). Haec igitur quantum valeat, et iustus canone titulus respectu dispensationum matrimonialium de quibus in hoc Capite, ostenditur in *can. 1056*. *Excepta*, ut licita omnino, a) *modica*, ut quo magis restricta fuerit, plus accedat legislatoris voluntati, *aliqua praestatione*, veluti libenter ob parvitatem solvenda, b) *ex titulo* hic recognito, seu ratione *expensarum cancellariae*, nempe ut suffragetur eis, non ad aequalitatem

[1] Cap. 5 sess. XXIV. De reformatione matrimonii.

huic singulari dispensationi computandarum, c) *in dispensationibus* ex ordinaria vel qualibet delegata potestate, vel rescriptorum executione, d) *pro non pauperibus* secundum praecedentis iuris interpretationes Doctorum, nempe: pro his qui non vivunt praecise ac parciter ex quotidiano proprio labore; ac subiungitur praedictae exceptioni norma huius canonis: *locorum* a) *Ordinarii* (can. 198, § 2) b) *eorumve officiales* Curiae inter eos qui recensentur in can. 363, § 2, addita incidenti maximi momenti clausula: *reprobata quavis contraria consuetudine*, cum « iuri divino nulla consuetudo possit aliquatenus derogare » (can. 27, § 1), et ob clausulam illam « non sit rationabilis » (ib., § 2), imo de praecedentibus Codicem: « tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere » (can. 5), singuli ergo praedictorum unquam *nequeunt* a) *occasione concessae dispensationis*, quando posset « non haberi simonia » (can. 730), b) *emolumentum ullum*, quod eis temporaliter prosit ac pretio aestimabile, *exigere*, non autem prohibetur eis sponte oblatum recipere, c) *nisi haec facultas a Sancta Sede*, e qua canones emanant, *expresse eis*, uti recognoscente ob circumstantias titulum, *data fuerit*, aut speciali rescripto, aut ex « praefinitione taxarum pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae, quae prius a Sede Apostolica approbata fuerit » (can. 1507, § 1): et hic canon determinat « opus adaequatum alteri », seu iustum positivum, quod est obiectum virtutis iustitiae commutativae, cuius laesio secumfert restitutionis onus, propterea monens edicit canon in fine: *et si exegerint* contra praescriptum hoc, *tenentur* ad emolumenti cuiuscumque sic exacti *restitutionem* in conscientia et in foro Ecclesiae.

451. **Exprimenda in dispensationibus potestas delegata.** — Ut res fori externi constet fieri legitime, ac dubia de dispensationum valore pro quolibet foro praecaveantur, optimo consilio est conditus *can. 1057. Qui* a) *ex potestate a Sede Apostolica* ad normam can. 7, ac proinde non comprehensis sacerdote ac confessario, dum hi potestatem exerceant vi can. 1044, 1045, nec idem praescribitur circa potestatem ab inferiore Superiore ecclesiastico commissam, b) *delegata* vel per indultum generale, vel per rescriptum in casu particulari, secus qui ex potestate ordinaria, *dispensationem* de qua in hoc Capite tractatur *concedunt*, *in eadem* dispensatione

verbotenus vel scripto facienda *expressam pontificii indulti*, scilicet: gratiosae concessionis potestatis ab auctoritate Summi Pontificis, v. gr. potestate mihi hoc rescripto vel a S. Congregatione commissa, vel aliis verbis quae implicite concessionem sibi factam innuant, etsi non plene ex data et circumstantiis determinetur ea potestas, quapropter dicitur: *mentionem faciant*. Nec tamen omissio huius mentionis quidquam officeret dispensationis validitati ad normam can. 11.

CAPUT. III.

De impedimentis impedientibus.

CAN. 1058. - § 1. Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum.

§ 2. Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit.

CAN. 1059. - In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est.

CAN. 1060. - Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur.

CAN. 1061. - § 1. Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi:

1.° Urgeant iustae ac graves causae;

2.° Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;

3.° Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento.

§ 2. Cautiones regulariter in scriptis exigantur.

CAN. 1062. - Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi.

CAN. 1063. - § 1. Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.

§ 2. Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario.

§ 3. Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia.

CAN. 1064. - Ordinarii aliique animarum pastores:

1.° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant;

2.° Si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur;

3.° Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant;

4.° Assistentes matrimonio servent praescriptum can. 1102.

CAN. 1065. - § 1. Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt.

§ 2. Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui,

inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis.

Can. 1066. - Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium.

452. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Deinde considerandum est *Caput II* inscriptum *De impedimentis* in specie, videlicet: *impedientibus,* hoc est: de prohibitionibus canone vigentibus quae matrimonia directe reddunt illicita ratione personarum qua ineuntium contractum canonicum matrimonii, qui simul est sacramentum, et hinc requirens in subiecto-ministro alias dispositiones, quarum defectus utpote communium pro aliis vivorum sacramentis nequeunt proprie vocari matrimonii impedimenta. — Unde ab hoc numero in Codice expunguntur tum sponsalia, quae in conscientia urgeant, quia sponsalium causa non viget canonis prohibitio, tum tempus feriatum, quia prohibitio ipsius causa vigens non respicit directe personas, tum censurae aut crimina, quia his non tantum sacramentum matrimonii sed alia vetantur recipi et administrari. Propterea manent solummodo tria impedimenta impedientia, nempe: votum simplex, unumquodque ex recensitis in can. 1058, « legalis cognatio ex adoptione orta », quam efficit impedimentum impediens can. 1059, et « impedimentum mixtae religionis » de quo dantur can. 1060-1064, cum quo impedimento similitudinem habent duae aliae matrimoniorum prohibitiones moderatae, quas continent canones 1065, 1066.

453. **Impedimentum voti simplicis.** — Ius divinum est [1]: « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio. Sed quodcumque voveris redde ». Iure igitur divino sed conditionato, idest: ob suppositum liberum actum voventis, viget, quod edicit ac firmat *can. 1058.* § 1. *Matrimonium impedit votum* perdurans in sua obligatione, « idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore » (can. 1037, § 1), *simplex*, nempe: sic emissum quod « ab Ecclesia uti sollemne non fuerit agnitum » (can. 1308, § 2), sive fuerit « publicum » sive « privatum » ad normam can. 1308, § 1, a) *virgini-*

[1] Ecclesiastae, V, 3.

tatis stricte sumptae pro carnis integritate, quia secundum Hieronymum [1]: « virginitatem voventibus non solum nubere, sed velle nubere damnabile est », quia « matrimonii finis primarius est procreatio » (can. 1013, § 1) virginitati opposita, b) *castitatis perfectae,* etiam ad tempus, eoque perdurante, quae tum virginitatem, si non fuerit praevie amissa, tum actus matrimonialis abstinentiam includit, c) *non nubendi* votum directe oppositum matrimoniali contractui, d) *suscipiendi ordines sacros,* ut patet in viro, quia « sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus » (can. 968, § 1), et ratio impedimenti est incompatibilitas iuridica ad normam can. 987, 2° matrimonialis status per contractum assumpti cum ordinis sacri susceptione promissa, demum e) *et amplectendi statum religiosum* ad quem amplectendum inhabilis fit ob matrimonialem contractum « coniux, durante matrimonio » (can. 542, 1°).

Si autem contra votum iniretur contractus matrimonialis, duo posteriora vota suspenduntur vinculo matrimonii perdurante, sicut et votum non nubendi, imo et hoc cessat omnino si matrimonium qua primum excludebat. Quoad duo priora vota, dum non dispensentur vel commutentur, servanda est doctrina D. Thomae [2]: « quod ille qui contrahit matrimonium per verba de praesenti post votum simplex non potest cognoscere uxorem suam sine peccato mortali, quia adhuc restat ipsi facultas implendi votum continentiae ante matrimonium consummatum. Sed postquam matrimonium consummatum est, est ei iam factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, tamen ex culpa sua. Et ideo ad hoc obligatio voti non se extendit, ut ex praedictis patet. Tamen debet per lamentum poenitentiae recompensare pro continentia non servata ». Tuncque cessat virginitatis votum. Quoad alterum vero non dispensatum, nec commutatum, D. Thomae est vera doctrina [3]: « quod quantum ad ea in quibus non est factus impotens votum continentiae servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum: propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere. Et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest petere debitum sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti (saltem interpretative), postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem ».

Alexander III papa dicit [4]: « simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit iam contractum ». Id confirmat hoc modo § 2. *Nullum* ex dictis *votum simplex irritat matrimonium,* quod illo vigente celebretur aliunde validum, salva exceptione:

[1] August., De bono viduit. cap. 9. — [2] Suppl. q. LIII, a. 1 ad 3m. — [3] Loc. cit. ad 4m. — [4] Cap. « Consuluit » 4 tit. 6 « Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt » Lib. III.

nisi a) *irritatio* matrimonii post votum ex illis aliquod b) *speciali* (non communis iuris) *Sedis Apostolicae* ad normam can. 7 *praescripto* respectu saltem voventium, nam respectu religionis illa irritatio secumferre potest vim privilegii, c) *pro aliquibus* sic voventibus, ut dictum est, *statuta fuerit*. Exemplum est votum perpetuae castitatis non sollemne in Societate Iesu quoad scholasticos.

Ratio theologica huius §[1] secundum D. Thomae doctrinam sequens est [1]: « per hoc res aliqua desinit esse in potestate alicuius per quod transit in dominium alterius. Promissio autem alicuius rei non transfert eam in dominium eius cui promittitur. Et ideo non ex hoc ipso quod aliquis rem promittit aliquam, desinit res illa esse in potestate sua. Cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta, post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis: et ideo potest ipsum alteri dare, scilicet uxori, in qua datione sacramentum matrimonii consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc votum simplex, quamvis impediat matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiae; tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi ».

454. **Impedimentum cognationis legalis ex adoptione.** — Ecclesia Christi sponsa, qui Deus pacis est, hanc curat pro posse cum potestate civili servare atque illam in fidelibus custodire, qui utriusque potestatis legislationi subduntur. Cum ergo cognatio legalis, ut dirimens impedimentum, inducta fuisset in Decretalium ius ex Romanorum iure, a quo dissonant hodiernae legislationes de adoptione, quae fundamentum est illius cognationis, fuit inter Doctores quaestio enata de vi huius adoptionis ad producendum impedimentum illud. Hanc igitur quaestionem dissolvit, pacem illam reddens sub hoc respectu stabilem *can. 1059. In iis regionibus,* quarum singularum codices vel iuris periti consulendi sunt opportune ab earum canonistis, *ubi lege civili* pro tempore forsan abroganda, sed dum vigeat, etsi post Codicem Iur. can. promulganda, v. gr. art. 60 cod. civ. ital., *legalis cognatio,* seu « propinquitas personarum lege inducta », eo quod fundamentum eius naturale non est, utpote *ex adoptione* alicuius in filium vel nepotem ad similitudinem et forsan in supplementum filiorum legitimorum *orta, nuptias reddit solummodo illicitas* ob earum prohibitionem dictam, *iure quoque canonico* statuente per hunc canonem impedimentum cognationis legalis

[1] Suppl. q. LIII a. 1, c.

pro eisdem regionibus impediens *matrimonium,* quod illo «iure» regitur, et eodem tantum «iure» *illicitum est,* atque inter eas personas solummodo ac sub illis conditionibus, quas lex supradicta civilis enuntiet.

455. **Impedimentum mixtae religionis.** — Huius impedimenti notionem edicit can. 1060, sub quibus tantum circumstantiis dispensetur, notificat can. 1061, subdente can. 1062 obligationem partis catholicae. Obligationes coniugibus animarumque pastoribus impositae harum mixtarum nuptiarum ratione in can. 1063, 1064 statuuntur. *Can. 1060. Severissime Ecclesia,* ut eius repugnantia innotescat, non obstantibus dispensationibus, quas elargire cogitur, *ubique,* quamvis aliter matrimonia suorum subditorum fieri non possent, illudque verbum in memoriam revocat decretum Congr. S. Officii an. 1871 ad Episcopum Corcyrensem: « quamobrem etsi iamdiu uti affirmas, opinio istic inoleverit licite posse mixtas inire nuptias absque S. Apostolicae dispensatione, haec tamen opinio, qualibet non obstante consuetudine, tolerari nequit, uti expresse docet s. m. Bened. XIV », *prohibet,* ac ita impedimentum constituit vi iuris ecclesiastici impediens, *ne matrimonium,* quod certo est sacramentum, *ineatur inter duas personas* iure quoque canonico habiles ad illud, sicut inter a) *baptizatas* requiritur, *quarum altera,* vir aut mulier b) *sit catholica,* eo quod hanc profitetur ecclesiam, *altera vero,* mulier aut vir non solum sit acatholica sed c) *sectae* idest: hominum coadunationi cum externo vinculo *haereticae* propter unum saltem errorem contra fidem, quem profitetur, *seu schismaticae* propter voluntariam seiunctionem, quam tenet a suprema Ecclesiae potestate illiusve membris, *adscripta,* quod verbum significat dare nomen ut inter asseclas inscribatur, sed parum refert an hoc fiat verbis aut factis: imo factum adscriptionis consideratur solummodo, cui est indifferens an propria vel aliena voluntate fuerit positum, v. gr. infantis baptismus in aliqua secta, et adscriptio maneret quamdiu non retractetur per conversionem.

Sic est nunc intelligendum quod stricte vocatur mixtae religionis impedimentum, quas nuptias « Catholica Ecclesia semper improbavit, ac tanquam illicitas, planeque perniciosas habuit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem ». Ita

in Instructione Card. Antonelli Secretarii Status Pii IX [1]. Hisque addendum quod verissime ait Leo XIII in Epist. encycl. « Arcanum »: huiusmodi coniugia « persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine » [2]. Propterea subiungit canon: *quod si adsit perversionis periculum,* quod remotum fieri ob circumstantias nequeat, *coniugis catholici et prolis* suscipiendae in eo matrimonio, *coniugium* mixtae religionis, seu consuetudo inter coniuges atque ipsius causa contractus matrimonialis, *ipsa etiam lege divina*, ut patet, *vetatur*, et ipsa Ecclesia tunc dispensare non potest.

456. **Conditiones dispensationis huius impedimenti.** — Praecedens canon et sequentes desumpti sunt ex cit.ª Instructione ad omnes locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia, ubi legitur: quod « si Apostolica Sedes de canonum severitate aliquid remittens, mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit », quod adhuc servat, dum edicit *can. 1061.* § 1. *Ecclesia,* proinde Praelati quoque infra Romanum Pontificem servent idipsum, *super impedimento mixtae religionis* determinato in §° 1° *non dispensat,* de facto, etiamsi lex divina non prohiberet illud in casu, *nisi: — 1.° Urgeant*, eo quod aliter nequeant moraliter saltem removeri a) *iustae* i. e. hanc dispensationem exposcentes, b) *ac graves* in seipsis *causae*, v. gr. quod mulier alium paris conditionis virum invenire nequeat, vel ad hoc in longinquam regionem transire deberet, atque ipsae pertinent ad dispensationis per Sedem Apostolicam concedendae liceitatem.

Citata Instructio suprapositis verbis subiunxit: « et non (permisit) nisi sub expressa semper conditione (in dispensationibus) de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum a) catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo b) catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum: verum etiam, c) ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in Sanctitate Catholicae Religionis educari omnino deberet ». Ex dictis ergo, remissa in seq.m canonem catholici coniugis obligatione, conditionem dispensationis ab hoc impedimento quoad primam et tertiam partem

[1] 15 Nov. 1858. — [2] 10 Febr. 1860.

sic paulo mutatam inseruit canon sub n.° 2.° *Cautionem*, id est: pignus non re sed promissione firma, a) *praestiterit* de facto ante dispensationem b) *coniux acatholicus* unicus in hoc matrimonio iuxta praec. §^{m} interveniens, et a quo timeri posset periculum removendum, c) *de amovendo*, non tantum ex parte sui, sed quantum ab ipso pendeat ex parte aliorum, *a coniuge catholico* quidquid respectu religionis induceret perversionem, nempe: *perversionis periculo*, *et* supple « cautionem a) praestiterit » b) *uterque coniux*, scilicet: ut catholicus in futurum promissione quoque retineatur in propria obligatione, c) *de universa prole*, non tantum eiusdem sexus ac coniugis catholici, ut alicubi statuit lex civilis, nec aliqua tantum sed quaelibet « ex mixtis hisce matrimoniis procreanda » (cit. Instr.), d) *catholice tantum*, id est: absque alia conditione seu mixtione, quod exprimit positivum modum, seu in Ecclesia catholica, a) *baptizanda*, b) *et educanda* secundum quod Ecclesiae catholicae canones praescribunt.

« Quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt ». Quapropter adhuc in dispensante requiritur: 3.° *Moralis habeatur*, quantum res patitur in futurum adimplenda ex voluntatis praesentis firmitate, *certitudo* prudenter ex circumstantiis desumenda, praesertim de acatholici honestate ac sinceritate, cuius certitudinis obiectum est: *de cautionum implemento*, non iam de praesenti vera promissione, quam tamen includit.

Lucem afferunt praec.[1] §° ac sequenti verba S. C. Inq. ad Primatem Hungariae [1]: « Aplca. Sedes semper constanterque retinuit atque retinet nullimode in vetito mixtae religionis fas esse dispensare, nisi singulis in casibus praeter causas canonicas simul concurrant tres conditiones sequentes: 1ª ut partes et praesertim haeretica veras cautiones praestiterint, quibus se coram Ecclesia obligant ad ea, quae ab iisdem ipsa Ecclesia exigit...; 2ª ut Superior ecclesiasticus moralem certitudinem habeat sive de cautionum sinceritate de praesenti sive de earum adimplendo de futuro; 3ª ut

[1] 29 Iulii 1880.

cautionum exhibitio notoria sit vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum ». — Quoad formam exhibitionis cautionum non extabat iure communi maior determinatio, sed Doctores exigebant eam scriptam et aliquando iuratam, ita ut simplicem promissionem raro propter speciales circumstantias in acatholico admitterent, facilius autem in catholico. Nunc standum est § 2. *Cautiones regulariter*, quod adverbium permittit sequi Doctorum praefatam doctrinam in casibus, alias *in scriptis exigantur* ab eo qui dispensare debet. Sed iuxta relatam S. Congr.is instr.m quando verbales sint, coram testibus fiant, et quandoque extraordinarie ad certitudinem obtinendam posset iuramentum exigi, etsi canone non sit unquam praescriptum.

457. **Catholici obligatio respectu alterius coniugis in matrimonio mixto.** — Etsi cautio specialis de hac non exigatur, tamen confirmat illam divini iuris *can. 1062. Coniux catholicus*, in quibuscumque coniugiis ubi accidat quod sequitur, *obligatione* caritatis, quia « unicuique mandavit Deus de proximo suo », *conversionem* ad Ecclesiam catholicam ab haeresi vel schismate *coniugis acatholici*, qui facit matrimonium mixtum, *prudenter* quoad media adhibenda et opportunitatem quaerendam, modumque servandum, id est: illuminato zelo *curandi*, prout « vera caritas Christi urget nos ».

458. **Vetitum servandum in matrimonii mixti celebratione.** — Bened. XIV fuse exponit mixtum coniugium vetari catholicis « ob flagitiosam in sacris communicationem cum haereticis », quod Leo XIII relatis verbis innuit, aliique SS. Pontifices una voce repetunt. Sane ex una parte nemo ignorat, catholicis etiam post Const. « Ad evitanda » Martini V et ex Codicis can. 1258, § 1 nefas esse cum haereticis communicare in rebus sacris et divinis, ex alia autem parte in matrimonio mixto haec communicatio necessario habetur, quia matrimonium contrahere cum haeretico vel schismatico baptizatis idem est ac unum idemque sacramentum cum eodem conficere. Attamen communicatio in divinis cum haereticis vel includit haeresi adhaesionem, et tunc eodem iure inhibetur quo haeresis, vel non includit haeresi adhaesionem, ut per se in casu nostro, et tunc prohibetur tum iure naturali propter perversionis periculum, tum illo cessante si periculum remotum fiat, ac semper iure ecclesiastico.

Optimo igitur iure retenta est prohibitio in *can. 1063* apponi solita per S.^m^ Congr.^m^ Inquisitionis dispensationum rescriptis ad mixta contrahenda matrimonia. § 1. *Etsi ab Ecclesia*, scilicet: ab Apostolica Sede vel ex eius delegata derivatave iurisdictione, *obtenta sit dispensatio*, quae non pendet ab huius praescripti observantia, *super impedimento mixtae religionis* proprie sic vocato, quae appellatio in posterum erit huiusmodi impedimenti peculiaris, *coniuges nequeunt*, hi nempe prohibentur, a) *vel ante vel post matrimonium*, quia huius celebratio ad vetitum non refert, *coram Ecclesia initum*, id est: secundum ss. canones de ipsius forma, b) *adire quoque*, quia illud supponitur semper celebrandum propter dispensationem obtentam, c) *sive per se sive per procuratorem*, cum etiam secundum Codicem in hoc vigeat reg. iuris 72 in 6° « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum », d) *ministrum acatholicum* sive non baptizatum sive baptizatum, sed qui extra Ecclesiam catholicam versatur, e) *uti sacris addictum*, eo quod vetitum attentatae communicationis in sacris in hoc §° urgetur quando adiungitur: *ad matrimonialem consensum*, qui per se « matrimonium facit » (can. 1081, § 1), *praestandum*, si hoc praecedat sacramentum, *vel renovandum*, si huic ille subsequatur.

Salva dispensatione obtenta perfecte propter exequutionem fortassis necessariam, servandus est § 2. *Si parochus certe noverit*, nec sufficit suspicio vel probabilitas secundum axioma: « Nemo praesumitur malus, nisi probetur », *sponsos*, proinde catholicum quoque, *hanc legem* §^1^ 1^1^ a) *violaturos esse* « post matrimonium coram Ecclesia » (§° 1°) b) *vel iam violasse* ante illud; supposita illa certitudine ad hoc obligatur: *eorum matrimonio ne assistat*, quae assistentia per se vel per alium ab eo deputatum ad eius validitatem est necessaria, a) *nisi ex gravissimis causis*, v. gr. ex imminenti concubinatu, vel partis catholicae defectione ab Ecclesia, sed illis existentibus adhuc b) *remoto scandalo*, v. gr. per cognitam ab aliis tum poenitentiam partis catholicae, tum factam coram testibus intimationem prohibitionis §^1^ 1^1^, c) *et consulto prius Ordinario*, qui melius causas et scandali remotionem iudicare potest, quatenus res ad forum pertinet externum.

De eo quod implicite habetur in §° 1°, non sine causa propter additam explicationem fuit appositus § 3. *Non improbatur tamen*, seu sub conditionibus est vi huius canonis permissum: *quod* a) *lege*

civili iubente, non spontanea voluntate, b) *coniuges se sistant* per seipsos *etiam* idest: ante vel melius post « matrimonium coram Ecclesia », *coram ministro acatholico*, sic dicto quia extra Ecclesiam catholicam est saltem propter haeresim vel schisma, sacris forsitan addicto, sed c) *officialis civilis tantum munere* ad hunc actum *fungente* d) *idque* coniuges peragant hac sola intentione: *ad actum civilem*, idest: uti cives, *dumtaxat explendum*, ut supponitur *effectuum civilium* obtinendi *gratia* iuxta « competentiam civilis potestatis » recognitam in can. 1016.

459. **Officium Ordinariorum locorum et parochorum quoad matrimonia mixta.** — Bened. XIV in C. « Magnae nobis » [1] tradit illam licentiam celebrandi matrimonia mixta non concedi nisi « hac expressa lege seu conditione adiecta, nimirum abiurata prius haeresi ». Hoc in illud tandem recidit, quod dispensatio ab hoc impedimento non concedebatur. Deinde vero Bened. XIV subdit has licentias sine illa conditione datas fuisse, sed rarissimas; et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos Principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa eaque ad publicum bonum pertinente... Hodie Ecclesia ad maiora mala vitanda, suadente prudentia, faciliorem se praebet in mixtae religionis dispensatione, licet invita hoc faciat, ut patet ex *can. 1064. Ordinarii* « locorum » (can. 198, § 2) *aliique animarum pastores*, seu ut dicitur curam animarum habentes ex officio: — *1.°* *Fideles* laicos utriusque sexus *a mixtis nuptiis* ob praedictum impedimentum, *quantum possunt* iuxta singulorum vires zeli ac prudentiae, *absterreant* publice aut privatim secundum circumstantias, instruendo illos de damnis quae oriuntur ex mixtis nuptiis, tempestive avertendo iuvenes ab amore fovendo erga acatholicos. — Post haec *2.°* *Si eas* supple: mixtas nuptias *impedire non valeant*, adhibitis usquedum prudenter sit faciendum exhortationibus, *omni studio curent*, hoc iam intendentes *ne contra Dei* (proximum incurrentes perversionis periculum) *et Ecclesiae leges* de obtinenda dispensatione et de non adeundo ministro acatholico ad normam praecedentium duorum canonum, *contrahantur*, supple illae nuptiae.

Nec sistit per contractum matrimonialem officium pastorum quoad haec coniugia, nam *3.°* *Mixtis nuptiis celebratis*, licite aut

[1] 29 Iun. 1748.

illicite parum refert, *sive in proprio sive in alieno territorio*, quibus verbis asseritur sequentem obligationem non urgere pastorem loci contractus causa istius, sed illum pastorem cui subdantur in futurum tempore adimplendi obligationes, videlicet: *sedulo invigilent* peculiariter id: *ut coniuges promissiones factas* in obtinenda impedimenti dispensatione ad normam can. 1061, § 1°, n.° 2°, *fideliter* ob promissionis naturam, forsitan etiam ex religionis virtute ob iuramentum, *impleant* modo debito. — Denique propter connexionem etiam in documento Instructionis Card. Antonelli memoratur *4.° Assistens* de facto, sive sit pastor animarum sive sacerdos rite deputatus ad interessendum celebrando *matrimonio, servent praescriptum can. 1102* sub duobus paragraphis, tunc interpretandum.

460. **Officium parochi circa matrimonia, quae mixtis nuptiis similia sunt.** — Teste Card. Monaco La Valetta, Episcopo Ostiensi, S. C. Inq. declaravit: « Matrimonia vero inter unam partem catholicam et alteram, quae fidem abiecit et nulli falsae religioni vel haereticae sectae se adscripsit, impedienda omnino sunt; permitti tamen a Nobis (i. e. ut Ordinario loci) possunt, si prudenter timeatur, ne ex denegata matrimonii assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, dummodo parochus matrimonio passive intersit (quae conditio est in Codice inferius reformata implicite) tanquam testis autorizabilis et cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus conditionibus ». Hanc declarationem additis mutationibus exhibet *can. 1065.* § 1. *Absterreantur quoque,* sicut praescriptum est in praec.ª can.ª n.° 1°, *fideles a matrimonio contrahendo,* non enim minus sed quandoque maius imminet damnorum periculum quam in mixto matrimonio, *cum iis qui* a) *notorie,* ita ut nulla possit tergiversatione celari, b) disiunctive: *aut catholicam fidem abiecerunt*, v. gr. liberi cogitatores, apostatae a fide, *etsi ad sectam acatholicam*, pro impedimento mixtae religionis declaratam tanquam illius essentialem conditionem, *non transierint*, sed remaneant forsitan absque religione, etsi supremum Ens, vel Deum recognoscentes ac profitentes, *aut societatibus* v. gr. massonicis, aliisque *ab Ecclesia damnatis* in specie vel in genere, sed certo iuxta diversa S. Sedis documenta, *adscripti sunt*, eo quod nomen eis dederunt.

Cum autem fideles amore seducti has exhortationes parvipendant, velintque similes contrahere nuptias, cavet § 2. *Parochus*

praedictis nuptiis, etsi non impeditis propter mixtam religionem proprie dictam, *ne assistat*, huic ergo datur prohibitio, ac impedimentum novum non indicitur, *nisi consulto Ordinario*, ac obtenta permissione, de qua subditur: *qui* a) *inspectis omnibus rei adiunctis*, ut prudentia postulat, *ei* nempe: parocho *permittere poterit*, nulla S. Sedis dispensatione requisita, eo quod impedimentum proprie dictum non obest, *ut matrimonio*, idest: « praedictis nuptiis » *assistat* pro eorum validitate per se vel per deputatum, b) *dummodo urgeat gravis causa*, nempe: « si prudenter timeatur, ne ex denegata matrimonii assistentia grave scandalum vel damnum oriatur » ut ait cit. Declaratio S. Congr.ª, vel quid aliud sub clausula comprehensum, simul *et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius* ad quem pertinet concedere permissionem *iudicet* (cuius iudicio deferendum est) c) *satis cautum esse* promissionibus vel aliter *catholicae educationi universae prolis*, nam de baptismo catholice dando constat ad normam can. 750, § 2, 1° d) *et remotioni periculi perversionis*, v. gr. ob personales qualitates acatholici vel societatibus adscripti, respectu *alterius coniugis*, si enim conditiones sub litteris c) ac d) non extarent, ius divinum vetaret hoc matrimonium, nec temeritas erga idem ius deesset, si absque gravi urgente causa iniretur illud matrimonium.

461. **Parochi obligatio in aliis quorumdam matrimoniis.** — Cum matrimonium in fieri sit vivorum sacramentum, et parocho incumbat cura, ut sacramenta in sua parochia rite recipiantur, eum edocet de modo se gerendi respectu matrimonii *can. 1066. Si* a) *publicus peccator*, publice quoque arcendus a sacramentis, b) *aut censura notorie innodatus*, ita ut nulla tergiversatione idipsum celari queat, etiamsi declaratio illius per sententiam non supervenerit, cum per illam a suscipiendis sacramentis quoque prohibeatur, sive excommunicatio sit, sive interdictum personale, *si prius* a) *ad sacramentalem confessionem accedere*, ut a peccato se emundet, obicem matrimonii sacramenti deponens, b) *aut cum Ecclesia reconciliari* per censurae absolutionem *recusaverit*, proinde parvipendens sacramentorum suscipiendorum ecclesiasticam prohibitionem, *parochus eius matrimonio ne assistat*, sic removens illum a patrando sacrilegio. Sed quia de contractu in se naturali agitur, et secumfert denegatio graves sequelas, pravae illius voluntati quandoque concurrere circa effectum licet, seu ut ait canon: *nisi gravis*

urgeat causa, excusans quidem cooperationem necessariam, etsi non formalem quoad voluntatis affectum, *de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium*, quia de re publica ac de sacramento in societatis tum civilis tum religiosae bonum instituto agitur.

CAPUT IV.

De impedimentis dirimentibus.

CAN. 1067. - § 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.

§ 2. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet.

CAN. 1068. - § 1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit.

§ 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.

§ 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit.

CAN. 1069. - § 1. Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei.

§ 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

CAN. 1070. - § 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

CAN. 1071. - Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060-1064 praescripta sunt applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

CAN. 1072. - Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.

CAN. 1073. - Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praeseripto vis addita sit nuptias irritandi.

CAN. 1074. - § 1. Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium.

§ 2. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.

§ 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet.

CAN. 1075. - Valide contrahere nequeunt matrimonium:

1.° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;

2.° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit;

3.° Qui mutua opera physica vel morali etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.

Can. 1076. - § 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.

§ 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguinae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis.

Can. 1077. - § 1. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.

§ 2. Affinitatis impedimentum multiplicatur:

1.° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit;

2.° Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti.

Can. 1078. – Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.

Can. 1079. - Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768.

Can. 1080. - Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere.

Caput IV. De impedimentis dirimentibus

- ratione solius aetatis — Can. 1067
- iure divino
  - naturali — » 1068
  - positivo
    - ac semper — » 1069
    - quoad licéitatem
      - ac non semper — » 1070
      - sub quibus dispensationis conditionibus non urgente — » 1071
- iure ecclesiastico
  - propter voluntarium factum
    - iure divino obligans
      - ordinis sacri cum voto — » 1072
      - voti sollemnis — » 1073
    - illicitum
      - raptus intuitu matrimonii — » 1074
      - adulterii seu coniugicidii — » 1075
  - propter cognationem
    - naturalem
      - consanguinitatis — » 1076
      - affinitatis — » 1077
    - naturali similem
      - ob publicam honestatem — » 1078
      - sed spiritualem — » 1079
      - ast mere legalem — » 1080

462. Inscriptio capitis ac impedimentorum dirimentium logica coordinatio. — Sequitur deinde *Caput IV. De impedimentis dirimentibus*, seu de prohibitionibus tum iuris divini tum iuris ecclesiastici, quae saltem vi huius semperque ratione personarum irritum reddunt matrimonium, quod utpote in seipso sacramentum illo duplici iure tantum regitur, etiamsi sacramenti dignitate orbatum fuerit, eo quod unus ex contrahentibus baptizatus non sit. De quorum impedimentorum atque censu aliorum defectum, qui illum contractum matrimonialem irritant in praesenti Codicis disciplina, certe computatio et coordinatio logica sequentes dari queunt: Quinque ratione debiti consensus, et sunt: defectus debitae discretionis, error, simulatio, vis et metus atque defectus conditionis appositae. Unus ex parte formae contractus, vocaturque clandestinitas. Denique novem impedimenta proprie dicta, seu ex parte personarum contrahentium, sic tamen ut unum eorum sc. crimen quadruplex sit, et aliud impedimentum videlicet cognatio sumpta ut propinquitas quintuplex inveniatur.

Horum autem omnium logica recensio sic accipi potest ex D. Th. [1] cum additionibus: « Potest matrimonium (quoad valorem) impediri aut ex parte contractus matrimonii, aut ex parte contrahentium. Si primo modo, cum contractus matrimonii fiat per voluntarium consensum » legitime expressum, qui voluntarius consensus tollitur quoad intellectum *per ignorantiam* idest: ob *defectum debitae discretionis*, et *per errorem*, et quoad voluntatem ab extrinseco quidem *per vim et metum* et ab intrinseco *per simulationem*, et simul ab intrinseco et ab extrinseco *propter defectum* ob externam *conditionem* voluntarie *appositam;* erunt quinque defectus substantiales: *defectus debitae discretionis*, *error*, *vis et metus*, *simulatio*, et *defectus conditionis appositae*. Ob defectum expressionis legitimae consensus oritur *clandestinitas matrimonium irritans*.

« Ex parte demum personarum contrahentium... sic distinguuntur: potest enim aliquis impediri a matrimonio contrahendo vel simpliciter, vel respectu alicuius personae. Si simpliciter, ut cum nulla possit matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia impeditur a matrimoniali actu. Quod quidem contingit dupliciter: primo quia non potest de facto (sive temporanee atque inefficaciter *ob aetatem*), sive quia omnino non possit, et sic ponitur *impedimentum impotentia...*; secundo quia non licite potest, et hoc secundum quod ad continentiam obligatur, quod contingit dupliciter; vel quia obligatur ex officio suscepto, et sic est *impedimentum ordinis:* vel ex voto emisso, et sic impedit *votum*. Si autem impeditur aliquis a matrimonio non simpliciter, sed respectu alicuius personae, vel hoc est propter obligationem (eamdem) ad alteram personam, sicut

[1] Suppl. q. L. art. un. c.

qui uni matrimonio iunctus est, non potest alteri coniungi, et sic est *ligamen matrimonii*, vel quia deficit proportio ad alteram personam, et hoc propter tria: primo quidem propter nimiam distantiam ad ipsam, et sic est *disparitas cultus*; secundo propter nimiam propinquitatem et sic ponitur impedimentum *cognatio* (quae sumpta uti propinquitas personarum quintuplex est) scilicet *cognatio* (*naturalis* seu consanguinitas, *cognatio spiritualis* et *cognatio legalis*), deinde *affinitas*, quae importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiae matrimonio iunctae, et *publicae honestatis iustitia*, in qua est propinquitas duarum personarum ratione tertiae (per matrimonium invalidum, seu concubinatum) iunctae, tertio propter indebitam coniunctionem ad ipsam primo factam (vel exterius intentam), et sic impedit *crimen*... prius cum ipsa commissum (quod quadruplex est, *et impedimentum raptus*).

463. **Ordo canonum** sequens est. Praeposito can. 1037 de impedimento temporario, alia sunt, quae, nisi dispensentur, comitantur perpetuo personas, aut vigent saltem ut prohibitiones matrimonii iure divino, et haec praescribuntur canonibus 1068-1071, aut iure ecclesiastico urgent, ac invenientur in seq.[s] usque ad Capitis finem, his ad invicem sic ordinatis, ut quae supponunt factum plene voluntarium, sive iure divino obligans, sive plane illicitum, sibi succedant primo sub can. 1072-1075, et alia secundo, quae cognationem supponunt sive naturalem per can. 1076, 1077, sive naturali similem per can. 1078-1080.

464. **Impedimentum aetatis.** — Quatuor sunt capita iuris Decretalium sub tit.[o] « De desponsatione impuberum » (IV, 2), quae illustrant ius praecedens circa huiusmodi impedimentum. Scilicet in cap. 2 incipiente « Ubi non est consensus... (legitur)... Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, coniungantur. (Vigebat ergo tale impedimentum iure humano, imo confirmatur eo quod subditur): Nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente: utpote pro bono pacis talis coniunctio tolleretur ». Ergo quandoque, etsi valde raro, dispensandum. — Sed non semper urgebat, nam iure exceptum fuit: « si aetatem in puella quae nubilis non erat aetatis prudentia supplebat » in cap. « Tuae Nobis » 14 (cit. tit.), seu ut legimus in cap. 9 « De illis qui in minore aetate desponsantur... respondemus, quod si ita fuerint aetati proximi, quod potuerint copula carnali coniungi, minoris aetatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum in eis aetatem supplevisse malitia videatur ». Haec erant sic constituta, quia

aetas fuerat determinata pubertatis ac praecise ob impotentiam de facto ad matrimonialem actum.

Mutatio fuit inducta per Codicem, ita ut aetas sola in constituto impedimento, ac proinde absque iuris exceptione, respiciatur. En *can. 1067*. Cum respectu ad diversam pubertatis aetatem ad normam can. 88, § 2 praescribitur sub § 1. *Vir* proprie ob actus generandi facultatem physicam *ante decimum sextum aetatis annum* computandum ad normam can. 34, § 3, 1° 3°, eo quod additur verbum *completum* alias inutile, *mulier* proprie ob dictam rationem, *ante decimum quartum*, idest: sicut pro viro ante duos annos postquam « censetur pubes » (can. 88, § 2), *item completum*, sicut declaratum est supra quoad virum, *matrimonium validum inire non possunt*, imo illicite agerent, quia canon implicite « graviter prohibet matrimonium contrahendum » (can. 1036, § 2) ad normam inscriptionis Capitis. Huc pertinet S. Congr.ª Inq.ª Declaratio [1] quod « anni requisiti a ss. canonibus pro validitate matrimonii sunt solares atque computandi a die ad diem, i. e. a die nativitatis ad diem in qua celebratur matrimonium. Quodsi fieri non potest, computetur aetas secundum annum lunarem adiecto mense ».

Nec sola prohibitio Ecclesiae ultra extenditur, sicut patet ex aiente § 2. *Licet matrimonium post praedictam aetatem* in utroque ad normam can. cit. § 3.° sed diversam, *contractum validum sit*, canon illud non prohibet, sicuti fecerunt nonnulli codices civiles bonum speciei humanae quidem intendentes. Attamen Ecclesia spirituale bonum etiam in hac re prosequens, cui multoties illa obstaret prohibitio, conditionem legis, ut sit « secundum patriae consuetudinem », quae commendatur in re tam practica, remisit ad singulos sequentes, subdens: *curent tamen animarum pastores* etiam inferiores seu parochi, *ab eo* scilicet: matrimonio valido nec ss. canonibus vetito contrahendo *avertere iuvenes*, consilio tantum ac prudenti exhortatione, nisi alia ratio praesertim spirituale bonum contrarium suadeat, *ante aetatem* eorum respectivam, *qua*, *secundum regionis* non praecise nationis *receptos mores*, qui solent ob experientiam ostendere quid in hac re hominibus conveniens sit, *matrimonium iniri solet*, etiamsi exulet praeceptum legis civilis.

[1] 7 Maii 1890.

465. **Impedimentum impotentiae.** — *Can. 1068. Impotentia* vera et « secundum propriam verbi significationem » (can. 18) est « defectus physicae facultatis perficiendi quantum a voluntate pendet actum, qui generationi aptus sit », quin pertineat ad ipsam utrum procreatio sequatur vel non, aut nec sequi possit ob quemdam forsan naturalem defectum, qui sterilitas vocatur, de quo infra. — Eidem impotentiae ad impedimentum parum confert origo ipsius, sunt enim eunuchi, qui sic nati sunt, sunt alii facti ab hominibus, aut ex propria voluntate forsan propter aliquam infirmitatis exigentiam, aut ex malitia aliorum vel aliquo ex accidenti, sed impotentia de qua in canone sit a) *antecedens* matrimonialem contractum, quia eidem valido supervenire poterit, nihil officiens, b) *et perpetua,* scilicet: secundum verba Innoc. III. in cap. 6 « de frigidis et maleficiatis et de impotentia coeundi » (IV, 15) « Impedimentum illud (impotentia nempe mulieris) non erat perpetuum, quod praeter divinum miraculum per opus humanum (subintelligitur: licitum et honestum) absque corporali periculo (quod deinde dicit periculum mortis) potuit removeri », et ratio necessariae perpetuitatis est, quia expeditum esse ius per matrimonium obtentum pertinet ad substantiam, non ad essentiam contractus. — Subdit canon plures distinctiones illius defectus, quae nihil conferunt ad impedimentum statuendum vel amovendum quod attinet, a) *sive ex parte viri* sit impotentia *sive ex parte mulieris*, b) *sive alteri* nempe potenti *cognita sive non,* quia impedimenti prohibitio in defectu solo auferente contractum huiusmodi fundatur, c) *sive absoluta*, nempe: in seipsa considerata et hinc existat respectu ad omnes alterius sexus personas, *sive relativa* scilicet: erga illam personam cum qua contrahere intendit: impotentia praedicta *matrimonium*, nempe: illius contractum *ipso naturae iure*, in quo dispensari nequit, *dirimit*, eo quod actus, ad quem ex illo contractu obligatur persona, ordinatus ad « matrimonii finem primarium » (can. 1013, § 1) minime excludendum, nempe: procreationem prolis, est eidem impossibilis, et secundum reg. iuris 6 in 6°. « Nemo potest ad impossibile obligari ». Sicuti arguit quoque Alex. III in cap. 2 tit. cit. « Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est (interim) aptus coniugio; sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur ».

Si praedicta impotentia sit certa, §ⁱ 1ⁱ veritas est certa propter iuris naturae proihibitionem, quae irritat contractum qui fiat absque eius essentiali obli-

gatione. Probavimus etiam alibi omnes ius habere ad matrimonium equidem cum persona ad arbitrium eligenda, nisi quid obstet: quod ius fundatur in lege naturali propagationis generis humani, et in propria physica potentia, quae iuxta leges naturae omnibus tribuitur. Attamen contingere potest quod lex et ius in casibus particularibus deficiant, sed nisi defectus certo constet ius illud sustinendum est propter illam generalem legem, prohibitio vero exercitii iuris erit dubia sicut et consequens contractus invaliditas, proinde huiusmodi prohibitio pro casu habenda esset uti non sufficienter promulgata, vel saltem ut inculpabiliter ignorata conscientiam non ligaret.

Haec ratio potest deservire in fulcimentum $\S^{i}$ 2^{i}, quo per legem generalem Summus Pontifex authentice declaravit ius divinum naturale, ad normam can. 1038, § 1 ibi explicatam, dicens: *Si impedimentum impotentiae*, scilicet: prohibitio iuris naturae irritans matrimonium propter impotentiam, *dubium sit*, a) *sive dubio iuris*, nempe: propter Doctorum oppositas probabiles opiniones de illo ob determinatos corporis defectus, b) *sive dubio facti*, eo quod natura ipsius corporalis defectus in casu non sit bene perspecta, tunc *matrimonium non est impediendum*, seu quod idem est: ius divinum non impedit licitam matrimonii celebrationem eiusque intentandam consummationem ac usum, quin obstet futura nullitatis matrimonii declaratio, si impotentiae impedimentum in §° 1° explicatum deveniat certum. Quia impotentiae perpetuitas est ad impedimentum necessaria iuxta $\S^{m}$ 1^{m}, quae dicta sunt in hoc §° 2° intelligenda erunt quoque, si huiusmodi impedimentum dubium sit quoad perpetuitatem in defectu considerandam. Sed hoc in dubio dum impotentia non removeretur, attentatio inutilis consummationis esset illicita, et propter periculum incontinentiae in sic coniugatis esset matrimonii celebratio differenda.

Denique ad quaestionem utrum in dubio impotentia praesumatur antecedens vel subsequens, Schmalz. relatis variis sententiis praefert hanc distinctionem: « An eiusmodi dubium ortum sit statim post contractum matrimonii et illius attentatam consummationem, an vero primum ex intervallo temporis praesertim notabilis duorum vel plurium annorum. Si primum, impotentia praesumitur praecessisse contractum, maxime si orta sit ex vitio naturali et non accidentaliter; quia a potentia, quam homo a natura habet, ad impotentiam adeo brevi tempore non praesumitur transiisse. Si secundum, praesumi debet supervenisse matrimonio iam contracto, ex regula generali, videlicet; quia quilibet nasci praesumitur cum iis qualitatibus, quae a natura debentur homini, nisi probetur contrarium; incumbet ergo onus probandi asserenti quod hoc casu impotentia praecesserit matrimonium ». Haec doctrina conformis est c. 1 tit. de frigidis et maleficiatis (IV, 15).

Cum relatione ad § 1[m] sed decretum diversum edicens positus est § 3. *Sterilitas* proprie dicta, quando nempe posita illa unione, qua vir et mulier fiunt duo in carne una, ob veri seminis depositionem intra mulieris vaginam, generatio propter naturae defectum multiplicem evenire nequit, v. g. propter senectutem, sicut exprimit evangelium de parentibus S. Joannis Baptistae, quod « processissent in diebus suis » [1], vel quia foemina subiit eam operationem, qua ei utrumque ovarium abscissum fuit; sicut constat ex resp. S. Officii [2]: « num mulier per utriusque ovarii excissi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat ac liceat, necne? » S. Congr. reposuit: « Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris de quo in casu non esse impediendum ». Praedicta ergo « sterilitas » *matrimonium* idest: matrimonialem contractum per se *nec dirimit,* obiectum enim illius contractus est mutuum ius ac obligatio coeundi, quod stare utique potest cum sterilitate, *nec impedit*, eo quod etsi primarius finis matrimonii quoad effectum frustretur ex natura, « secundarius » finis salvus omnino manet. Animadvertatur non sterilitatem, sed impotentiam certo adesse iuxta sequentem declarationem, quam Sixtus V edidit in motu pr. « Cum frequenter » [3]. « Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut coniugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita et invalida esse decernas ».

466. **Impedimentum ligaminis.** — Sicut probavimus ad can. 1013, § 2, « essentialis matrimonii proprietas » quae dicitur « unitas » sive ex parte viri sive ex parte mulieris constituta est iure naturae ac firmata iure divino evangelii. Hinc evidenter infertur eodem iure duplici divino vigere praescriptum *can. 1069.* § 1. *Invalide* novum *matrimonium* acceptum pro matrimoniali contractu etiam apud non baptizatos, nec sequitur verbum « contrahit », eo

[1] Lucae, I, 7. — [2] 3 Febr. 1887. — [3] 27 Jun. 1587.

quod de iure fieri nequit, sed *attentat* proprio facto simul agens illicite contra praefatum ius, *qui*, sive vir sive mulier, *vinculo* vero *tenetur* adhuc propter validum forsan in infidelitate contractum *prioris matrimonii*, *quamquam non consummati*, sed nondum soluto legitime ad normam can. **1119**, sed adiungitur *salvo privilegio fidei*, quia vinculi solutio possibilis est ad normam can. **1120**, nempe: « inter non baptizatos » contracti matrimonii vinculum « tunc tantum solvitur, cum pars fidelis (ex conversione) reapse novas nuptias valide iniverit » (can. **1126**) ad normam canonum quoque sequentis Cap.ª X Art.¹ I.

Quia non licet se exponere periculo transgrediendi divinam legem, admonet § 2. *Quamvis prius matrimonium*, scilicet: vinculum matrimoniale uti apparet ex inito contractu, *sit* a) reapse *irritum*, putativum vel non, b) *aut* revera extitit ob validum contractum, sed *fuit solutum* de facto *qualibet ex causa* per canones recognita v. gr. morte alterius coniugis forsan ignorata, vel per dispensationem a rato et non consummato, proindeque non adest ligaminis impedimentum in §° 1° exhibitum, *non ideo licet aliud* validum quippe matrimonium *contrahere* etiam sine ullo expresso per ss. canones impedimento ad normam can. **1035**, sed ad tempus scilicet: *antequam de prioris* supra declarati « matrimonii » a) *nullitate* respective b) *aut solutione*, quae ut dictum est existunt, a) *legitime* scilicet: ad normam iuris quo matrimonium sequuturum « regitur » (can. **1016**) iuxta explicationem ibi datam, b) *et certo* moraliter, exclusa mera probabilitate, *constiterit* positivis probationibus. Id confirmat, et necessario in casibus matrimonii canonici sequuturi consulenda est ac sequenda Instructio Supremae Sacrae Congregationis ad probandum obitum alicuius coniugis, an. **1868** ². Itaque Ordinario Z in Hispania expetenti ² in casu: « an uxori viri qui mortuus asseritur, alias inire nuptias permitti possit? — Omnibus perpensis, Sacra Congr. de disciplina sacramentorum rescripsit: Ordinarius canonicas inquisitiones complere velit ad normam instructionis S. C. S. Officii a. **1868**, *Matrimonii vinculo*. Si peractis enunciatis inquisitionibus, iudicium sibi efformare non valeat, quo transitus ad alias nuptias permittere queat, tunc omnia acta ad hanc S. Congregationem mittat ». Hic vero §ᵘˢ continet iuris

¹ CO, II, 199. — ² 18 Nov. 1920, CO, XIV, 96.

divini authenticam declarationem doctrinalem, etsi ad modum legis propositam, hinc per se applicatur etiam illis, qui extra ecclesiam catholicam versantur, etiamsi iuri matrimoniali canonico subiecti non sint, imo nec baptizati.

467. **Impedimentum disparitatis cultus.** — Canon sequens ut lex universalis scripta novus est, quamvis hoc impedimentum qua dirimens inde ab initio saeculi XII receptum ubique fuerit, et qua impediens sit expressum in Epist. D. Pauli [1]. « Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras?... Aut quae pars fideli cum infideli? ». Traditio enim verba haec Apostoli est interpretata de sola prohibitione, ita ut in casu contumeliae Creatoris matrimonium foret illicitum iure divino atque positiva Apostoli prohibitione; sine contumelia autem Creatoris illicitum maneret solo vetito apostolico, quod Romanus Pontifex dispensare potest. Huic doctrinae congruunt canonum praescripta. — *Can. 1070.* § *1. Nullum est matrimonium,* seu non existit vinculum *contractum,* nempe: quod procedat ex matrimoniali contractu, utpote qui est irritus ob dirimens impedimentum, quando ineatur *a persona* a) *non baptizata* de facto, aut valide, sive sit vir sive mulier, *cum persona* b) valide *baptizata* c) *in Ecclesia catholica* scilicet: a ministro forsan laico, sed qui baptismum intendit conferre prout datur in ea, ipsique adnumerans baptizatum, *vel* d) *ad eandem* nempe catholicam Ecclesiam disiunctive *ex haeresi* scilicet: ex errore professo contra fidem catholicam sive in secta vel extra eam, *aut schismate* videlicet: ex separatione quoad subiectionem erga Romanum Pontificem sive in ecclesia schismatica vel extra eam, *conversa* dum prius sub alterutra valide baptizata fuit. Nec quidquam interest ad impedimenti quod attinet vigorem, si unus vel alter postea deficiat ab Ecclesia catholica. Verba enim, quibus persona baptizata in canone determinatur, exprimunt facta, quae per hanc defectionem non mutantur, et aliunde persona illa sic deficiens « christianorum officiis » vi can.[a] 87 manet obnoxia.

Sic determinatum hoc impedimentum, quatenus vim recipit dirimendi matrimonium iure canonico, non afficit protestantes aliosque valide baptizatos nondum ad Ecclesiam conversos, si contrahant matrimonium cum persona non baptizata, quod bene notetur, quia in iure praec.[i] Doctores definiebant hoc impedi-

[1] 2[a] ad Corinth. c. VI. v. 14.

mentum adesse inter personam baptizatam et aliam non baptizatam, et hanc notionem offert nobis nunc reformanda responsio S. Congr. Inquisitionis [1] ad Episcopum S. Galli: « Quid sentiendum sit de matrimonio eorum (i. e. acatho licorum, qui matrimonium celebrant cum parte catholica), qui valide baptizati non sunt, vel de iis, quorum una dumtaxat coniugum pars valide baptizata dignoscitur; quid denique in casu, quo dubium de valide suscepto baptismo tolli nequit », (quia, ut in specie facti exposuerat: parochus, factum sive validitatem baptismi ab acatholica parte quondam suscepti evincere vel verificare non poterit, vel sponsus acatholicus baptismo conditionali se submittere recuset).

Resp: « Matrimonium eorum. de quibus certe constat, quod valide baptizati non sunt, habendum esse tamquam matrimonium duorum infidelium; matrimonium vero eorum, quorum una dumtaxat pars valide baptizata dignoscitur, altera vero invalide, habendum esse tamquam matrimonium affectum impedimento dirimente cultus disparitatis ac proinde nullum; denique si post diligens et accuratum examen dubium de valide suscepto baptismo tolli nequeat, et constet de facto suscepti baptismatis, huiusmodi baptisma validum censendum esse in ordine ad validitatem matrimonii iuxta Dec. 17 Nov. 1830 ».

Cum autem non semper « constet de facto suscepti baptismatis », de his casibus simul ac de baptismo dubie valido praescribit « praesumptionem iuris simpliciter » (can. 1825, § 2) pro foro externo etiam extraiudiciali § 2. *Si pars* alterutra *tempore contracti* ab eis *matrimonii*, quando nempe hoc impedimentum §[1] 1[1] vim suam exerit, a) *tamquam baptizata communiter habebatur*, in quo casu magna praesumptio est de illius susceptione, imo in cap. 3 De presbytero non baptizato (III, 43) in fine Innoc. III ait: « Et certe de illo, qui natus de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur », b) *aut eius baptismus*, dum « constet de facto suscepti baptismatis » iuxta praec. cit. Declarationem, *erat dubius* quoad illius validitatem, imo et quoad ipsius baptismi collationem, iuxta resp. S. Congr. Inq. [2] ad Episcopum Savannen. « I. Num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem, collatio vel non collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit... R. Ad I. Affirmative, peracta tamen investigatione in singulis casibus [3] »; in explicatis ergo circumstantiis, *standum est*, iuxta contextum post matrimonii celebrationem, *ad normam can. 1014* ibi propugnatam

[1] 3 April. 1893. — [2] 1 Aug. 1833. — [3] Acta S. Sedis, XXV, 261.

cum interpretatione, *pro valore matrimonii*, ut dictum est « contracti », sed quia « contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta » (can. 1826), canonis commentati praesumptio perdurat (ex eodem sic prosequente) *donec certo* moraliter, nec sufficit magna solummodo probabilitas, *probetur* positivis rationibus vel mediis, saltem extraiudicialiter, sed ad normam can. 1990, ac obiectum probationis duplex est: *alteram partem* valide *baptizatam esse*, tum etiam in quacumque secta quam adhuc sequatur, si matrimonium fuit contractum ante Codicis vigorem, tum, si de matrimonio sit quaestio post Codicis plenam vim celebrato, « in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa » (§ 1) « tempore contracti matrimonii », *alteram vero* tunc temporis in utraque hypothesi *non baptizatam* de facto vel propter baptismi certam invaliditatem.

Pro praxi non carent utilitate sequentia responsa S. Congr. Inq. in eiusdem Declaratione citata sub finem can. praec. [1]: « An degentes in iis protestantium locis, ubi Baptisma dubium est, tanquam infideles habendi sint, ita ut inter catholicos et eos, disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? ». Sequentes declarationes fuerunt a Pio VIII probatae: « 1° Quoad haereticos quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis debet examinari casus particularis; 2° Quoad alios, qui iuxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii; 3° Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium ».

Quaeritur: an verbum illud « pars » §° 2° sit intelligendum de persona, quae in §° 1° dicitur « non baptizata », vel de illa quae ibi dicitur « baptizata ». — Si agatur de matrimoniis canonice contractis, certo intelligendum est de prima seu « non baptizata », quia tunc potuit matrimonium iuxta canones sine dispensatione ab hoc impedimento, si adfuisset, celebrari ad normam can. 1021, § 1, atque tunc non adest difficultas in applicatione can. 1070 § 2. — Si vero agatur de matrimoniis extra Ecclesiam catholicam valide contractis post Codicis vigorem, hic §us ea non respicit, quatenus non est in eis locus huic impedimento. Pro eisdem autem ante Codicis plenam vim, quaestio erit practica post illorum coniugum vel alterutrius conversionem. Atque

[1] 17 Nov. 1830, S. Sedis, XXV, 258.

tunc intelligendus est §us 2 de « parte », quae contraxit cum persona certo valide « baptizata », nullamque parit difficultatem cum dictis de baptismi praesumptione in ordine ad matrimonium. Etiam intelligenda est de « parte », quae contraxit cum persona certo « non baptizata », aut certo pariter « non baptizata » valide, quia cum de illa parte in praesenti dubium baptismatis adsit, (alioquin essemus in tempore « quo certo probetur » impedimentum vel eius absentia), pariter dubium adest de impedimenti existentia « tempore contracti matrimonii » ac praesumptio in favorem matrimonii urget. Demum ex consequenti propter maius praesens dubium intelligendus est §us 2 de matrimoniis quae consideramus, quando conditionalis « si pars »... etc. verificetur de utroque coniuge.

468. **Applicanda quoque huic impedimento.** — *Can. 1071. Quae de mixtis nuptiis*, scilicet: de impedimento impediente, quod vigorem quoque habet, sicut praesens, ex iure divino, *in canonibus 1060-1064 praescripta sunt*, videlicet: iussa tum de prohibitione Ecclesiae ac iuris divini, tum de possibili dispensatione atque cautionibus exigendis, tum de coniugis catholici obligatione, tum de vetito vel permisso aditu ad ministrum acatholicum, tum ultimo de Ordinarii aliusque pastoris animarum obligationibus; omnia haec *applicari quoque debent*, scilicet: servanda sunt uti praescripta *pro matrimoniis*, sive in fieri sive in esse, *quibus* ineundis *obstat* dirimens §1 1[1] *impedimentum disparitatis cultus* pro cuius retentae appellationis recta intelligentia convenit animadvertere cum D. Thema [1]: quod « hoc impedimentum dirimens non dicitur disparitas fidei, sed cultus disparitas, qui respicit exterius servitium. Nam matrimonium est sacramentum. Et ideo quantum pertinet ad necessitatem sacramenti, requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem... Et propter hoc si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahat, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam haereticam; sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret, non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur; et e contrario si aliquis cathechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium ».

[1] Suppl. q. LIX art. 1, ad 3m.

De necessitate illarum cautionum, quae in canone citantur, ad dispensationis disparitatis cultus validitatem, sunt duo memoranda Decreta S. Congr.ae Inq.is [1]. Ex I° Dec.°: « An in concedendis ab habente a S. Sede potestatem dispensationibus super impedimentis disparitatis cultus praescriptae cautiones semper sint exigendae? Emmi. Cardinales respondendum decreverunt: Dispensationem super impedimento disparitatis cultus numquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu cautionibus ». — Hinc habetur in II° Dec.°: « 1° Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a S. Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus impertita, valida habenda sit, an non?... Ad 1m Dispensationem prout exponitur impertitam esse nullam. — 2° Utrum hisce in casibus, cum scilicet de dispensatione sic invalide concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad S. Sedem pro sententia definitiva recurrere? Ad 2m Affirmative ad primam; negative ad 2m partem ».

Demum S. Congr. Inq.is [2] quemdam dispensationis huius effectum a S. Sede concessae proponit: « Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, e quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri ». Ab impedimentis nempe communibus utrique parti v. gr. consanguinitatis; dummodo ab Ecclesia dispensari possit ac soleat impedimentum existens. Et hoc Dec.m utpote stylum Curiae referens vim suam post Codicem retinet.

469. **Impedimentum ordinis sacri** qua talis innititur solo iure ecclesiastico. Dixi « qua talis », quia in Ecclesia Latina susceptio subdiaconatus secumfert implicite votum castitatis sollemne liturgico iure praescriptum, hinc quatenus sacer ordo illud habet adiunctum, innititur eidem iuri ac impedimentum matrimonii ex voto sollemni.

Probatur sic cum D. Thoma ad ius praecedens quod attinet in Codice servatum [3]: « Decretalis prima Tit.[1] de clericis coniugatis (3, IV) dicit: "Qui in subdiaconatu et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere compellatis ,.. Sed hoc non esset faciendum, si esset verum

[1] 21 Iun. 1912, CO, 442 et 443. — [2] 3 Martii 1825. — [3] Suppl. q. LIII a. 4.

matrimonium, utpote contra iustitiam. Ergo matrimonium post ordinem sacrum est nullum. — Praeterea, nullus vovens (sollemniter) continentiam potest matrimonium contrahere. Sed quidam ordines (scilicet: sacri in Ecclesia Latina) sunt qui habent votum (sollemne) continentiae adnexum ». Ergo talis ordo (in Ecclesia occidentali) constituit impedimentum dirimens matrimonium. Maior et minor patent ex cap. un. « de voto et voti redemptione » in 6° (15, III), ubi Urb. VIII sic loquitur: « praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis; aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ». Quod nunc est intelligendum de professione in ordinibus ad normam canonum in Cap. III Tit. XI Lib. I.

Has duas rationes complexus est implicite, iuri praecedenti plene congruens *can. 1072. Invalide matrimonium* idest: huius contractum *attentant* de facto, proindeque ut inhabiles *clerici* tantum *in sacris ordinibus* « presbyteratus, diaconatus, subiaconatus » (can. 949) etiam « per saltum », quod prohibetur in can. 977, *constituti*, et quamvis contra liturgicam legem emittendi sollemne votum adhuc vigentem, nolent positivo actu illud emittere, prout melior propugnabat anterior Codici sententia.

Quid sentiendum de illo qui « gravi metu coactus ordinem sacrum receperit » usque dum ratihabuerit suam ordinationem vel e contra ad statum clericalem sententia iudicis legitime redigatur? Resp. in foro externo est prohibendus a nuptiis, nam « clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur », (can. 132 § 1) usquequo adimpleatur praescriptum can. 214 § 1, hoc est « salvo praescripto illo ». Matrimonium autem esset validum secundum ea quae diximus ad can. 214, et quia iudex dat « declarationem nullitatis onerum » (Can. 1994, § 2), redacti ad statum laicalem nec proprie « attentant » matrimonium, a quo nec prohibentur.

Confirmantur et explicantur quae praecedunt canonis declarationem argumenta[1]: « Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, (seu incompatibilitatem cum statu matrimoniali), quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa et sacramenta tractant, et ideo decens est ut munditiam corporalem per continentiam servent ». (Sed congruentia non est ratio cogens ad aliquid, velut ex iure naturae obligatorium. Ergo sacer ordo qua talis non dirimit matrimonium ex iure naturae. Praeterea ordo sacer non est incompatibilis ex iure divino cum matrimonio, uti patet ex Ecclesiae praxi permittentis ante Codicem uxoratos ordinari in sacris, dummodo

[1] D. Th. loc. cit. in corp.

iustitia non laederetur, nec lex divina potest afferri dirimens contrahendum ab ordinato in sacris matrimonium). Ergo quod ordo sacer irritum reddat contractum postea « matrimonium, ex constitutione Ecclesiae habet, tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos; quia apud Graecos obstat matrimonio contrahendo solum ex vi ordinis; sed apud Latinos obstat ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris adnexum; quod etiamsi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen quod ordinem suscipit, secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, intelligitur emisisse. Et ideo apud Graecos et alios Orientales sacer ordo matrimonio contrahendo obstat, non tamen impedit matrimonii prius contracti usum; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium denuo contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam obstat matrimonio, et matrimonii usum impedit; nisi forte ignorante aut contradicente uxore vir ordinem sacrum susceperit, quia ex hoc non potest aliquod ei praeiudicium generari ».

Quaeri potest, utrum in Ecclesiis orientalibus ordinatorum in sacris matrimonium, si contrahatur, sit quoque irritum? — Pro Italo-Graecis certum est matrimonium esse nullum, nam Bened. XIV const. « Etsi pastoralis » [1] ait: Huiusmodi ordinatus in sacris « deponendus et ab illegitima uxore separandus; matrimonium enim post recensitos ordines contractum nullum irritumque declaramus ». Item pro Maronitis ex Synodo eorum a S. Sede in forma specifica probata. Item pro Ruthenis quoad presbyteros ex Synodo Samoscensi pariter a Sede Apostolica probata. Idem pro Rumenis ordine maiore praeditis decernit Synodus provincialis an. 1883. Pro aliis vero omnibus Graecis, licet probabilius sit matrimonia esse irrita, tandem quaestio nondum decreto Apostolico definita fuit.

470. **Impedimentum voti dirimens.** — Conc. Trid. in can. 9 sess. XXIV de sacramento matrimonii definivit: « Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos; vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum, anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari ».

Legem ecclesiasticam quoad clericos in sacris exhibuit can. praec.; de his autem qui castitatem sollemniter professi sunt, et in hac re non differt Ecclesia Latina ab Orientali, est pro illa expressus *can. 1073. Item,* connexionem cum praecedenti ob religionis motivum innuens, *invalide matrimonium*, idest: huius con-

[1] 26 Maii 1742.

tractum non vere ineunt, sed inhabiles ex hoc canone *attentant* de facto, canonis huius prohibitionem ad normam can. 1036, § 2 implicitam violantes, *religiosi* ad normam can. 488, 7°, (et dicenda « valent etiam pari iure de mulieribus ») (can. 490), a) *qui vota sollemnia* valide ad normam can. 572-574 vel convalidata ad normam can. 586 *professi sunt*, quin legislator tangat originem huius impedimenti iuridicam, quod ut « graviter prohibet matrimonium contrahendum » est iuris divini, ac non minus quam explicavimus ad can 1058; quatenus vero « et impedit quominus valide contrahatur » (can. 1036, § 2), iuxta communem Doctorum iuris immediate praecedentis sententiam oritur ex iure mere ecclesiastico, quae opponitur sententiae aliorum theologorum et Doctorum melioris aetatis asserentium prodire illam inhabilitatem ex natura ipsius voti sollemnis, « inquantum scilicet, explicante D. Th. [1], per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens », quod locutione iuridico-theologica, idem esset, ac sollemniter professum in Dei honorem per votum abdicasse ius ad matrimonium, quae abdicatio, utpote ab Ecclesia pro foro externo sacris canonibus approbata, certe fieri potest, veluti de bono meliori contento in voto sollemni, quam sit mera etsi perfecta continentia oblata per votum simplex. Sed quaestio haec remanet theoretica, quia etiam in hac parte votum castitatis, ex vicaria Summi Pontificis a Deo recepta potestate et per S. Congr.^m de religiosis aut S. Congr.^m pro Ecclesia orientali exercita, potest absdubio dispensari. — E converso canon exprimit originem iuris mere ecclesiastici aequalis impedimenti, quando subsequitur: b) *aut vota simplicia* « nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), proindeque « publica » (ib. 1°), *quibus ex speciali Sedis Apostolicae* ad normam can. 7 (fortassis etiam per aliquod Romanae Curiae dicasterium) *praescripto*, quod interpretatum est in can. 1058, § 2, *vis addita sit*, veluti materiae voti extrinseca, *nuptias* forsan de facto contractas (equidem illicite) *irritandi* ex inhabilitate personae hoc canone confirmata.

471. **Impedimentum raptus.** — In Decretalibus Greg. IX legitur Tit.^s « de Raptoribus », qui est 17 Libri V. At raptus de quo agit Decretalis, differt ab impedimento raptus de quo tractat Trid. in

[1] Suppl. q. LIII, art. 2 corp.

cap. 6 sess. XXIV de Ref. matrimonii. Ait enim Innoc. III in cap. 7 cit. Tit.[1]: « Accedens ad Aplcam. Sedem. Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensus transeat postmodum in consensum: et quod ante displicuit tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitimae sint personae ».

Conc. vero Tridentinum novum raptus induxit impedimentum dirimens (loc. cit.) iisdem verbis ac utitur, adiecta praecedentis iuris interpretatione communiter admissa, *can. 1074. § 1. Inter virum* quemcumque *raptorem* saltem per alios sed pro se, ut apparet ex contextu, *et mulierem* cuiuslibet conditionis physicae, moralis ac socialis, non autem qualibet de causa etiam libidinis, *sed intuitu matrimonii*, etiam de quo incundo tractatum hactenus non fuerit, *raptam* « secundum propriam verbi significationem » (can. 18), quae est iuxta Doctores « violenta quoad mulierem abductio eius de loco in locum », (sive illa vis sit physica v. gr. apprehensio ipsius personae. sive moralis, idest: per gravem metum incussum vel per dolum, qui vi aequiparetur), secundum illud l. 3 de incendio, ruina. « Aliud autem esse rapi, aliud amoveri palam est. Siquidem amoveri aliquid sine vi potest, rapi autem sine vi non potest ». Iam vero violenta rei materialis alienae abductio dicitur rapina, viri vel feminae dicitur raptus. Pro quo necesse est, ut locus a quo abducitur et locus ad quem sint moraliter diversi etsi non multum distantes, ac licet raptor ad locum destinatum perducere mulierem nequiverit. « Inter raptorem igitur et raptam » solummodo adest impedimentum, atque ut melior sententia propugnabat, non inter mulierem raptricem ac virum raptum, si quandoque accideret. Nec impedimentum inter illas personas est perpetuum, sed *quandiu ipsa* supple « mulier rapta » *in potestate raptoris*, quamvis sub alterius hominis custodia, *manserit*, seu dum raptus virtualiter perdurat, *nullum potest consistere matrimonium*, quod fortassis de facto, sed illicite attentaretur ob inhabilitatem personae raptoris erga mulierem praedictam, quae inhabilitas iure Conc.[1] Trid.[1] inducta fuit iuxta Instr. Congr. S. Officii [1] « tum ex praesumptione non consensus tum in odium tanti facinoris ».

Impedimenti cessatio sequentibus conditionibus addicitur in § 2°. *Quod si rapta* mulier supra declarata, I° *a raptore separata*

[1] 15 Febr. 1901.

tum quoad locum commorationis tum quoad influxum eius potestatis, additur enim II° *et in loco* a) *tuto* pro pudicitia et indemnitate mulieris b) *ac libero*, ita ut nullius praesertim raptoris influxum gravem patiatur respectu matrimonii, *constituta*, quando his positis *illum* supple « raptorem » (§° 1°) *in virum* nempe: maritum propter futurum matrimonium *habere consenserit*, qui consensus manifestandus est sufficienter ad illius probationem, tunc secundum probationis vim quoad diversum Ecclesiae forum, *impedimentum* §ⁱ 1¹ *cessat*, nulla interveniente aut necessaria dispensatione, quae ceteroquin fere numquam datur.

Id quod ex propria verbi raptus significatione, quamvis irrationabiliter, ab impedimento excluderetur, sub canonica significatione comprehenditur vi § *3. Quod ad matrimonii nullitatem*, ergo solummodo quoad hunc canonem interpretandum, *raptui par habetur* circa §ⁱ 1¹ ac 2ⁱ praescripta, a) *violenta*, prout supra explicata fuit, non iam abductio, sed sola b) *retentio mulieris*, quam clausulam statim interpretatur authentice legislator addens: *cum nempe vir mulierem* (ambo ut supra) a) *in loco* sub distinctione *ubi ea commoratur* cum aliqua procrastinatione, quamvis cum domicilio, quasi-domicilio aut sine istis, *vel ad quem libere accessit* forsitan ad modicum tempus, b) *violenter* iuxta supradictam expositionem, c) *intuitu matrimonii* etiam ut supra, *detinet*, ita ut discedere illa nequeat sine gravi incommodo.

472. **Impedimentum criminis** quoad « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 1075* ex Decretalium tit.° « de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium » (IV, 7). *Valide contrahere* relative seu ad invicem, vi huius canonis *nequeunt matrimonium*, scilicet: illud quod « regitur iure etiam canonico » (can. 1016), ac proinde baptizati sunt inhabiles ad illum contrahendum inter se vel cum non baptizato, dummodo causae illius inhabilitatis praeterito tempore fuerint positae, forsitan dum illi essent adhuc infideles, uti patet iam ex n.° 1°. *Qui*, nempe: vir ac mulier, *perdurante*, propterea quorum vinculum coniugale solutum non fuit secundum iura quibus regatur, *eodem* ex alterutrius parte *legitimo*, idest secundum iura quibus regitur valide celebrato, ut propria verbi significatio salva sit amplectentis quoque (can. 1015, § 3) « matrimonium inter non baptizatos valide celebratum » et potiori de causa inter eos, quorum unus saltem sit baptizatus, *ma-*

trimonio hoc est: vinculo coniugali, quamvis nondum consummato: et haec est prima conditio tempus determinans intra quod sequentes in hoc numero conditiones causae impedimenti evenire debent omnino, ut illud oriatur.

« Qui » ergo *a*) ratione illius « matrimonii » saltem alteriusutrius, verum *adulterium* « secundum propriam verbi significationem » (can. 18) etiam formale, seu cum scientia ligaminis etsi huius diversi pro alterutro eorum vinculum coniugale habentium, secundum illud Alex. III in cap. 1 (cit. tit.): « Licet autem in ss. canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio... ad petitionem viri (qui uxorem habens sibi eam huiusmodi rei insciam copulavit) non sunt aliquatenus separandi » (subintelligitur: mortua viri uxore); sed adulteria utriusque diverso vinculo coniugati etiam plura cum aliis personis non sufficiunt, contra sufficit « adulterium » etiam unicum, dummodo *inter se* (fortassis omnino aliis non suspectum) *consummarunt*, videlicet: per actum perfectum generationi sufficientem, non solum per alios actus parem malitiam cum alia forsitan peiore habentes. — Attamen huic utriusque peccato alia conditio ad impedimentum accedere debet, quae bimembris esse cum possit, eidem indifferens est an praecedat, comitetur vel sequatur adulterium praedictum, quia unum vel alterum canon praesens nec implicite expressit congruenter cap.^{i} ult.^{o} cit^{i}. tit^{i}. ubi traditur: « Ceterum tolerari non debet, si prius vel postea (ad fidem datam), dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset », ubi iam innuitur cum hoc simul requiri ad impedimentum criminis: b) *et fidem* idest: promissionem tanquam ex fidelitate adimplendam, non solum unilateralem etsi acceptatam, prout quidam Doctores in iure praec. asserebant sufficere, sed *sibi mutuo,* seu bilateralem ad modum sponsalium *dederunt* equidem peccantes ob iniuriam sic illatam matrimonio existenti atque innocenti coniugi, ast de re licita nempe: *de matrimonio* simpliciter dicto seu valido *ineundo;* proinde postquam obstans ligamen fuerit solutum, iuxta Decretalium capp. 6 et ult.^{m} cit.^{i} tit.^{i}, quae loquuntur « de matrimonio contrahendo » et « aliam se ducturum », nam tunc temporis civile matrimonium erat ignotum. — Hucusque posita in canone ac explicata sufficiunt ad statuendum impedimentum, attamen adiungitur: b) *vel ipsum matrimonium* (scilicet: inter illos adulteros, quos dictum est prius

« sibi mutuo » fidem dedisse) non iam ut supra ineundum post ligaminis obstantis solutionem; sed quod praevenientes tempus, loco illius fidei sibi mutuo dandae, *etiam per civilem tantum actum*, ubi leges divortia permittunt cum aliarum nuptiarum concessione, vel a fortiori per fraudes coram Ecclesia, non iure sed de facto et contra ius quoque divinum illicite *attentarunt*. Quod posterius praedicto adulterio sufficit, antequam ad huius concubinatus consummationem per actum matrimonialem processerint.

Duplex hoc « impedimentum criminis » designatur a Doctoribus per adiuncta verba « nemine patrante », ac etiam apud quaedam S. Sedis documenta, ut illud distinguatur a sequentibus in quibus coniugicidium intervenit « alterutro » criminoso vel « utroque illud patrante ». Summarie totam explicationem tradit in iure Decretalium caput 8 cit.[1] tit.[1] seu ultimum: « Si quis uxore vivente fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post (legitima eius superstite), cognovit eamdem: quamvis utrique ipsorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, sit poenitentia iniungenda: non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum dirimendum. Caeterum tolerari non debet, si prius, vel postea, dum vixerit uxor ipsius adulterio polluisset ».

Aequaliter inhabiles sunt ad matrimonium inter se contrahendum: 2° *Qui*, vir mulier, *perdurante pariter*, idest: sicut eadem clausola est sub n.° 1.° explicata, *eodem legitimo matrimonio*, ergo intra illud tempus, a) *adulterium* etiam omnino prout in n.° 1° manet interpretatum *inter se consummarunt*, b) *eorumque* nempe: adulterantium, ac evidenter post illud, *alter* tantummodo sive coniux sive non coniux, *coniugicidium* scilicet: coniugis contra cuius fidem matrimonialem actum est, mortem vel physica v. gr. manu propria, veneno a se propinato, vel morali opera v. gr. iussu, efficaci suasione, *patravit* nempe: cum effectu. Apprime concordat numerus hic cum cap. 6 cit.[1] tit.[1] in quo Innoc. III respondet Episcopo Spoletano: « Verum cum uxor ipsius (civis P.) esset viam universae carnis ingressa, meretricem, cui adhaeserat, desponsavit. Nos igitur... respondemus, quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum iudices matrimonium supradictum ».

Hoc denique impedimento detinentur a matrimonio valide contrahendo inter se 3°. *Qui*, vir ac mulier, *mutua* scilicet: ex communi consensu *opera*, nec refert an *physica vel morali*, prouti haec

verba in n.° praecedenti fuerunt declarata, *etiam sine adulterio* quolibet, *mortem coniugi* alterutrius eorum *intulerunt*, ut patet, effectu ex dicta opera sequuto. Id aperte traditur in cap. 1 de conversione infidelium (III, 33): « Interrogasti de Saracenis qui, dum in captivitate essent quarumdam Christianarum viros earum insidiis et machinationibus occiderunt, utrum, quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, eas de iure possint accipere in uxores, vel si duxerint, coniugium teneat earumdem. Hic Triburiensis Concilii regula contenti sumus, asserentis quod, si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhaerere debent, nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit ». Deinde Coelestinus III tradit e contrario uxores virorum christianorum in bello interfectorum posse Saracenis conversis nubere, cum « tales non procuraverint virorum interitum defunctorum ». Quamvis caput citatum non exprimat delictum perpetrandum esse intuitu matrimonii cum socio coniugicida ineundi, vel cum uno ex eis, si fuerint plures, Doctores hanc conditionem ex eodem cap.[e] arguebant. Quia vero idipsum nec implicite in numeris 2° ac 3° contineatur, et praxis recurrentium pro dispensatione ac Superiorum dispensantium sit non curare de illa circumstantia, quae ceteroquin praesumitur ex criminis circumstantiis; censeo vi canonis post Codicis vigorem non requiri illam criminosorum intentionem. E contra sententiae Doctorum praec.[is] iuris consentio, dum asserunt hoc impedimentum ligare quoque post baptismum personam, quae adhuc in infidelitate coniugicidium patravit, ut aperte traditur in cit.° cap. 1°.

Postremo addam huius impedimenti rationes iuxta communem Doctorum. Ecclesia illud tulit, et in odium (potiusquam in poenam, haec enim in Codice exulat) commissi criminis, iniuriae scilicet illatae coniugi innocenti ac matrimonio, et ut incolumitati ipsius innocentis coniugis consuleret, ne spes futuri matrimonii det reis ansam captandae illius mortis, ac tandem quia huiusmodi matrimonium foret publice inhonestum et perniciosum.

473. **Quintuplex cognatio et uniuscuiusque fundamentum facti ac iuris.** — Cognatio in genere est « propinquitas personarum, idest quaedam communicatio causans amicitiam inter personas, orta ex generationis actu, vel ex actu eidem analogo aut ad illum

generationis ordinato». Origo seu fundamentum huius cognationis quintuplex distinguitur, nempe: a) prolis generatio, unde provenit sanguinis eiusdem communicatio seu *consanguinitas*, b) supposita consanguinitate, unio matrimonialis canonica seu legitima sive per contractum matrimonialem quoad animos, sive per actum matrimonialem quoad corpora, et ex unione illa enascitur *affinitas canonica* seu legitima, c) ex unione matrimoniali simili, eo quod ipse contractus invalidus sit, vel quia absque ipso fiunt personae «duae in carne una», atque prodit cognatio quae retinere potest nomen cognationis naturalis vel *affinitas naturalis*, d) ex susceptione baptismatis atque confirmationis oritur *cognatio spiritualis* ad normam can. 768, 797, ac demum e) ex adoptione iuxta civiles leges peracta exurgit *cognatio legalis*. — Cognatio seu communicatio ex fundamentis secundum naturam a), b) et c) (hoc saltem ob copulam) sunt naturales, cognatio autem sub littera d) habet fundamentum sacramentorum, quae supernaturalia sunt, sed quamvis eodem iure divino quo sacramenta moderantur, videretur cognatio spiritualis constituta, saltem erga ministrum, utpote quod illa sequatur aliquo modo ex regeneratione spirituali, quae fieri nequit absque sacramenti ministro, attamen si recte consideretur non sequitur necessario, quia huius regenerationis principalis auctor est Deus, cuius naturae consortes sumus per gratiam in baptismo receptam, iuxta illud Apostoli [1]: «Deus est qui iustificat»; seu ut D. Th. ait [2]: «homo baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius, sed Christus est qui interius baptizat»; unde spiritualis cognatio tota est iuris canonici, sicut et cognatio legalis ex ipso quoque fundamento est omnino iuris civilis singularum nationum.

474. **Impedimentum consanguinitatis.** — Rationes huius impedimenti exponit S. Th. [3] agens de peccato incestus: «ratio est, quia personas sanguine coniunctas necesse est ad invicem simul conversari: unde si illae personae non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereae commixtionis, et sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Tertia ratio est, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, iunguntur ei quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris ac si essent consanguinei eius... Addit autem Aristoteles quartam rationem, quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris et maximum libidinis incentivum». Medici ac physiologi aliam gravissimam ra-

[1] Rom. VII, 33. — [2] III, q. LXVII art. 5 ad 1[m]. — [3] 2, 2. q. 154, a. 9.

tionem suppeditant, nempe: quia in matrimonio inter consanguineos saepe, licet non per se sed per accidens, proles aut nulla habetur, aut est deformis ac infirma. Eae omnes rationes ostendunt consanguinitatem, quo arctior est, eo magis matrimonium excludere.

In linea recta matrimonium est nullum quotocumque gradu inter se distent generantes et geniti. Constat ex responso Nicolai I ad Bulgaros in quo recipit et approbat legem Caesaream in Inst.[8] de Nuptiis. « Aiunt enim leges: Ergo non omnes nobis uxores ducere licet, nam quarumdam nuptiis abstinere debemus; inter eas enim personas quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et nepotem, matrem et filium, aviam et nepotem, et usque ad infinitum «.

Haec postrema verba intelligenda esse de gradibus possibilibus, ipsa natura dux et magistra nos edocet, nam omissa extrema et decrepita senectute, certe mors necessitate physica excludit matrimonia in ulterioribus gradibus, in quibus propinquitas sanguinis non amplius urgeri potest ut ratio, sed solummodo maior quaedam reverentia et diversitas aetatis.

In 1° gradu lineae rectae asserunt DD. unanimiter matrimonium ipso iure naturali irritum esse, idest matrimonium inter patrem et filiam, matrem et filium. Non desunt rationes quas omittimus. Sed huius signum evidens est quod omnes gentes nedum excultae et civiles, sed etiam barbarae ab hoc matrimonio prorsus abhorrent, illudque habent ut nullum: quod certe indicat ipsam naturam illud reprobare ac irritare. Tandem Gen. (II, 24) Deus praecipit: « Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae ». Uti recte observat D. Th.[1] id « non potest intelligi quantum ad cohabitationem, et sic oportet quod intelligatur quantum ad matrimonii coniunctionem ». Proinde Deus hoc matrimonium prohibuit, urgendo positive vetitum naturale. Quoad alios gradus num connubium sit irritum iure naturali seu positivo, prout nonnulli autumant, vel iure tantum ecclesiastico iuxta aliorum opinionem, sufficiat edicere S. Alph. alteram sententiam aeque probabilem habere ac primam.

Propterea laudabiliter redactus est sic *can. 1076. § 1. In linea recta consanguinitatis*, quae est: « series personarum successiva quarum una ex altera procreata est » *matrimonium* forsan de facto initum, seu contractus matrimonialis, *irritum est* secundum explicationem ex iure naturali et canonico *inter omnes* illas personas, sive linea consideretur ascendentalis sive descendentalis, hoc est: *ascendentes et descendentes*, *tum legitimos*, nempe: in matrimonio saltem putativo genitos, *tum naturales* videlicet: per actum generationis extra illud, quia semper adest fundamentum consanguinitatis huiusque vis matrimonium irritandi propter adductas rationes.

[1] 4 Sent. dist. 40 q. un. a. 3.

In linea collaterali, ut antiquiorem disciplinam praetermittamus, Conc. Lat. IV sub Inn. III, cuius dispositio refertur in c. 8 tit. de consanguinitate et affinitate, decernit consanguinitatem et affinitatem deinceps dirimere usque ad quartum gradum inclusive: « Prohibitio quoque copulae coniugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari. Quaternarius vero numerus bene congruit prohibitioni coniugii corporalis... quia quatuor sunt humores in corpore qui constant ex quatuor elementis ». Haec ratio non est motiva legis, quae potius illis verbis continetur « quoniam in ulterioribus gradibus etc.... », sed est exornativa tantum, referens theoriam physicam tunc temporis communiter receptam. In Ecclesia autem Orientali, ex indulgentia et tolerantia S. Aplcae, consanguinitas dirimit usque ad septimum inclusive gradum orientalis computationis, ita ut matrimonium in octavo gradu, qui integrat quartum iuxta nostram computationem, valeat; imo Graeci asserunt septimum quoque gradum apud ipsos, idest quartum attingentem tertium computationis nostrae, nonnisi impedimentum impediens esse. Excipiendi sunt Maronitae ac Italo-Graeci, pro quibus viget disciplina Ecclesiae Occidentalis; pro illis quidem ex Synodo Libanensi an. 1736 a S. Aplca. in forma specifica confirmata, pro his vero ex Bened. XIV Const. « Etsi pastoralis » [1].

Nunc igitur [2] « quamvis consanguinitatis vinculum sit naturale, tamen non est naturale quod consanguinitas carnalem copulam impediat, nisi secundum aliquem gradum, ut dictum est. Et ideo Ecclesia suo statuto non facit quod aliqui sint, vel non sint consanguinei, quia secundum omne tempus aequaliter consanguinei remanent, sed facit quod carnalis copula sit licita vel illicita, secundum diversa tempora in diversis gradibus consanguinitatis ». Ita porro in Codice supradictam prohibitionem restrinxit sub § 2. *In linea collaterali*, quae est « series personarum, quae successivis generationibus ordinantur inter se, concurrentium in primum progenitorem », supple: « matrimonium » ut in § 1° 1° *irritum est* ob relativam personarum inhabilitatem *usque ad tertium gradum* ex utroque tractu lineae obliquae *inclusive*, proinde persona distans in 4° gradu potest valide in coniugem assumere quemlibet consanguineum in linea collaterali.

Nunc porro consanguinitas revera multiplicatur triplici causa simplici; videlicet: eo quod duae personae consanguinitatem sortiantur duplici modo, sive quia alterutra vel utraque pars ab eodem stipite communi descendit, sed pluribus lineis, sive quia utraque

[1] 26 Maii 1742. — [2] D. Th. Suppl. q. LIV a. 4 ad 3m.

a diversis stipitibus. Prima causa multiplicis consanguinitatis est, quando prolem vir habet ex persona sibi consanguinea: hoc in casu multiplicitas est inter horum descendentes aliosque consanguineos ex unico stipite. — Altera causa est, quando personae consanguineae prolem procrearunt ex personis consanguineis, quoad descendentes ex utroque matrimonio ad invicem. — Tertia causa est, quando quis prolem habet ex pluribus personis inter se consanguineis, quoad utriusque matrimonii descendentes ad invicem. — Ex secunda et tertia causa enascitur multiplex consanguinitas ex multiplici stipite, videlicet: ex parte patrum ac matrum, atque ex parte patris et stipitis uxorum consanguinearum; propterea canon sic cavet: *ita tamen ut,* non consanguinitas, quia huius multiplicitas uti naturalis est a legislatore humano independens, sed *matrimonii impedimentum* « dirimens » (can. 1036, § 3), seu gravis prohibitio cum clausula irritante ob consanguinitatem, *toties*, seu pro illis personis, *tantum multiplicetur*, abrogato igitur impedimento hucusque constituto propter ceteras consanguinitatis multiplicitates, *quoties communis stipes* nubere volentium *multiplicatur*, ergo exclusa multiplici consanguinitate illius casus simplicis, quando inter ascendentes unus consanguineam personam sibi matrimonio copulavit, imo nec « impedimentum multiplicatur » quandocumque gradus consanguinitatis inter personas matrimonium contracturas sit ultra tertium ex illorum alterutro stipitum.

Quia Ecclesia custos est observantiae iuris divini, a quo dispensare nequit, ad hoc ut illud non laedatur nec laedendi periculum incurratur ipso facto etsi ignoranter, praescribit § *3. Numquam matrimonium* fieri *permittatur* subdito ab animarum pastoribus, *si quod subsit dubium*, equidem facti ob ea quae sequuntur, *num partes* ineundi contractus matrimonialis *sint consanguineae* a) *in aliquo gradu lineae rectae*, quia certe aut valde probabile est iuris divini vetitum in huiusmodi gradibus, et propter hoc ipsum b) *aut primo gradu lineae collateralis* v. gr. frater ac soror ex parte saltem patris aut matris, quia hos saltem gradus excludere videtur a dispensatione definitio dogmatica Conc. Trid. (sess. XXIV. De sacramento matrimonii) in can. 3. « Si quis dixerit... nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum (consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur) dispensare... anathema sit ». Opportune hic memoranda declaratio Pont.ae. Commiss. ad Cod^{e}. can^{s}.

auth. interpretandos [1]: « IV. 3. Quid si copula illicita et occulta praecesserit nativitatem nubendae, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis? Resp.: Provisum per canonem 1076, § 3 ».

De matrimoniis in infidelitate contractis, silente Codice, haec memorari oportet. Si utraque pars est infidelis, matrimonium in 1° gradu lineae rectae est certe nullum, ita ut si coniuges, favente divina gratia, ad fidem catholicam convertantur, separari debeant, et possint novas nuptias inire, cum et infideles iure divino teneantur.

E contrario matrimonium in 2° 3° et 4° gradu lineae transversae est certe validum, nisi lex civilis illud irritet: et si coniuges baptismum recipiant « possunt licite remanere coniuncti, cum per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur », ut docetur expresse ab Inn. III in c. 8 « de divortiis » (IV, 13).

Matrimonium in aliquo alio gradu lineae rectae post primum, dubium est an validum sit necne, praecisione facta a civili lege. Hinc applicandum principium: « In dubio standum est pro valore matrimonii » ideoque videretur quod coniuges nec possunt nec debent separari, nisi forte favor fidei aliud exposcat. Wernz tamen animadvertit [2] n. 410 (nota 58): « Si infideles conversi huiusmodi matrimonio reperiantur uniti, et v. gr. avus duxisset neptem, certe privata auctoritate missionarii in suo connubio relinqui non possunt, ut recte monet Feije l. c. n. 366 sq. contra Verricellum aliosque. sed saltem propter theoreticas opiniones doctorum Sedes Apica. esset consulenda ».

Idipsum dicatur fortiori ratione de matrimonio in 1° gradu lineae transversae ob auctoritatem extrinsecam DD. magnae notae hinc inde pugnantium ; quamvis attentis rationibus intrinsecis, meo iudicio, valde probabilis sit aut certa sententia negans validitatem huius connubii ex iure naturae secundario. Potest consuli Wernz in n. 411 cum notis a 61 [2]; ubi optime solvit argumenta contrariae sententiae. Nonnulli affirmant praxim Ecclesiae esse hos coniuges (fratrem et sororem) conversos semper separandi, eisdemque novas nuptias permittendi. Si haec praxis vera foret etiam in casu quo hoc impedimentum lege civili latum non est, sane probaret illud matrimonium fuisse iure divino nullum. At illa praxis gratuito affirmari videtur. Nam ex una parte nullum cognoscimus documentum S. C. de Prop. Fide vel S. C. S. Officii, quo insinuetur, et ex alia communiter AA. de ea silent, ac negativum argumentum ex c. 8 de divortiis peremptorium non est. Imo Sanchez expresse docet: « Et sanum consilium existimo ubi aegre ferrent (infideles) separationem, amplectendam esse hanc partem (scilicet: non esse separandos) et sic in pristino matrimonio relinquendos, ut vel sic suavius ac facilius ad fidem invitentur. Et Verricelli diserte tradit id servandum esse a missionariis ».

475. **Impedimentum affinitatis** constitutum est « eadem ratione, qua et consanguinitatis. Scilicet: sicut inest necessitas quae-

[1] 2-3 Iun. 1918; CO. X-346. — [2] Ius Decretalium. Tom. IV. p. 630. Ed. I.

dam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita et affinibus; et sicut est quaedam amicitia inter consanguineos, ita inter affines » [1]. Sed hae rationes non adeo urgentes sunt, quia, etsi affinitatis cognatio sit naturalis, impedimentum non est naturalis iuris, ut constat ex declarationibus S. Congr[is]. Inq. [2]. Sic igitur propria potestate utitur Ecclesia, dum determinat in *can. 1077. § 1. Affinitas* ad normam can. 97, seu quae « oritur ex matrimonio valido (idest: in infidelibus legitimo) sive rato tantum sive rato et consummato », *in linea recta* propter consanguinitatem alterutrius partis, quam praesupponit, *dirimit matrimonium* seu eius contractum, ita ut hic sit prohibitus graviter ac nullus vi huius canonis implicite statuentis propter illam inhabiles eas personas affines *in quolibet gradu; in linea collaterali* affinitatis, quam haec habet in consanguinitate praesupposita, « dirimit » sicut antea, sed *usque ad secundum gradum inclusive*, excluso ergo tertio et quarto etiam mixto cum primo aut secundo, ad quos etiam aequales prius extendebatur ex Conc. Later. IV.

Quamvis affinitas in uno coniugum naturaliter sequatur consanguinitatis multiplicitatem in altero, tamen de novo statuit § *2. Affinitatis impedimentum* « dirimens » (can. 1036, § 2) ex §° 1° *multiplicatur,* seu multiplex est §[i] 1[i] canonica matrimonii prohibitio gravis cum actus irritatione: — *1° Quoties multiplicatur,* non iam naturalis consanguinitas, sed *impedimentum consanguinitatis* scilicet: « quoties communis stipes multiplicatur » (can. 1076, § 2) in consanguinitate, *a quo* impedimento velut de contenta partiali sed potiori cognatione *procedit* istud affinitatis: — Alius casus multiplicis impedimenti ex affinitate est *2° Iterato* non simul, quia invalide ac illicite fieret, quamvis canonis sequentis posset enasci impedimentum, sed *successive* validoque *matrimonio*, utpote proprie accipiendo de vero matrimoniali contractu, *cum consanguineo coniugis defuncti,* quia matrimonium propter consanguinitatem alteriusutrius coniugis affinitatem inducit, et eo quod illud sit duplex novam inducit affinitatem cum ea persona, quae ex primo matrimonio affinis iam facta fuerat.

476. **Impedimentum publicae honestatis,** sic dictum quia « talis propinquitas instituta est ab Ecclesia propter honestatem ma-

[1] D. Th. Suppl. q. LV, a. 6 c. — [2] S. C. Inq. 26 Aug. 1891; S. C. Inq. 4 Sept. 1748.

trimonii ». ante Codicem supponebat propinquitatem provenientem ex sponsalibus aut matrimonio forsan nullo praeter defectum consensus, et quae « robur trahebat ex ecclesiastica institutione, propter eius (nempe ratione matrimonii) honestatem » [1]. In Codice autem haec positivi iuris propinquitas ratione sponsalium est derogata, sed legislator memor naturalis affinitatis ortae ex eo quod est commune fornicationi et matrimonio, (etiamsi « aliud sit ibi inordinatum, per quod a matrimonio dividitur, et ex hac parte affinitas non causatur. Unde affinitas semper honesta remanet, quamvis causa aliquo modo sit inhonesta ») [2], aeque prorsus servavit impedimentum antea vocatum affinitatis ex copula illicita, attamen nunc prudentius ipsum restrinxit, atque non attenta eius cognationis causa, sed ob motivum impedimenti supra dictum vocavit istud in *can. 1078. Impedimentum publicae honestatis,* scilicet: cuius interest canonica matrimonii prohibitio, atque *oritur* a) *ex matrimonio invalido* forsan putativo, semel ac fiat eiusdem celebratio cum specie matrimonialis contractus secundum ius canonicum, nam subditur: *sive consummato*, nempe: quando affinitatis cognatio naturalis exurgit, *sive non*, ac etiamsi cognita invaliditate matrimonii putativi coniuges separentur, remanet impedimentum eo quod ipsius iam posita fuit causa, b) *et ex publico*, eo quod multis relative ad locum innotescat, c) *vel notorio*, quia nulla tergiversatione celari possit (non praecise ad normam can. 2197, cum delictum non exigatur ob paritatem praescripti quoad matrimonium invalidum, nec delictum nominetur), quamvis revera existat hic propter additum verbum: *concubinatu* proprie sumendo pro viri ac mulieris habituali consortio saltem quoad thorum.

Sequitur eiusdem impedimenti amplitudo congruens partialiter Conc[i]. Trid[i]. moderationi [3]: « S. Synodus, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, (nunc derogatum in aliis fornicationis casibus praeter contentos in canone), et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, restringit. In ulterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere ». Restrictionem solum quoad gradus refert canon, quem commentamur, quando ita prosequitur: *et nuptias* idest:

[1] D. Th. Suppl. q. LV, art. 4, c. — [2] D. Th. Suppl. q. LV, art. 3 ad 1[m]. — [3] Cap. 4, sess. XXIV de Ref. matrimonii.

proprie matrimonialem contractum *dirimit* personarum illarum causa *in primo et secundo gradu lineae rectae* consanguinitatis de qua statim, a) *inter virum* qui alterutrum supra dictum litteris a) et b) perpetraverit *et consanguineas mulieris* cum qua perpetravit, b) *ac vice versa*, quod innuit aliquid aliud nondum expressum, nempe: inter praefatam mulierem et consanguineos designati supra viri.

477. **Impedimentum spiritualis cognationis**. — Conc. Trid. sic loquutum est [1]: « Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit » illius cognationis restrictionem quoad personas pariter ex confirmationis quam ex baptismi sacramento, implicite derogans matrimoniali huius cognationis impedimento inter alias personas. Sicut vidimus, tum in can. 768 tum in can. 797 restricta fuit illa cognatio, sublata compaternitate quacumque spirituali: sed ad impedimentum illius deveniens, fortassis ex motivo per Synodum Tridentinam expresso, quod in confirmatione adhuc est facile, edicit *can. 1079. Ea tantum spiritualis cognatio*, exclusa igitur altera can^{a}. 797, *matrimonium* pro contractu intelligendum *irritat de qua in can. 768*, scilicet: paternitate ac filiatione spirituali, quae utraque provenit ex regeneratione: atque rationabiliter, quia haec sola veram similitudinem retinet cum corporali generatione, quae ut vidimus naturaliter fundat cognationem consanguinitatis. Hinc sponte fluit interrogatio soluta per Commis^{m}. Pont. ad Cod^{s}. can^{s}. auth. interpretandos [2]: « Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768 (idemque dicatur de altera ex confirmatione sive intra sive ultra terminos can. 797), a praefata Pentecostes die an ipso facto,.. tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium? Resp.: affirmative ad (hanc) secundam partem ». Ita porro, quia manente spirituali cognatione considerata in praecedentis iuris impedimento, haec irritans prohibitio futuri matrimonii fuit in novo Codice derogata.

[1] Cap. 2. sess. XXIV de Ref. matrimonii. — [2] 2-3 Iun. 1918, IV-8; CO. X, 346.

478. **Impedimentum dirimens cognationis legalis.** — Propter allatas rationes can[is]. 1059 et huic congruens statutum conditum est in *can. 1080. Qui*, vir ac mulier, *lege civili* pro tempore vigenti in singulis nationibus *inhabiles*, eaque cum amplitudine temporis ac territorii respectu contractus matrimonialis celebrandi, nam additur: *ad nuptias inter se*, v. gr. inter adoptantem et adoptatam eiusve filias, inter adoptatum filium vel filiam adoptatam liberosque naturales aut legitimos adoptantis, inter adoptatum et adoptatam ab eadem persona, et demum inter adoptatum et uxorem adoptantis, aut inter adoptantem et uxorem adoptati; inter praedictos *ineundas habentur ob cognationem legalem* idest: (secundum eiusdem Codicis leges) vigentem unamquamque ex dictis, sive legalis paternitas sit, sive fraternitas aut affinitas legalis, *ex adoptione* legibus eiusdem Codicis moderanda *ortam*, tales vir ac mulier *nequeunt vi iuris canonici* scilicet: hoc in canone « pro baptizatis constituti » (can. 1038, § 2), sive inter se sive cum non baptizato fiat matrimonium ad normam can. 1016 (sic acceptata legis civilis sola determinatione quoad hanc prohibitionem) cum clausula inhabilitante statutam ab Ecclesia per haec verba: « nequeunt » *matrimonium inter se* sensu eodem ac antea explicato *valide contrahere;* quod prius dicebatur impedimentum cognationis legalis ob aequalem determinationem acceptatam ex iure Romano.

CAPUT. V.

De consensu matrimoniali.

CAN. 1081. - § 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

CAN. 1082. - § 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

§ 2 Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

CAN. 1083. - § 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum:

1.° Si error qualitatis redundet in errorem personae;

2.° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.

CAN. 1084. - Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.

CAN. 1085. - Scientia aut opinio

nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.

Can. 1086. - § 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

Can. 1087. - § 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert.

Can. 1088. - § 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem.

§ 2 Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis: nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint.

Can. 1089. - § 1. Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus.

§ 2. Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet: secus mandatum irritum est.

§ 3. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint.



§ 4. Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi.

Can. 1090. - Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest.

Can. 1091. - Matrimonio per procuratorem vel per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

Can. 1092. - Conditio semel apposita et non revocata:

1.° Si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur;

2.° Si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum;

3.° Si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit;

4.° Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non.

Can. 1093. - Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.

479. **Inscriptio capitis et consequens eiusdem canonum coordinatio.** — Deinde considerare oportet *Caput V* inscriptum: *De consensu*, scilicet: de actu voluntatis deliberato, quem cum alterutro vir ac mulier debent habere circa idem complexum obiectum seu placitum in quolibet contractu *matrimoniali*. Necessitas illius et natura in can. 1081 complete habentur, defectus vero enuntiantur in sequentibus, ut sciatur quando ille substantialiter vitietur, primo ex parte deliberationis in intellectu praesuppositae, qui possunt esse ignorantia obiecti contractus ac multiplex error, de illa est can. 1082, de isto can. 1083-1085. Deinde perpendere prosequuntur canones alios defectus ex parte voluntatis, vel quia deest actus eius per fictionem, et hoc in can. 1086, vel quia forsan positus est actus, sed inefficaciter propter vim et metum, quod evenire determinatur in can. 1087. De diversa sponsorum praesentia et de consensus manifestatione agunt in genere can. 1088, in specie quoad procuratorem can. 1089, quoad interpretem can. 1090, quoad utrumque autem can. 1091. Quia vero sicut in quolibet contractu, ita in matrimoniali dari potest consensus sub conditione, has diversas perpendit can. 1092, et de consensus perseverantia quandoque necessaria illiusque cessatione ultimus can. 1093 decernit.

480. **Necessitas et natura consensus matrimonialis.** — Conc. Flor. in Dec°. Eugenii IV ad Armenos ait: « Causa efficiens matrimonii regulariter est: mutuus consensus per verba de praesenti expressus ». Quod adverbium « regulariter » innuit matrimonii contractum, qui « inter baptizatos ad sacramenti dignitatem est evectus » (can. 1012, § 1), tali modo perfici, sed in hoc aliquando

exceptionem admitti, eo quod omnia ibi expressa non sunt necessaria, vel aliud praeterea exigetur.

Prudens ergo legislator brevitati consulens ac verborum proprietati, accurate proferens veritatem, distinxit consensus necessitatem ab illius obiecto seu natura sub §§ duobus in *can. 1081. § 1. Matrimonium* in esse, hoc est vinculum coniugale, *facit* sequens contractus matrimonialis: *partium,* quae ob « matrimonii finem primarium ac essentiales proprietates » (can. 1013) sunt unus vir unica mulier, *consensus* in §° 2° determinandus per obiectum, et quia singulari verbo enuntiatus, idem in partibus debet habere illud: nec requiritur translatio mulieris ad viri domum, cohabitatio, vel matrimonii usus, idque confirmatur ex cap. 5 « de sponsa duorum » (IV, 4) « Tuas dudum... (Innoc. III Episcopo Mutinensi). De consuetudine quae diu in Mutinen. obtinuit civitate... Ne vero turpis sit pars, quae suo non congruit universo, et Ecclesia Mutinen. tenere debeat humiliter et servare, quod B. Petri sedem et suam Metropolim sequi viderit, et docere: In matrimoniis de cetero contrahendis illud te volumus observare, ut postquam inter legitimas personas consensus legitimus intervenerit de praesenti, *qui sufficit in talibus iuxta canonicas sanctiones:* et si solus defuerit, cetera etiam cum ipsu coitu celebrata frustrantur: si personae legitime iunctae cum aliis postea de facto contrahant, quod prius de iure factum fuerat, non poterit irritari ». — Consensus in genere sub inscriptione definitus secundum Eugenium IV debet esse « mutuus » duorum, nempe cum respectu ad alterutrum, atque idipsum in canone est expressum, quando verbis « partium consensus » additur: *inter personas* scilicet: easdem partes « iuribus et officiis » praeditas « in Ecclesia Christi » (can. 87) vel societate civili; sed *iure* tum divino tum canonico vel civili, quo regantur, ad matrimonium quod attinet perficiendum *habiles* scilicet: a quocumque impedimento dirimente liberas, *legitime manifestatus* loco clausulae Dec[1]. cit[1]. « per verba de praesenti expressus », nam expressio seu manifestatio illum actualem consensum mutuum sufficienter pandens est necessaria omnino, ut vero per verba fiat vel signis, per seipsos aut per procuratorem, imo etiam per interpretem aut aliis sub circumstantiis ad formam pertinentibus, per leges humanas opportune fuit determinandum.

Ad rem pertinet cap. 23 tit. De sponsalibus et matrimonio (IV, 1). « Cum apud Sedem Aplcam.... Sane consuluisti nos, utrum mutus et surdus alicui possint matrimonialiter copulari: Ad quod taliter respondemus, quod cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, et (notetur) sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur: Videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit, vel debeat denegari: Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare ». Ergo per se *expressio non verbalis* sufficit, sed necessarium est *consensus* interior qui declaratur, et *illorum de quorum coniunctione agitur*, et ultimo *de matrimoniali copulatione* per contractum.

Expressio praedicta cum sit mutui consensus, etiam mutuam esse oportet: alterutri nempe immediate vel mediate manifestata; necnon mutuus consensus indispensabiliter postulat, ut in utroque contrahente coexistat moraliter dum manifestatur. Hoc ultimum praerequirit intelligere diversum statum animi. Voluntas debet primo elicere actum consentiendi, quod est *consensus actualis;* et sine illo, etiamsi adfuturus certo iudicaretur sub quadam hypothesi, qui vocatur *consensus praesumptus* non est aptus ad matrimonium. Consensus vero actualis semel positus, si maneat in animi dispositione, eo quod non fuerit revocatus, vocatur postea *virtualis* si perseveret in aliquo suo effectu, v. gr. in actu constituti procuratoris, in vita coniugali; vocatur vero proprie *habitualis*, quando in praedicta sola dispositione animi subsistat, quatenus retractatus non fuerit v. gr. in persuasione de matrimonio contracto, cum hoc fuerit invalidum. *Virtualis* consensus ad minus requiritur ut sit coexistentia consensui alterius partis. *Habitualis* vero admittitur pro aliqua saltem sanatione matrimonii in radice.

Denique interior personalis consensus contrahentium matrimonium est adeo necessarius, ut suppleri nequeat iure, publica auctoritate, nec a tertia persona valde iuncta contrahenti. Quae omnia sic optime conclusit canon finali clausula: *qui nulla humana potestate suppleri valet.* — Ratio disparitatis in matrimonii contractu ab aliis est: quia matrimonium est contractus a iure naturae proficiscens ac determinatus, non solum positivo iure humano et contrahentium voluntate constans. Praeterea est contractus ad statum, qui secumfert obligationes valde graves in se, quia relictas in exequutione arbitrio compartis, et propter frequentiam, ac ob diuturnitatem, usque ad mortem videlicet alterutrius. Insuper secundum ius naturae obligationes illae omnino sunt voluntarie suscipiendae, quum a nulla humana potestate imponi queat status ille directe, nisi ad hoc alio potiori iure fuerit quis obligatus. Hoc ultimum rarissime posset in foro publico admitti.

Consensus matrimonialis obiectum eruere possumus ex Rit. [1].

[1] Tit. VII, Cap. II. Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.

Rom., quando dicitur: « Parochus de consensu in Matrimonium interroget, utrumque (virum et mulierem) singillatim in hunc modum vulgari sermone: N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae? — Respondeat sponsus: Volo. — 2. Mox Sacerdos (ut supra idest: parochus) sponsam interroget: N. vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae? — Respondeat sponsa: Volo ». — Hinc evidens fit quod ille consensus sit « actus voluntatis utriusque contraentis viri ac mulieris assentientis circa mutuam coniunctionem maritalem seu matrimonium in esse », quod alias diximus constare iuribus et officiis, attamen subordinatis praecipuo tum iuri tum officio propter « matrimonii finem primarium » (can. 1013, § 1) unde est « actus voluntatis quo vir et mulier vicissim obligant corpus proprium et acquirunt relativum ius in corpus alterius quoad actus voluntarie exercendos in ordine ad procreationem educandae prolis ».

Enucleatius idipsum tradit § 2. *Consensus matrimonialis*, « sine quo cetera nequeunt foedus perficere coniugale » teste Innoc. III in cap. 26 (cit[1]. tit[1].), *est actus* interior *voluntatis, quo utraque pars*, scilicet: vir ac mulier vinculo huiusmodi coniungendi, proindeque duplex actus eorum, « quo » uterque *tradit* se obligans erga alterum, simul et *acceptat* ob alterius assumptam obligationem *ius* idest: facultatem moralem secundum leges divinam et humanam, quibus in ipsius exercitio parere debeat, *in corpus*, quod sic dictum rationali anima et liberi arbitrii subintelligitur informatum, quod « ius » est *perpetuum* iuxta explicatam matrimonii indissolubilitatem, *et exclusivum* aliarum personarum propter illius matrimonii unitatem, sed restringitur sicut ad praecipuum obiectum alia sub se continens, seu ut in canone dicitur *in ordine* quoad voluntarium iuris exercitium *ad actus* concurrentes, attamen *per se aptos* in hunc finem natura obtinendum, ni quid obstet, scilicet: *ad prolis generationem.*

Quomodo sit consensus viri ac mulieris « in idem placitum » iuxta contractus definitionem in genere sic explicatur a D. Thoma [1]: « quod sicut matrimonium est unum ex parte eius (nempe: finis) in quod fit (seu ad quem ordinatur) coniunctio, quamvis sit multiplex ex parte (duorum) coniunctorum, ita etiam consensus est unus ex parte eius in quod consentitur, scilicet praedictae

[1] Suppl. q. XLV, a. 1 ad 3[m].

coniunctionis, quamvis sit multiplex ex parte consentientium. Nec est directe consensus in virum, sed in coniunctionem ad virum ex parte uxoris, et similiter ex parte viri est consensus in coniunctionem ad uxorem ».

481. **Cognitio ad matrimonialem consensum necessaria.** — Cum consensus sic explicatus debeat esse *liber* actus voluntatis, qui *deliberationem* intellectus de obiecto ipsius sequatur necesse est, prono fluit alveo eumdem consensum vitiari substantialiter quoad deliberationem, si obiectum illud ignoretur, vel deliberans errore ducatur circa illud; libertatem vero actus perimi posse per vim et metum. Expressio vero consensus potest esse, quandoque ficta, iocosa, simulata, deficiente illo, quandoque non sufficiens; ac denique cum homo alligare queat suum consensum alicui conditioni, hinc deficere poterit consensus ipse qua efficax ex ipsius conditionis defectu sive quoad seipsam, sive quoad eventum. De singulis per ordinem.

Quoad ignorantiam obiecti consensus matrimonialis, haec ampliori sensu verificatur etiam in his, qui usu rationis carent. Ex natura rei ad matrimonii validitatem sufficit cognitio talis, quae implicite contineat substantiam et proprietates status matrimonii, ut voluntas in obiectum sic cognitum ferri possit. Unde qui cognoscit matrimonium esse viri ac mulieris consortium ad habendos filios ordinatum, sufficienter est instructus, etsi modum quo fiat ignoret: qui matrimonium cognoscit tamquam institutum a Domino, implicite admittit eius proprietates et dignitatem sacramenti; qui cognoscit matrimonium tamquam statum assumptum ab hominibus licite, implicite recognoscit illum velut habentem proprietates unitatis et indissolubilitatis, — Inter has cognitiones selegit generaliorem ceteroquin sufficientem aiens *can. 1082, § 1. Ut matrimonialis consensus*, seu actus voluntatis immediate antea in can. 1081, § 2 explicatus *haberi possit, necesse est*, tamquam praerequisitum praevio intellectus actui, *ut contrahentes* supple « matrimonium », etsi quoque sit sacramentum, *saltem*, veluti quam minimum ac sufficiens, *non ignorent* proprie loquendo, quia ponens actum tenetur cognoscere quid agat, nempe: *matrimonium* formaliter in quod consentiunt, *esse societatem* videlicet: coadunationem duorum *permanentem*, non ad tempus fixum vel ad arbitrium duraturam, *inter virum et mulierem* singulares, ac destinatam *ad filios procreandos*, seu consequendos proprios secundum naturam. Hoc enim implicat tra-

ditionem et acceptationem fieri de quibus supra, quae ex Christi voluntate inter baptizatos sunt semper sacramentum.

Cognitio illa etiam sine instructione speciali naturaliter obtinetur ob naturae physicae instinctum ac ex his quae honesta frequentantur in societate. Iure igitur statuit § 2. *Haec ignorantia* supra in §° 1° declarata *post pubertatem* naturalem, quamvis intra aetatem qua « vir et mulier matrimonium validum inire non possunt » (can. 1067), *non praesumitur,* implicite admissa praesumptione, quam statuit [1] Alex III: « ante nubiles annos coniugalem consensum non habent », cum in fine capitis admittat Pontifex: « nisi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis.

482. Error circa personam eiusve qualitates. — « Dicendum cum D. Th. [2] « quod, ignorantia differt, simpliciter loquendo, ab errore, quia ignorantia de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum; sed error ponit iudicium rationis perversum (idest: falsum) de aliquo. Tamen ad hoc quod est impedire voluntarium, non differt utrum dicatur ignorantia vel error, quia nulla ignorantia potest impedire voluntarium, nisi quae habet errorem adiunctum, eo quod actus voluntatis praesupponit aestimationem sive iudicium de aliquo, in quod fertur: unde si est ibi ignorantia, oportet ibi esse errorem. Et ideo etiam ponitur error (in sequentibus canonibus) quasi causa proxima ». Propterea, quod canon praec. asseruit de ignorantia intelligatur etiam de errore circa matrimonii naturam, scilicet: « esse societatem permanentem (quin cogitet de perpetuitate) inter virum et mulierem (quin simul actu intendat pluralitatem uxorum) ad filios procreandos ». — Praeter hanc essentiam obiecti in quod per intellectum dirigitur consensus matrimonialis, « essentiales matrimonii (uti obiecti consensus) proprietates sunt unitas ac indissolubilitas » (can. 1013, § 2), quae quamvis distinctae ab illo, sunt inseparabiles propter ius divinum sive naturale sive positivum, et ex hoc confirmatae per sacramenti dignitatem quoad « contractum matrimonialem inter baptizatos » (can. 1012, § 1). Hinc accidere potest *quoad illas singulas proprietates vel dignitatem error,* qui sicut et praecedens *quoad matrimonii essentiam* dicuntur *errores iuris,* ac proprie quia sunt de his quae iura statuunt, quibus accedit *tertius error* quatenus consensus matrimonii singularis dari debet « inter personas iure habiles (ac esse) legitime manifestatus » (can. 1081), et quis contrahens putare falso potest personas vel manifestationem fraudari necessaria legitimitate ad contractus validitatem. — Denique ius quod respicit consensus matrimonialis est « in corpus » alterutrius contrahentis, ergo in unoquoque matrimonio personas contrahentes inspici oportet quoque uti obiectum contractus matrimonialis, quia *error facti circa illas* posset vitiare consensum in proprio eius obiecto.

[1] Cap. 8 de desponsatione impuberum, tit. 2 Lib. IV, X. — [2] Suppl. q. LI a. 1 ad 1^m.

Errores facti considerat *can. 1083.* § *1. Error circa personam* cum qua contrahitur, non solum de nomine aut cognomine, quo appellatur, aut etiam de titulo, quo tantum decoratur, *invalidum reddit matrimonium,* nempe: contractum matrimonialem reddens inefficacem, cum consensus matrimonialis exulet, quia tali errore ductus consensum dat in personam ac in personae corpus, cuius consensus non est ei mutuus, sed alia ut supponimus est consentiens, in quam ille propter errorem non consentit. — Pro duplici hypothesi quae accidere potest in contrahendo, tum in sequentibus canonibus tum in hoc ipso, diversa praesumptio erit tanquam regula in singulis erroribus consideranda. Scilicet: vel quis cognoscit visu et conversatione compartem, quam etiam praesentem ducit, atque tunc praesumitur eam praesentem considerare in contractu perficiendo, vel cum ea absente ac personaliter ignota de contrahendo matrimonio tractavit per epistolas vel tertiam personam, atque tunc in matrimonio cum ipsa etiam personaliter ineundo praesumitur cogitare de illa, quam absentem adamavit, potiusquam in praesentem mulierem. — Hinc facilis est solutio casuum: I° Iacob decepti in accipienda Lia tanquam uxore, II° Titii ducentis mulierem, quae fingat se esse illam Annam cum qua per epistolas matrimonium ineundum praeparavit, et III° Caii ducentis in uxorem mulierem a se personaliter cognitam Parisiis tamquam bene instructam et morigeratam, quae tamen illum decepit uti de natione Statuum Foederatorum tituloque comitissa.

§ *2. Error* seu iudicium falsum *circa qualitatem personae* quoad fortunam, libertatem, titulum, iura primogeniturae, et alia, bonitatem morum etc., *etsi det causam contractui* matrimonii celebrando, quia si veritas cognita fuisset numquam illum iniisset; cum haec voluntas consensui dato contraria actu non extitit, consensus datus fuit verus et regulariter efficax, hinc error praefatus *matrimonium* qua contractum *irritat tantum.* — *1° Si error qualitatis* alicuius ex praefatis praeter libertatem, *redundet in errorem personae,* ac tunc propter adductam rationem in §° 1° de hoc errore.

Haec vero qualitas esse potest huiusmodi, ut singulari personae tantum non aliis conveniat, proindeque sicuti nomine atque cognomine, ita ex praedicta qualitate possit persona tamquam cum digito monstrari.

Qualitas vero personae posset esse pluribus communis, ita ut

non determinaret aliquam singularem, bene autem quamlibet aliam diversam ab ea cum qua erronee contrahatur, eo quod haec orbata sit illa qualitate, ut supponitur. Error ergo in subiecto contrahente dicitur redundare in errorem personae, quia in tali celebrando matrimonio, consensum adhibet non aliter ac ille qui contraheret cum errore facti circa personam. Hoc eveniet, si errans circa qualitatem dum contrahit, sic alteram personam mente designaret per illam qualitatem, ut proprium consensum dirigat in eam sic designatam, quae evidenter non est illa cum qua de facto contrahit, et erga quam consensum tantummodo exprimit, absque eo quod interne consentiat. Si vero qualitatem illam non respiciat in proprio eliciendo consensu, dum errans contrahit, sed consensum dirigit ad physicam personam cum qua exprimit illum, tunc certe fit matrimonium quia non deest mutuus consensus. Nec refert tunc, qualitatem esse minoris vel notabilis momenti, sit error mere concomitans vel dans causam contractui, quia in hac postrema et difficiliori suppositione, error qualitatis arguit voluntatem praesumptive renuentem, scilicet: si contrahens de errore cogitasset, sed huiusmodi renuens voluntas omnino abfuit, utpote praesumpta.

Quae explicavi aliis verbis breviter edocentur a D. Th.: [1] « dicendum, quod error nobilitatis, inquantum huiusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione qua nec error qualitatis. (Quia videlicet diversitas fortunae ac diversitas qualitatis non variat aliquid eorum quae sunt de essentia matrimonii. Ib. ad 4[m]). Sed si error nobilitatis vel dignitatis (et idem aptari potest qualitati) redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, tunc si alius praesentetur ei quam filius regis, est error personae, et impedietur matrimonium » (i. e. quoad validitatem).

Quoad forum externum praesumendum erit errorem qualitatis redundasse in errorem personae, quando ipsa qualitas determinat singulariter illam personam, contraria vero praesumptio erit regulariter sequenda, si qualitas illa pluribus sit communis, cum in eo casu non qualitas, sed physica praesentia sit quae potest determinare personam cum qua mutuus intenditur consensus. Eo magis quod favor matrimonii idipsum requirit, secus enim non existeret illud, ideoque censeri debet qualitatem, de qua errat contrahens, hunc

[1] Suppl. q. LI a. 2 ad 5[m].

inducere ad pleniorem ac faciliorem consensum, potius quam ad ipsum substantialiter sed invalide eliciendum.

Inter personae qualitates de quibus erret contrahens, fuit recensita libertas, et de errore circa praefatam qualitatem edicit canon, quod ille matrimonium irritat solummodo: 2° *Si persona libera*, vir aut mulier, *matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat*, errans circa servitutis qualitatem, *cum contra* illud iudicium *sit serva*, non iam propter servitium cui praestando ex pacto se addixit, sed *servitute proprie dicta* more iuris Romanorum attamen secundum hodiernos mores, ubi servitus vigeat. Idque congruit iuri canonico Codicem praec[t]., sicut constat ex cap. « de coniugio servorum » (IV, 9) ubi Innoc. III sic rescripsit: « Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod G. Presbyter Card. Aplcae. Sedis Legatus R. militem a muliere quadam propter conditionis separavit errorem. Ideoque mandamus, quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla (serva secundum Romanorum ius), ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem, propter quod per Card. eundem ab eius fuerit consortio separatus, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Aplca. facultatem ».

483. **Error iuris circa proprietates matrimonii eiusve sacramentalem dignitatem.** — Error circa praedicta potest dupliciter inesse animo contrahentis, qui de matrimonii essentia sub can[s]. 1082 § 1° descripta non errat. Vel enim est sicut ait *can. 1084. Simplex error*, quatenus contrahens matrimonium non regitur in eliciendo consensu ab errore illo, vult enim illud celebrare, prout a natura est inditum, vel a Christo constitutum, vel prout fit iure inter homines forsitan christianos, si et ipse sit, quamvis errorem profiteatur sicut infideles *circa matrimonii unitatem*, qui pluralitatem uxorum admittant, *vel indissolubilitatem* non credat, sicut protestantes in casu adulterii alterius coniugis, et Graeci schismatici errant quoad eamdem perfectam, *aut sacramentalem dignitatem* deneget, sicut catholici liberales secundum leges quas ferunt; tunc enim prout canon designavit errorem, *etsi* hic *det causam contractui*, scilicet: ratione sui erroris ad contrahendum inducatur eorum aliquis, qui veritatem cognoscens non consensisset, error praedictus *non vitiat consensum matrimonialem*, nempe: hic manet verus et efficax. — Vel error ille circa matrimonii proprietatem

vel dignitatem ad efformandum consensum ingreditur, nempe: si contrahens matrimonium velit, illam positive excludens vel sub erroris conditione quamvis animo retenta, ac tunc deest consensus ad matrimonium sufficiens.

Ratio est, quia matrimonium iure naturae ac divino est praeditum suis dictis proprietatibus. Ius illud supra hominis potestatem est constitutum. Unde hi nequeunt aliquam istarum ab illo perficiendo separare, quamvis contra ius possint non iam illas auferre matrimonio, sed violare ipsas post illud contractum. Si ergo voluntatis consensus feratur praevalenter in matrimonii substantiam, implicite acceptat contrahens easdem proprietates, quod sufficit ad necessarium consensum matrimonialem, et huiusmodi voluntas quodammodo absorbet theoreticum errorem; si vero contrahens matrimonium positivo actu excludat matrimonii proprietatem, nequit simul habere consensum illum in matrimonii, prout id nunc iure viget, substantiam, praevalente atque vitiante illo errore consensum voluntatis. Ita explicat rem aliis verbis Bened. XIV « De Synodo dioecesana » [1], et videri possunt ad rem sententiae S. Rom. Rotae, in Monacen.-Friburgen. coram Mori [2] et in alia Neo-Eboracen. coram Lega [3], ac eiusdem doctrinae veritas praesupponitur in cap. Gaudemus « de divortiis » (IV, 19), et quoad haereticos non credentes hoc sacramentum, sic ait D. Th. [4]: « dicendum, quod error fidei de matrimonio est circa ea, quae sunt matrimonium consequentia (tametsi proprietates); sicut an sit sacramentum, vel an sit licitum. Et ideo talis error matrimonium non impedit (quominus fiat, seu sicut dicimus non dirimit), sicut nec error circa baptismum impedit acceptionem characteris, dummodo intendat recipere quod Ecclesia dat, quamvis credat nihil esse ».

Praesumptio tamen est propter matrimonii favorem semel contracti, quod error de matrimonii proprietate simplex manserit in tali contractu ineundo, nisi contrarium fuerit sufficienter probatum; eo magis quod positiva proprietatis de qua erratur exclusio in actu consentiendi sit qualitas actus prava, quae utpote positiva et mala est probanda.

484. **Error de singularis quod contrahitur matrimonii validitate** consideratur in *can. 1085. Scientia,* quando certitudo per accidens falsa habetur, *aut opinio* propter rationes falsas aut veras, quae graves videantur, attamen in falsitatem inducentes, *nullitatis matrimonii,* dum huic contrahendo nec impedimentum dirimens obstat, nec quid aliud causans nullitatem, *consensum matrimonialem,* seu actum voluntatis de quo in can. 1081 § 2, per se sola quandoque auferre poterit, si errans concubinatum intendat

[1] Lib. XIII, Cap. XXII. — [2] 24 Iul. 1909, CO. I. 664. — [3] 9 Dec. 1911, CO. IV, 152 § Iam age. — [4] Suppl. q. LI a 2 ad 2[m].

vel simplicem caeremoniam civilem, imo vero fictionem matrimonii, sed *necessario* seu semper *non excludit;* quia, quamvis verum sit neminem posse in rem consentire quam putat impossibilem, dum sic eam actu percipit seu cogitat, potest tamen voluntarie dubitare vel a tali matrimonii nullitate cogitationem avertere, et sic dare locum in animo, ut quantum in se est, verum intendat matrimonium. Post factum praesumitur intendisse hoc perficere, tum propter §^m^ 1^m^ sequentis canonis, tum quia ut docet cap. 2. De regulis iuris (V, 41): « Estote misericordes; etc. Hoc loco nihil aliud nobis praecipi existimo, nisi ut ea facta, quae dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur ».

485. **Consensus matrimonialis vitium in voluntate** potest esse duplex, vel propter illius absentiam vel propter positivum voluntatis actum, hinc §^os^ duos habet *can. 1086. § 1.* Secundum reg^m^. iuris ultimo in canone exhibitam: *Internus animi consensus* « matrimonialis » (can. 1081, § 2), quia « homines vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor », *semper praesumitur,* in foro autem externo tum iudiciali, tum extraiudiciali, « praesumptione iuris simpliciter » (can. 1825) contra quam « admittitur probatio tum directa, tum indirecta » (can. 1826), et haec praesumptio est quod ille « internus » voluntatis actus *sit conformis* quoad existentiam et obiectum ipsius a) *verbis,* quae illum designant melius *vel signis* imperfectius idem exprimentibus *in celebrando matrimonio,* alterutris necessario *adhibitis,* ut sit « consensus legitime manifestatus » (can. 1081, § 1).

Illa vero praesumptione non obstante, secundum veritatem, quam in foro interno sequi oportet atque, si appareat, in foro externo quoque est admittenda, nobis edicit § *2. At si alterutra,* vir aut mulier, quod sufficit, *vel utraque pars* matrimonio iungenda, *positivo voluntatis actu,* sicut contra simplicem errorem in can. 1084 iam ille actus fuit declaratus, et addimus sive in matrimonii actuali celebratione, sive ante ipsam elicito nec retractato, *excludat* a) *matrimonium ipsum,* ut nolit « societatem permanentem » explicatam in can. 1082, § 1, b) *aut omne ius ad coniugalem actum,* quod expositum reliquimus in can. 1081, § 2, c) *vel essentialem aliquam* v. gr. unitatem, indissolubilitatem *matrimonii proprietatem,* etsi solam sacramenti dignitatem inter baptizatos, *invalide contrahit:* idest:

« matrimonium non facit » ad normam can. 1081 aliorumque, quos post illum ac cum illo sumus commentati.

486. **In consensu matrimoniali ob vim vel metum defectus** quoad faciendum matrimonium perpenditur ac undequaque determinatur in *can. 1087* sub § *1. Invalidum,* seu non factum et additur: *quoque* respectu ad postrema verba can^{s}. praec^{s}. *est matrimonium* pro coniunctione maritali, utpote *initum*, hoc est procedens a matrimoniali contractu celebrato *ob vim vel metum*, videlicet: ex D. Th. [1] « duplex est coactio vel violentia (idest: impulsus exterioris causae ad actionem oppositam interiori inclinationi agentis). Una quae facit necessitatem absolutam, et tale violentum dicitur a Philosopho; violentum simpliciter, ut cum quis alium corporaliter impellit ad motum, (v. gr. Titiam interrogatam a parocho de marito accipiendo physice impulsam ad capitis affirmativum signum). Alia quae facit conditionatam necessitatem, et hanc vocat Philosophus violentum mixtum, sicut cum quis proiicit merces in mare, ne periclitetur: et in isto violento, quamvis hoc quod fit, non sit per se volontarium (idest secundum se non placeat), tamen consideratis circumstantiis, hic et nunc voluntarium est. Et quia actus in particularibus sunt (nempe: vestiti actualibus circumstantiis), ideo simpliciter (seu revera) voluntarium est (quod fit), sed secundum quid involuntarium: unde haec violentia, vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntatis, non autem prima (utpote causans involuntarium). Et quia haec coactio (conditionata) fit ex hoc, quod timetur aliquod periculum imminens, ideo ista vis idem est quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo, sed prima vis cadit... in corporalibus actibus. Et quia legislator non considerat solum interiores actus, sed magis exteriores, ideo per vim intelligit coactionem simpliciter, propter quod vim contra metum dividit... Est autem metus iuxta Iurisperitos « instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio ».

Attamen verbo « metum » canon addit *gravem*, quae gravitas, cum tractemus de animi affectione, pendeat necesse est, tum a malo quod imminet in se, vel respectu idem passuri, tum a probabilitate apprehensa quod illud malum queat evenire, sive consideretur causa ipsius infligendi sive propriae illud suscepturi vires ad evadendum,

[1] 4 Sent. Dist. XXIX, q. I, art. 1. c.

quae omnia quandoque gravem faciunt, non tantummodo « metum qui... debuerit cadere in constantem virum », prout exprimit Innoc. III in cap. 4, (sicut « metus mortis vel de cruciatu corporis », quae duo damna iuxta cap. 6 illum metum causant, sed non sunt exclusiva aliorum v. gr. de amissione patrimonii sub cap. 2 eiusdem Tit. (40, I) « de his quae vi metusve causa fiunt »), verum etiam metum reverentialem, qui existit quando persona aliquid facit vel omittit, et ad rem nostram quod attinet, matrimonium contrahit ob timorem offendendi personam, cui reverentiam praestare debet, si debitae reverentiae coniungatur ex parte superioris continua obiurgatio, seu vexatio, minae et diuturna offensio, vel rigidae ac importunae persuasiones austeri parentis vel superioris, cui resisti non solet. Sub his circumstantiis potest metus excitari, qui in animum filii vel subditi adeo influat, ut filius vel subditus non amplius sit consilii sui dominus, mens trepidet, et impos fiat moraliter alieno resistendi imperio. Hunc vero metum veluti gravem reputarunt Lesius, Sanchez et S. C. C. in pluribus resolutionibus atque S. Rom. Rota praeterquam in aliis causis, in una Veszprimien. coram Lega [1] et ultimo in Neopolitana coram Prior [2]. Demum qualitatem huiusmodi metus prudens aestimabit iudex, omnibus circumstantiis inspectis, tum quae se referunt ad ipsius metus incursi entitatem, tum quae pandunt relationem qualitatesque personarum incutientis ac patientis metum. Haec sufficiant de gravitate metus; explicationem autem optimam clausulae iuris praecedentis in Codice omissae offert legenti D. Thomas [3].

Causa metus potest esse vel supernaturalis, si malum quod fide apprehensum timetur, est boni supernaturalis privativum, ex. gr. gehenna, etc. hoc enim est malum gravissimum, ac proinde si apprehendatur uti certo imminens constituet metum gravem; vel naturalis, si malum est naturale v. gr. mors, cruciatus, etc. Iam vero matrimonium ex metu supernaturali, utcumque gravi, initum, v. gr. ut quis consulat conscientiae suae, est validum. Laudabiliter enim et secundum omnia iura matrimonium eligitur ad summum malum vitandum. Insuper metus gravis naturalis est vel ab homine, vel a causa necessaria, sive intrinseca sive extrinseca, ex. gr. metus mortis ex morbo aut ex naufragio. Omnes admittunt valere

[1] 2 Iun. 1911, CO. IV, 113. — [2] 15 Nov. 1918, CO. XI, 290. — [3] 4 Sent. Dist. XXIX, q. un. a 2 corp. et ad 2[m] et 3[m].

matrimonium initum metu gravi naturali ex causa necessaria, seu metu ab intrinseco, ut alii loquuntur, ex. gr. si Titius nuptias contrahit, quia medicus ei dixit, matrimonii usum esse ei quantocius necessarium ad sanitatem conservandam. Talis enim operatur rationabiliter, neque ulla iniuria ex tali metu ei fit. Sequitur ergo: tantummodo ab homine provenire posse metum, qui matrimonium dirimat, cum canon prosequatur: *ab extrinseco et iniuste incussum.* Haec iniustitia ergo consideratur in eo qui metum incutit, sive quia ius ei non suffragatur ad malum infligendum quod minatur, saltem eo quod excedit potestatem eius, sive quia modum infligendi damnum non servat, v. gr. in Statibus foederatis Americae Septentrionalis iudex, qui carcerem legibus inflictam stupranti virginem minaretur applicandam iniusta sententia vel fraudibus exequenda, quamvis legis praefatae iustitia sustineatur ab Auctoribus. — Denique in iure praec[1]. ex canonum sensu arguebant necessario Doctores metum incutiendum fuisse ad extorquendum matrimonialem consensum. Id exprimitur sic in canone: *a quo* praedeterminato metu *ut quis se liberet*, vel ut cesset causa extrinseca ab incutiendo illo, unica via sit ei *eligere,* eo quod *cogatur*, *matrimonium* celebrandum.

Rationes huius canonis sunt sequentes apud D. Thomam [1]:

Primo. Decretalis Alex[1]. III, qui Papien. Episcopo dicit [2]: « Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cuiusdam requiritur, coactionis materia repellatur ». Sed matrimonium sine consensu contrahentis non datur. Ergo quando praefatus metus contrahenti infertur irritat ipso facto matrimonium inde sequutum.

Praeterea: Matrimonium significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, iuxta D. Paulum [3]: « Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia », quae coniunctio fit secundum libertatem amoris. Sed huic libertati repugnat quam maxime metus praedictus. Ergo Sacramentum matrimonii inde sequi non potest.

Tertio: Vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, de se matrimonium tollit. Metus autem, qui cadit in constantem virum, ab homine iniuste incussus... perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum, iuxta illud: « quae metu, et vi fiunt, de iure debent in irritum revocari (Alex. III in c. 2) et carere debent robore firmitatis (Inn. III in c. 4. Tit. De his quae vi... I, 40) ». Et ideo haec coactio metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia. Quidam autem dixerunt quod si adsit consensus, quamvis coactus, interius est matrimo-

[1] Suppl. q. XLVII, art. 3. — [2] Cap. « Cum locum » 14 De spons. et matrim. I, 1. — [3] Ad Ephes. V, 32.

nium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesiae, quae praesumit ibi non fuisse consensum interiorem propter metum. Sed hoc nihil est; quia Ecclesia non debet praesumere de aliquo peccatum, quousque probetur. Peccavit autem, si dixit se consentire, et non consensit. Unde Ecclesia praesumit eum consensisse, sed iudicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium ». Utrum vero illa insufficientia, sit de iure naturae ob adductam rationem, vel constituta sit ab Ecclesia; illud censeo valde probabilius, si non est certum.

Altera vero pars libere consentiens non ligatur huiusmodi vinculo matrimoniali, quia [1] « cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio: ideo quidquid impedit (i. e. irritat) matrimonium in uno, impedit (eodem sensu) ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium: et ideo dicitur communiter quod matrimonium non claudicat ». Unde quoad invaliditatem metui aptatur quod can. 1036, § 3 statuit circa impedimentum, quando hoc ex una tantum parte se habet.

Complementum sortitur can. 1087 per § 2. *Nullus alius metus,* qualis erit, vel non gravis huiusmodi affectio animi, vel ab intrinseco tantum procedens ob vanam apprehensionem, vel undequaque iuste incussum, vel si ad illud non cogatur metum patiens, quamvis eligat matrimonium, v. gr. si pater ob laesum filiae suae honorem abreptus animo ulciscendi minitetur iuveni, qui puellam violavit, mortem, quam vitandi causa hic matrimonium cum ea proponat, quilibet « metus » ex praedictis, *etiamsi det causam contractui,* hoc est: si metus abesset, metum patiens non contraxisset, sicut in proposito exemplo, *matrimonii* celebrati cum tali metu vel propter talem metum *nullitatem* « non » *secumfert.* Id quod supra invenimus assertum a D. Thoma secundum ius vetus.

487. **Legitima consensus matrimonialis manifestatio.** — Ad perfectam expositionem can^m. 1081, eo quod iuridica personarum habilitas nobis innotescit perfecte ex Capitibus praecedentibus, atque consensus complete expositus est in praesenti, restat per canones legitimam reddere huius manifestationem, quia ius naturae solum exigit, ut pandatur mutuo ille consensus non vitiatus, eo quod animo retenta intentio nihil in rebus humanis exterioribus operatur. De hac manifestatione in genere ac summarie praescribit

[1] D. Th. ib. a. 4.

sub §° 1° circa validitatem, sub §° 2° quoad liceitatem matrimonii *can. 1088.* En novus § 1. *Ad matrimonium valide contrahendum* post Codicis vigorem *necesse est* omnino, *ut contrahentes* qua tales, seu dum exprimunt consensum mutuum, *sint praesentes* ad invicem, equidem proprie seu physice, non thelephonio vel thelegrapho vel per nuntium aut epistolam, sed a) *sive per se ipsi,* ac tantummodo permittitur b) *sive per procuratorem* uniuscuiusque eorum, nempe: qui unam solam partem repraesentet.

Innocentius III Brixiensi Episcopo ita, respondet [1]: « Tuae fraternitati: Postulasti utrum ex solis verbis, et ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de praesenti. Nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis: et pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cum intelligantur minime consentire ».

Huic Decretali congruit § 2. *Sponsi,* sic dicti ob intentionem contrahendi praevie manifestatam, *matrimonialem consensum* supra explicatum *exprimant* succincte *verbis,* scilicet: oretenus, atque ob legem liturgicam Rit.° Rom.[1] unico verbo respondentes ad interrogationem parochi; proinde sequitur: *nec aequipollentia signa* v. gr. affirmativam capitis inclinationem *adhibere ipsis licet* propter Rit. Rom. et hoc canonis praescriptum, quamvis valide sic contraherent, *si loqui possint.* Non secus ac in cit. Decretali, et per hunc canonem exponitur illud Rit.° Rom.[1] [2] « consensus debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem », quod nunc quoque plene viget.

488. **Matrimonium per procuratorem.** — De hac re fuit legislatio canonica perfecta per *can. 1089.* Inde sic exorditur § 1. *Firmis,* quamvis in eorum propria vi ac mutationi subiectis, *dioecesanis,* proinde particularibus legibus sive in Synodo sive extra Synodum conditis, *statutis,* quae si « praescriptis huius Codicis opposita » sint, « abrogantur » (can. 6 n. 1°), sed *desuper* idest: infra hoc praescriptum seu praeter illud *additis* iam nunc temporis vel in posterum; *ut matrimonium,* scilicet: contractus qui « regitur iure... etiam canonico » (can. 1016), *per procuratorem,* qui partem repraesentet, *valide ineatur,* est ergo huius §[1] « lex irritans » (can. 11),

[1] C. 25, De spons. et matrim. (1, IV). — [2] Cap. 2 n. 2. huius Tit.

requiritur sicut in praec. iure [1] *mandatum speciale,* quo nempe procurator constituatur dantis illud a) *ad contrahendum* supple: matrimonium b) *cum certa persona* quomodocumque ast singulariter expressa, c) *subscriptum*, quod supponit hoc mandatum oretenus datum non valere contra praecedentem disciplinam, non solum *a mandante*, parte per illud matrimonium iungenda, sed simul et disiunctive a) *vel a parocho* b) *aut Ordinario* designatis per verba: *loci in quo mandatum fit,* scilicet: mandantis subscriptione apponenda, c) *vel a sacerdote*, non solum diacono vel inferiore clerico, *ab alterutro* eorum sub litteris *a*) et *b*) proximioribus *delegato,* utpote ad actum illorum officio adnexum, d) *vel a duobus saltem,* ita ut plures admittantur, unus autem non sufficiat, *testibus,* qui habiles iure naturae sint ad hoc testificandi munus.

Quia mandantis subscriptio ad matrimonii per procuratorem validitatem est necessaria ob praec. §^{m}, pro nonnullis casibus sic statuit § 2. *Si mandans scribere nesciat,* vel nequeat, quia scientia respicitur quoad scribendi possibilitatem, a) *id in ipso mandato adnotetur,* id est: notum fiat per huius defectus declarationem, b) *et alius testis addatur* necessario, qui erit tertius si mandatum fiat ad normam commatis sub littera d) praec.^{s} §^{i}, unicus si mandatum perficiatur ad normam clausulae eiusdem §^{i} sub litteris *a*) *b*) *c*), huiusque testis actus describitur: *qui* a) *scripturam*, eidem notificandam velut testi, *ipse* b) *quoque subsignet* cum aliis nempe queis additur; et in his casibus praescriptum §^{i} esse irritantem legem constat ex sequentibus verbis: *secus mandatum irritum est*, ac consequenter matrimonium per talem procuratorem illius vi mandati contractum.

Sed quia vis praedicta in mandantis voluntate, salvis ss. canonibus, est posita, statuit § 3. *Si, antequam procurator* qua talis, proindeque ad mandati normam et iuxta ss. canones de illo ut valide agat, *nomine mandantis,* quem repraesentat pro illo coniugem ducens *contraxerit*, quo facto mandatum effectu quoad vim exhauritur; « si » ergo antea *hic* supple: mandans a) *mandatum revocaverit,* quo deficiente « matrimonium valide non initur » (can. 1089, § 1, b), *aut in amentiam inciderit,* et id de novo in iure scriptum est, quia tunc consensus matrimonialis ipsius necessarius deficit

[1] Cap. 9. De procuratoribus tit. 19, Lib. I in 6°.

etiam habitualis, *invalidum est matrimonium,* eo quod illa persona in utroque casu « praesens per procuratorem » (can. 1088, § 1) proprie dici nequeat, ac vi canonis huius sublata est quorumdam ante Codicem sententia opposita; *licet* seu non obstante quod a) *sive procurator* b) *sive alia pars contrahens,* imo unus et altera, *haec ignoraverint,* cum ab horum cognitione rationes praescripti sint alienae.

Imo propter maximum negotii momentum, adiungitur ad validitatem sicut ceteri necessario servandus § 4. *Ut matrimonium,* qua contractus per procuratorem, *validum sit,* quin aliud proinde a mandante disponi possit, *procurator debet munere suo* contrahendi *per se ipse* congruenter §° 1° can.ˢ 1088 *fungi.*

Ius praecedens summarie continet cap. 9 « De procuratoribus » (I, 19) in 6°, ex quo patent additiones per Codicem factae. « Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu, (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum ». Quam exceptionem exclusam in Codice asserui. « Sane si procurator antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus: contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit: cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit ».

489. **Matrimonium per interpretem.** — Quia consensus matrimonialis manifestatio, inquantum ille verbis profertur, vim exerit ob humanum condictum de illorum valore, rationabiliter admittitur supplementum defectui audientium ad illorum intelligentiam, dum edicit *can. 1090. Matrimonium* ex naturae iure ac canonico *per interpretem* quoque, sive una sola persona vel plures pro casu illud munus adimpleant, sive in adiutorium contrahentis vel parochi vel testium, sive omnium praeter loquentem, *contrahi potest* semper valide, atque licite ob causam rationabilem.

490. **Obligatio parochi quoad haec matrimonia.** — Certe adhibendae sunt cautelae circa interpretis peritiam et fidelitatem ceteroquin sub vocabulo comprehensas. Propter hoc logice ac opportune subnectitur *can. 1091. Matrimonio* a) *per procuratorem* ad norman can. 1089 b) *vel per interpretem* ad normam can. 1090 valide ac licite *contrahendo parochus ne assistat,* vetitum enim est ei, deficiente una ex tribus conditionibus: a) *nisi adsit iusta*

seu proportionata permissioni *causa,* ne talia matrimonia fiant pro libitu, b) *et* disiunctive respectu ad supradicta matrimonia *de authenticitate mandati* (etiamsi videatur id validum) quoad subscriptiones illius, *vel de interpretis,* quod verbum peritiam linguarum utendarum significat, *fide* quae, ab eius voluntate bona pendet, tantum *dubitari* ob rationes positivas *nullo modo liceat* moraliter, ac tertia conditio est: c) *habita,* sed haec: *si tempus suppetat* necessarium pro adeundo saltem per epistolam vel nuntium, *Ordinarii licentia* forsitan per vicarios foraneos elargienda.

491. De conditionibus in matrimonii celebratione appositis. — Cum conditio mente retenta nihil pro externo valeat foro, ad consensus matrimonialis manifestationem conditiones pertinent congruenter can.[1] 1086, § 1°. In Decretalium Lib. IV adest Titulus 5 « de conditionibus appositis in desponsatione vel aliis contractibus », ac in ult. cap. circa matrimonium ait Greg. IX: « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi ».

Ab his ergo incipiens disciplinam vigentem retinet scriptoque complens eam *can. 1092. Conditio* proprie, sicut a modo quolibet discernitur, nempe: « adiectio contractui a qua pendere intendit contrahens sui consensus efficaciam in pacto », dum modus est: « adiectio contractui absolute volito posita accidentaliter per contrahentem, ut nova solum oriatur obligatio intenta eodem consensu principalis contractus »; illa ergo a) *semel apposita* equidem externe pro isto foro, quae, ab altero contrahente acceptata, vel saltem sciente non repudiata, ingreditur tanquam contractus pars, alias remanet in pura consensus matrimonialis manifestatione [1], b) *et non*

[1] Huc pertinet ac praedictum sensum praeseferunt sequentes declarationes. S. C. S. Officii (2 Dec. 1680. Collect. S. C. de P. F. n. 221): « An sit validum matrimonium contractum inter catholicum et schismaticum haereticum cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium. R. Si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta, matrimonia sunt nulla; sin aliter, sunt valida ». — Instr. S. C. S. Officii (6 Apr. 1843. Collect. cit. n. 965) « Circa alias formulas ita pariter statuendum (sicut in Transylvanica, quae calvanistae in Transylvania et

revocata priusquam fiat matrimonium, quia sicut extat prius, censetur remanere contrahentium voluntas: hoc posito, tres conditionum distinctiones perpendit canon; nempe: *a*) conditiones de futuro eventu a quo pendeat qui exprimitur consensus, de praeterito eventu fortassis ignorato, et de praesenti re ut supponitur non cognita; *b*) necessariam conditionem vel contingentem pro natura ipsius rei aut eventus, possibilem vel impossibilem, prout est proportionata viribus causantis ipsum eventum ac rem vel eius vires excedat; *c*) licitam vel turpem pro ipsius actus in conditione expressi moralitate, non ratione ipsius actus exprimendi eam; demum substantiae matrimonii cum huius proprietatibus ac sacramenti dignitate quodammodo adversam, vel turpem sine illa pravitate. Dictae conditiones diversae in sequentibus numeris sic coadunantur, ad canonis praescripta quod attinet:

1° *Si* « conditio », ut in canonis initio, *sit de futuro,* quae unice ex littera *a*) seu tribus prioribus consideratur, a) *necessaria*, quae nempe: certo extitura est, v. gr. si cras sol orietur, de hac dicitur in genere [1] « qui sub conditione stipulatur, quae omnino extitura est, pure videtur stipulari ». Et hoc rationabiliter dicitur. Ait enim D. Thomas [2]: « Si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut solem oriri cras; et tunc est matrimonium, quia talia futura sunt praesentia in causis suis ». Unde consensus tali expressus conditione in absolutum resolvitur. Proinde statim valet matrimonium ac si absolute fieret.

Dicet aliquis: posset contrahens adiicere conditionem eventus ad initium valoris contractus, vel putans erronee conditionem non esse necessario futuram. Ad primum solvendum, attendatur oportet, quod etsi possit contrahi in diem ad exequendam contractus obligationem, videtur hanc diem non posse contractui matrimoniali adiici quoad initium obligationum illius seu status matrimonialis designandum, quia contrarium reg. iuris 50 in 6°. « Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem ». Et ad secundum dicendum, huiusmodi errorem subiectivum nec rem mutare posse, et consequenter nec consensum quocumque modo infirmare aut retardare, qui proinde non sustinet obstaculum in eiusdem efficacia.

---

in pluribus aliis locis utuntur), si vel implicite, vel explicite conditionem contineant matrimonii substantiae repugnantem... Ex hisce omnibus (circumstantiis quae ibidem declaratae inveniri queunt), et etiam ex adiunctis loci circumstantiis, ab eo qui in his praesens sit facile dignosci poterit quaenam sit prava coniugum intentio ».

[1] L. 9 ff. De notat. — [2] Suppl. q. XLVII art. 5.

Huic conditioni aequiparatur altera b) *vel impossibilis* v. gr. si coelum digito tetigeris, c) *vel turpis* v. gr. si occidas talem inimicum, verba conditiones peculiares designantia, de quibus animadvertendum est cum Gonzalez in cap. cit.: Greg. IX illam dedisse constitutionem « ut instrueret iudices ecclesiasticos quomodo de matrimoniis, in quibus conditiones impossibiles et turpes, seu contra substantiam appositae addiiciuntur, pronuntiare debeant », de quibus, si ultimam in cap. excipiamus, praesumptiones iuris edixit, ut innuunt verba: « propter matrimonii favorem ». Nam conditiones turpes proprie considerandae essent de futuro ac suspensivae, atque inducentes compartem ad peccatum aliquod contra legem saltem positivam; et impossibiles sumendae essent iuxta ipsarum definitionem. Matrimonii autem favor consistit in praesumenda validitate ipsius iam contracti, donec contrarium probetur; et impraesentiarum ille intelligendus sic: ne matrimonii sacramentum peccato alligetur in causando ex iustitia statum, et ne idem sacramentum tamquam res parvipendenda cum ioco ac illusorie tractetur. — De conditione autem turpi additur in canone: *sed non contra matrimonii substantiam,* eo quod de ista consideranda sub n.° seq. aliud diversum edicitur, ac illa clausula confirmat restrictionem conditionis a comparte adimplendae. Igitur de multiplici conditione sub hoc n.° expressa edicit canon: *pro non adiecta habeatur*, quae verba sunt eadem per Greg. IX adhibita, ergo « propter matrimonii favorem » sic praesumendum est.

Rationabilitas praesumptionis sita est: *a*) quoad conditionem turpem in eo quod ipse conditione tali contrahens pandit suam in illud peccatum voluntatem. Potest autem simul absolute in matrimonium consentire, ita ut appositio conditionis solummodo magnam firmamque designet suam erga peccatum illud voluntatem; quod quidem est minus pravum, quam simul cum hoc morali malo pravitatem aliam fovere alligandi huiusmodi peccato sacramentum matrimonii illiusque vinculi ortum. Praesumenda est ergo prior hypothesis, idest: non agi de vera conditione suspensiva, cui ceteroquin valedicendum esset antequam eveniret: *b*) quoad conditionem impossibilem, notetur iocum solummodo adhiberi in conditionis adiectione eo facilius admittendum esse, quam ut contrahens se gerat pariter erga ipsum contractum matrimonialem. Proinde praesumendum est voluisse matrimonium, et postea lusisse conditionis verbis.

Si autem ex circumstantiis constaret serio appositas fuisse conditiones, quoad turpem non esset attendenda eius purificatio, quin potius derelinquenda. Si tamen manente priori voluntate, conditio eveniret, matrimonium oriretur,

secundum traditam doctrinam. Conditio vero impossibilis matrimonio addita serio ipsum redderet nullum, immo esset signum maximae aversionis ab ipso.

492. **Conditio matrimonio contraria.** — Sequitur in canone: 2° *Si* « conditio », ut in eius can.ª principio « sit » *de futuro contra matrimonii substantiam*, prout haec integratur proprietatibus ac dignitate sacramenti, scilicet: quae conditio aut finem principalem matrimonii excludat, cui caeteri subordinantur, vel aliquam essentialem proprietatem, sicut patet in Decretalium textu; nam « si generationem prolis evites » est contra finem illum, « donec inveniam aliam etc. » impetit matrimonii indissolubilitatem; atque « si pro quaestu adulterandam te tradas » directe opponitur unitati quoad exclusionem alterius personae in maritali consortio. Nec de his tantum conditionibus est doctrina intelligenda, cum illae conditiones ibidem inserantur exempli causa, propter verbum: « puta si alter dicat alteri ». Praeterea istae conditiones non sunt accipiendae tamquam suspensivae de futuro, etiamsi aliquem eventum exprimant futurum. De secunda evidens est quod matrimonii vinculum est a contrahentibus statim volitum usque ad conditionis factum. Nec minus certum est de tertia, quia non intelligitur adulterium nisi praecesserit matrimonium; ac denique omnes similiter contrahentes intendunt statim simul convivere tamquam veri coniuges. Adiectiones ergo huiusmodi intelliguntur qua conditiones, inquantum sic contraentes in matrimonium consentiunt dependenter ab illa conditione, quod idem est ac obiectum consensus matrimonialis per dictam conditionem limitare. Hoc enim modo fit, ut sit vera conditio quatenus a modi adiectione distinguitur, sicut haec supra est declarata.

Iam his praesuppositis patet quam sapienter dixerit Pontifex: « matrimonialis contractus... caret effectu »; per illas enim conditiones excluditur requisitus necessario consensus matrimonialis, qui haec omnia implicite saltem complecti debet. Additur: « quantumcumque sit favorabilis », quia praesumptio valoris nequit adversus veritatem nullitatis praevalere. Ac revera ille qui apponit contractui matrimoniali conditionem adversam substantiae obiecti eius, habet in mente ac voluntate obiectum essentialiter distinctum a matrimoniali vinculo, quod iure naturali ac divino est constitutum. Ergo voluntas matrimonii contrahendi ea in hypothesi non existit. Et nullitas haec propter allatam rationem est innixa naturae matri-

monii, unde affirmanda est de hoc contractu, etsi ab infidelibus tali modo stipuletur.

Hoc sensu igitur ac optime in canone circa eamdem quamcumque conditionem asseritur: matrimonium sic contractum, idest *illud reddit invalidum.*

Praestat de duabus conditionibus contra substantiam quasdam addere considerationes valde utiles, imo et necessarias. Conditio contra ipsum bonum prolis quam exprimit Greg. IX per verba: « Si generationem prolis evites », sumi potest vel sensu turpi, idest « si generationem prolis evites » per abortum, onanismum, sumens venena sterilitatis, etc.; vel sensu honesto, nempe per non usum matrimonii, servando castitatem.

In sensu turpi dicta conditio est proprie contra substantiam, quando contrahens per eam intendit excludere ipsum ius et relativam obligationem, admittens tantum illicitos actus. Si vero contrahens intendit sese obligare, verum matrimonium inire, et ea conditione vult tantum sibi fieri ab altera parte promissionem de abusu iuris matrimonialis, non est conditio contra substantiam, sed modus seu stipulatio adveniens matrimonio valide contracto, ac matrimonium tunc valet et conditio vitiatur. Qualis de facto fuerit intentio contrahentis, constabit in foro interno ex eius confessione, et in foro externo iudex desumet eam ex circumstantiis.

Sed haec conditio si apponatur simpliciter excludit ipsum ius ex cit. c. ult. « De conditionibus » nisi aliud probetur. Apposita vero cum aliqua limitatione v. g.: « Dummodo post primum vel alterum filium prolem evitemus de caetero abusuri matrimonio », vel: « Dummodo interim omnem prolem excludamus, donec melior fortuna arrideat », indicat contrahentem voluisse verum inire matrimonium, sed simul abuti iure matrimoniali, nisi aliud constet.

Si in sensu honesto posita fuit illa conditio « si prolem evites », de servanda scilicet castitate in statu matrimoniali, eadem in primis fieri debet distinctio. Nam matrimonium irritum est, si contrahens ea conditione intendit nullum tradere ius aut acceptare. Si vero contrahens intendit ea conditione, excludere tantum iuris matrimonialis exercitium, salvo iure ipso, subdistinguendum est. Nam si conditio est de servanda castitate ad tempus e. g. « Dummodo castitatem servemus per tres annos, vel post alterum filium », omnes admittunt matrimonium valere, quia ius potest utique temporance ab eius exercitio separari, et matrimonium in iure consistit. Si e contrario conditio est de servanda castitate in perpetuum, non levis est DD. controversia, an matrimonium valeat nec ne. Quaestio huc redire debet: an ea conditione reipsa ius ipsum excludatur. Si affirmative, matrimonium est nullum; si negative, matrimonium valet.

Iam vero plures, praesertim inter recentiores negant; quia 1° distingui potest ipsum ius et dominium in corpora ab usu iuris ipsius. Per matrimonium enascitur ius, per conditionem ius restringitur vel ligatur obligatione non utendi eo iure, vel iuxta aliquos in matrimonio sufficit si tradatur ius remotum et radicale ad prolem gignendam, non autem requiritur ut tradatur ius proximum et

expeditum. Exemplum adducunt de pupillo, qui utique dominium verum acquirit, illud autem non obtinet expeditum.

2° Adsunt exempla piarum personarum, quae ligatae erant voto perpetuae virginitatis servandae, quae proinde vel contraxerunt cum conditione servandae virginitatis, vel sese exposuerunt periculo votum violandi. Cum hoc alterum nequeat supponi, primum tenendum est. Ergo valet tale matrimonium.

Aliorum sententia fulcitur auctoritate D. Thomae aientis [1]: « quod illa conditio explicita non solum actui, sed etiam potestati contrariatur copulae carnalis, et ideo est contraria matrimonio ».

Quod ita videtur demonstrari: Ius subiectivum est « facultas moralis quidquam agendi vel exigendi inviolabilis ». Quod vero haec facultas impediatur in suo exercitio per accidentalem causam vel ipsi extrinsecam, quae propterea temporalis erit, recte concipitur. Sed cum praedicta facultas in iure matrimoniali ad corpus oriatur ex consensu expresso matrimoniali, nequit concipi ut ex eodem consensu in praxim deduci nequeat in perpetuum. Et hoc quidem contingeret propter praedictam conditionem expressam in consensu matrimoniali. Nam revera contrahentes vi consensus mutui non haberent facultatem moralem et honestam utendi corpore alterius.

Hinc renunciatio expressa et absoluta usus matrimonii potest utique fieri post acceptum ius, quin contractus destruatur, quia contractus iam est celebratus; si autem fiat in ipsa contractus celebratione, contractus non perficitur. Nec valet exemplum pupilli, quia interdictio exercitii iuris non est absoluta et perpetua, sed est temporanea, nec repugnat aliquem posse recipere ius, quod illico non exerceat.

Quoad vero matrimonia celebrata a piis personis obstrictis voto perpetuae castitatis (non loquimur de voto solemni in sensu iuris, quod matrimonium dirimit) adverti potest, propositum seu promissionem servandi castitatem antecedens matrimonium, non officere valori contractus, dummodo expresse non deducatur in pactum. Nam contractus celebratus absque adiecta conditione habetur uti absolute celebratus, et constans omnibus suis essentialibus elementis. Hinc revera locum habet plena traditio iuris. Solummodo pars quae castitatis voto ligatur, sese exponit aut saltem sese exponere potest periculo violandi votum, et ex hoc capite matrimonium est illicitum.

Sed si coniux qui voto ligatur ex divina revelatione sciat alium coniugem non esse usurum iure, quod recipit, poterit non solum valide sed etiam licite matrimonium contrahere, atque ita explicatur quomodo inter Beatissimam Virginem et S. Ioseph extitit verum et licitum matrimonium non obstante voto virginitatis praeexistente ipsius Sanctissimae V. Mariae. Ita S. Thomas [2].

Bened. XIV in c. 22 lib. 13 « de Syn. dioecesana » fuse pertractat quaestionem circa valorem matrimonii Calvinistarum initum cum illa conditione: « Accipio et iuro quod non deseram, donec in honestate permanseris », et docet matrimonium valere si conditio haec expressa non fuerit in contractu, non valere autem si fuerit expressa. Ratio secundae partis apparet ex eo quod dissolubilitas in casu adulterii est contraria proprietati matrimonii. Hinc de-

[1] Suppl. q. XLVIII a. 1 ad 3m. — [2] 4 Sent. dist. 30, quaest. 2, art. 1.

ducta in pactum matrimonium irritat. Ratio autem primae partis est quia quicumque contractum vult et simpliciter exprimit consensum, vult necessario substantiam contractus ipsius, et quamvis contrahentes versentur in errore dissolubilitatis ex capite adulterii, tamen cum intendant contrahere matrimonium quod Christus instituit, praesumuntur implicite voluisse completam perpetuitatem contractus.

Animadvertit vero Bened. XIV in Ritualibus Calvinianis ita formam matrimonii exprimi, ut dissolubilitas ex capite adulterii procul dubio ceu conditio ingrediatur ipsam celebrationem contractus.

Quare ceu principium statui potest, intentionem contrariam substantiae aut proprietatibus matrimonii deductam in pactum, matrimonium ipsum nullum reddere; prout etiam Cong. S. Officii pluries declaravit. Ex gr. [1] « An sit validum matrimonium contractum inter catholicam et schismaticum haereticum, cum intentione foedandi, vel solvendi matrimonium?

R. Si ista deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla: sint aliter, sunt valida ». Videlicet: intentione praedicta matrimonium non invalidari, si solummodo in mente extiterit; nec deducta fuerit in pactum contractui adiectum. Haec doctrina particulari casui applicata invenitur in una Neo-Eboracen. coram Lega [2].

3° *Si de futuro licita* supple: « sit conditio semel apposita et non revocata », *valorem matrimonii* sicut aliorum contractuum *suspendit,* usquequo adimpleatur vel secus conditio per causam a qua illa pendeat, « cum, sicut ait Urb. III in cap. 5 h. t., huiusmodi consensus non sit de praesenti habendus, licet per verba de praesenti evidentius exprimatur », sed contrahentes manent interim obligati ad expectandum conditionis eventum, et saltem ad non obstandum conditionis purificationi, nisi etiam ad eius adimplementum curandum se obligaverint. — Si vero quacumque de causa, etiam ex contrahentis alterutrius culpa, conditio non verificetur matrimonialis consensus effectum non habet, idemque tenendum si ante conditionis eventum fuerit consensus retractatus ab alterutra parte, propter omnimodam consensus mutui necessitatem ad matrimonium perficiendum.

Sed numquid consensu non retractato et conditione purificata, matrimonium erit in facto, prout asseritur communiter de aliis contractibus? Affirmative respondendum, eo quod consensus mutuus primo expressus et perseverans usque nunc, propter conditionis purificationem est actus contrahentium qui consentiunt positive in matrimonium, et quia per modum contractus ille operatur, virtute pertingit ad obligationes inducendas tempore purificatae conditionis.

Nec obest Dec.[m] « Ne temere » aut « Tametsi »; dummodo forma ab eis

[1] 2 Oct. 1860. — [2] 9 Dec. 1911, CO. IV, 147.

inducta et ex Codice firmata servetur quando nupturientes consensum exprimunt matrimonialem, nam de illius expressione agunt Decreta, et Codex, tunc enim contractus matrimonialis initur a fidelibus, et quidquid ab eis faciendum est elicitur; quamvis ex natura huius sacramenti, sine alia opera eorum tamquam contrahentium, matrimoniale vinculum enascatur purificata conditione atque gratia sacramentalis eo mediante supernaturaliter producatur. — In praxi tamen, teste Fagnano *in comm. cap. 5, De conditionibus,* S. Congr. Conc., approbante ac iubente Clem. VIII, edixit recurrendum ad S. Sedem in singulis casibus; propter hanc alteram sententiam, quae propugnat iterandum esse consensum matrimonialem post eventum conditionis.

Ad rationem huius sententiae: ex cap. 5 h. t. ubi ait Urbanus III « cum huiusmodi consensus non sit de praesenti habendus, licet per verba de praesenti evidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo, consistit ». — Ibidem in clausula: « per verba de praesenti... exprimatur » notetur sufficientia expressionis iuxta Conc. Flor.^{m} in Dec.^{o} Eug. IV; et clausula: « huiusmodi consensus non sit de praesenti habendus » interpretanda quoad exitum virtutis eius, non quoad elementum matrimonialis contractus, quod est de vinculo matrimoniali mutuus consensus.

Et ad verba D. Th.[1] « aut est conditio contingens, ut datio pecuniae, vel acceptatio parentum: et tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro: unde non facit matrimonium ». — Hoc ultimum est interpretandum in tempore quo enuntiatur consensus matrimonialis sub tali conditione, et hoc ipsum cum sponsalibus habet commune: sed valde differunt ad invicem, nam obiectum sponsalium est contractus matrimonialis postea ineundus ut vinculum matrimoniale incipiat; obiectum autem matrimonii sub praefata conditione est ipsum vinculum coniugale, tantum postea contingenter subeundum.

Iuxta definitionem conditionis in huius canonis capite datam et secundum consensus matrimonialis necessitatem ut « matrimonium fiat » (can. 1081, § 1), evidenter statuitur *4.° Si de praeterito* facto, *vel de praesenti* eventu vel re, « sit conditio semel apposita et non revocata » (clausula prius dectarata), *matrimonium* qua contractus *erit validum* ad coniugale vinculum producendum, *vel non*, respective: *prout id*, factum resve aliqua, *quod conditioni* expresse *subest* ignotum alicui ex contrahentibus, *existit re vera vel non*, quia in prima hypothesi consensus expressus absoluto aequipóllet, in secunda consensus matrimonialis abest, non secus ac si « quod conditioni subest » notum esset praedictis; dum vero ignoratur validitas, ob periculum verae fornicationis abstinendum est contrahentibus a consortio coniugali.

[1] Supplem. q. XLVII a. 5 c.

493. **Praesumptio iuris de consensus matrimonialis perduratione.** — Vidimus in can. 1081, § 1 quod « consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri valet », sed hic « actus voluntatis utriusque partis », qua talis transiens, potest permanere virtualiter in quodam eiusdem effectu, vel habitualiter solum in animi dispositione. His suppositis, ait *can. 1093. Etsi matrimonium invalide* hoc est: inefficaciter *ratione solius impedimenti* proprie dicti ad normam Capt.is IV *initum fuerit, consensus* matrimonialis qui praesupponitur *praestitus, praesumitur* « praesumptione iuris simpliciter » (can. 1825) *perseverare* saltem habitualis quantum necesse fuerit ad obtinendam iuridicam efficientiam, *donec de eius revocatione,* contraria nempe voluntate, *constiterit* ob certas probationes. Quae praesumptio connectitur logice cum « favore iuris quo matrimonium gaudet » (can. 1014).

CAPUT VI.

De forma celebrationis matrimonii.

Can. 1094. - Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099.

Can. 1095. - § 1. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:

1.° A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati;

2.° Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimonium nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt;

3.° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

§ 2. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut infra fines sui territorii matrimonio valide assistat.

Can. 1096. - § 1. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est.

§ 2. Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

Can. 1097. - § 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:

1.° Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris;

2.° Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

3.° Habita, si conditiones deficiant de quibus n. 2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.

§ 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.

§ 3. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat.

CAN. 1098. - Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096:

1.° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;

2.° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.



494. **Inscriptio Capitis**. — Cum consensus matrimonialis manifestatione, quam ultimo explicavit praecedens Caput, intimam connexionem quoad eius legitimitatem habet *Caput VI* inscriptum *De forma*, scilicet: praefatae manifestationis extrinseca solemnitate, quam praescribunt canones in actu *celebrationis matrimonii*, ut haec veluti actus publicus coram Ecclesia fiat, prout opponitur celebrationi contractus tanquam privati inter partes, qui propter hoc matrimonium clandestinum audiit.

Verbum et « substantiali » et « accidentali » a Doctoribus frequentatum omissum est, satis rationabiliter, quia etsi revera diversae praescriptiones pro contractus ipsius validitate vel sola liceitate sint

[1] Vide in pagg. 639, 649, can. 1099-1103.

servandae, attamen valde remotam similitudinem illa habet cum forma substantiali ex qua derivatur, adhibita ut significetur proprie corporis constitutivum in philosophica doctrina, dum e converso proprietas verborum in ss. canonibus sit semper servata ad normam can. 18.

Primum haec matrimonii forma fuit in ius canonicum inventa per Conc.[i] Trid.[i] cap. Tametsi « de matrimonii reformatione » (session. XXIV), ac postea complementum recepit per convenientem mutationem in Decreto « Ne temere » S. Congr. Concilii [1], quod vigere incepit « a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. Iesu Christi anni 1908 », die videlicet 19 Aprilis. Exceptio tamen concessa est per Epistolam S. Congr.[s] de Prop. Fide ad Sinae Ordinarios, in qua legitur: « Sanctitas sua... S. Congr.[i] de Prop. Fide commissit ut pro tota regione Sinensi concedere posset prorogationem ad annum, hoc sensu ut praefatum Decretum in Sinensi territorio vim legis incipiat habere a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. Christi (scilicet: 11 Aprilis) 1909. Potestate itaque huiusmodi, Amplitudini tuae significo Dec.[m] « Ne temere » in Missione tuis apostolicis curis concredita vim legis non habere nisi a die praedicto ». Supervenerunt Decreto plures S. Congr. Concilii Declarationes, quae nunc suis locis apte dispositae cum illius Decreti tenore, in perpetuam rei memoriam sub hoc Capite Codicis sunt relatae.

S. Trid. Synodus ait: « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant;... nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, cum S. Synodus animadvertat, prohibitiones illas, propter hominum inobedientiam, iam non prodesse; et gravia mala perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent; praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius ali-

[1] 2 Aug. 1907.

quod remedium adhibeatur; idcirco » provide cavit Trid. Conc. edicens: « Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit: et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

Sed [1] « accidit ut plura loca, in quibus publicatio (Decreti Conciliaris) facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint,... et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia manerent.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis extitit dubitatio in decernenda persona parochi quo praesente matrimonium sit contrahendum... Enimvero quia nonnumquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere evenit, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus etiam disiunctissimis perficiuntur ». — Hae sunt rationes quoad huius instituti de matrimonii celebratione initium ac vicissitudines.

495. **Canonum ordinata distributio** est in duas partes, quarum prima protenditur usque ad can. 1099 de forma servanda, ut matrimonium valide fiat, altera vero a can. 1100 usque ad finem de his quae celebrationis liceitatem attingunt, vel eamdem subsequuntur celebrationem. Forma praedicta succinte ostenditur in can. 1094, et magis determinatur pro pastoris assistentia in can. 1095, et pro alterius sacerdotis in can. 1096, illius vero licitam moderatur assistentiam can. 1097. Exceptiones in can. 1094 iam enuntiatae exponuntur in can. 1098 pro incommodo gravi adsistentiae necessariae obtinendae, atque in can. 1099 quoad personas ab hac forma servanda iure exemptas. Sequuntur canones de ritibus in hac matrimonii celebratione servandis, et can. 1100 in genere loquitur, can. 1101 de sponsorum benedictione, can. 1102 utrosque respicit praecedentes pro matrimoniis inter partem catholicam et acatholicam, ac ultimus can. 1903 matrimonii adnotationes praescribit omnino faciendas.

[1] Decretum « Ne temere » in eius initio.

496. **Formam in genere servandam** in matrimonii celebratione summariè praescribit *can. 1094* ipsis Decreti verbis (n. III): *Ea tantum matrimonia*, ceteris ergo matrimonialibus contractibus, qui iure canonico regantur, exclusis, *valida sunt*, ut consensus coniugale vinculum faciat, *quae contrahuntur*, ad formam quod attinet iuxta inscriptionem capitis, *coram* a) *parocho* sic dicto propter ipsius officium et ad normam can. 451, ut confirmatur ac explicatur ex Declarationibus infra referendis, b) *vel loci Ordinario*, sed verbum « loci » est hic positum, ut designetur « Ordinarius » accipiendus ad normam can. 198, § 2, c) *vel sacerdote*, ratione presbyteralis ordinationis aut etiam Episcopalis consecrationis, *ab alterutro* ex antedictis *delegato* (et sic exprimitur non propter exercendam iurisdictionem quam recipiat, sed ob actum officio stricte dicto adiudicatum), atque unus eorum disiunctive sufficit, sed simul *et* coram *duobus saltem testibus*, unde unus tantum non sufficit, necesse autem non est quod sint a partibus designati, nec duo pro unaquaque earum. Haec forma in seq.[s] canonibus magis determinatur, prout innuit addita clausula: a) *secundum tamen*, eo quod validitatem etiam quaedam attingant, *regulas expressas* implicite saltem *in canonibus qui sequuntur*, positi sub hoc capite, ac praesertim in tribus immediate post hunc, b) *et salvis* pluribus quam duae *exceptionibus de quibus in can. 1098* relaxante partialiter hoc praescriptum pro casibus necessitatis forsan sine mortis periculo, et in *can. 1099* excludente quasdam etsi baptizatas personas ab eodem servando.

Declarationes supra indicatae sunt sequentes [1]: « 1. Utrum vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, possit post Ordinarii approbationem licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio apposita fuerit. 2. Utrum idem vicarius id possit etiam ante Ordinarii approbationem. 3. Utrum idem vicarius parochi religiosi id possit post approbationem Ordinarii, sed ante approbationem Superioris religiosi. 4. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in cit. can. 465, § 5, id possit ante approbationem Ordinarii. — Resp. Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit ».

[1] Commissio Pont. ad ss. can. auth. interpret. V. 14 Iul. 1922. CO. XIV, 527.

Exceptionum canonis occasione opportune referendae sunt duae Declarationes S. Congr. Conc. [1], quibus patet etiam nunc illas tantum exceptiones per ss. canones vigere.

« VII. An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt... 2° dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis (et en primum casum propositum), sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti » (et ecce secundum casum propositum). S. vero Congregatio respondit non tantum ad casus, sed generaliter, sicut apparet ex contextu. « Ad VII... Quoad 2m concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum Rectoribus, facto verbo cum Sanctissimo ». Quod circa responsionem admonui, constat non fuisse animadversum ab sciscitantibus in sequenti Dec.° S. Congr.s de Sacramentis [2].

« IX... 3° quidam Ordinarii Sinenses quaerunt: Utrum responsum S. C. C. diei 27 Iul. 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito propositos; et quatenus affirmative, postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis;... Emmi Patres ita respondendum censuerunt:... Quoad IX... Ad 3m. Quoad 1m. Negative,; quoad 2m. Provisum in primo » idest: respondendum illud intelligendum quoad omnes casus verae necessitatis.

Item ex cit.° 1° Dec.° « IX. An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium adsistant, nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio. Ad IX non esse interloquendum ». Responsio valde prudens ad invidiam civilis potestatis vitandam, et quia proposito casui aliter secundum ss. cc. iam provideri potest.

Praeter ministrum antea dictum praesentem, requiruntur testes saltem duo, quorum speciales qualitates non memorantur in ullo Decreti articulo, nec Codicis canone, et hinc ad Dub. S. Congr.[1] de Sacr. propositum [3]: « IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII, VIII... Emmi PP.... respondendum censuerunt:... Quoad qualitates testium a Decreto « Ne temere » nihil esse immutatum ». Quapropter sufficiunt sicut antea qualitates ex natura rei requisitae, ut de contractu matrimoniali testificari possint. Unde valide assistere nequeunt, v. g. infantes, amentes, ebrii; sed e contra impuberes v. g., mulieres, excommunicati, haeretici, schismatici atque etiam pagani habiles sunt ad sufficientem assistentiam. In matrimoniis vero catholicorum licite adhiberi nequeunt acatholici

[1] 27 Iulii 1908. Acta S. Sedis, vol. XLI. — [2] 12 Martii 1910, CO. II, 193. — [3] 12 Martii 1910, CO. II-193.

testes, nisi gravis causa excuset atque scandalum vitetur. Quos testes designare sponsorum est, non parochi, servatis etiam laudabilibus consuetudinibus ac dioecesanis statutis.

Adnotandum: in hoc art. III quoad ministrum Ecclesiae uti testem autorizabilem matrimonii, nihil caveri a Decreto circa eius ordinem sacrum, quando ipse assistat ratione sui officii, sive cum animarum cura in foro tantum interno ut parochus, sive in foro quoque externo, qui venit nomine Ordinarii; quando vero non assistit ratione praefati officii vult lex ut sit sacerdotali ordine insignitus, et ab aliquo praecedentium delegationem obtinuerit. Hinc parochus adhuc diaconus, et Vicarius generalis non sacerdos et Episcopus nondum consecratus, possunt esse testes autorizabiles iure proprio vi huius art.[i]; diaconus vero vel inferior clericus non potest habilitari ab Episcopo ut testis autorizabilis per delegationem fiat. Dixi: « vi huius art.[i], nam etiam ordo sacerdotalis quoad aliquos parochos requirebatur ex art. II ». Ex Cod.[s] can.[c] 154 omnes praedicti « sacerdotio initiati sint ».

497. **Regulae ut matrimoniis valide assistant animarum pastores.** — Art.[o] IV Dec.[i] « Ne temere » conformis est *can. 1095* tradens regulas intra quas coarctatur munus quoad assistentiam matrimoniis praestandam, ut ea sint valida, et sic statuit § 1. *Parochus et loci Ordinarius* in can. praec. declarati *valide* iuxta illum *matrimonio* unicuique *assistunt* personali praesentia: — *1.°* quoad tempus. *A die tantummodo,* scilicet non antea, seu initium temporis esse coniunctum a) cum facto *adeptae canonicae possessionis,* si agatur de provisione obtenta *beneficii* episcopalis, praelatitii vel parochialis stricto sensu definiti per can. 1409, *ad normam can. 334,* § *3* ubi legitur: canonicam dioecesis (« sub cuius nomine venit quoque Abbatia vel Praelatura nullius » can. 215, § 2) capiunt Episcopi (« sub cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » can. 215, § 2) residentiales simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario Capituli vel cancellario Curiae, qui rem in acta referat », et can. *1444,* § *1* [1] quoad parochialis beneficii possessionem, *vel* b) cum exercitio *initi officii* cum animarum cura, si hoc non constituat beneficium; atque perdurat dum parochus et Ordinarius loci sensu Codicis possint appel-

[1] Can. 1444, § 1. Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum iure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iuxta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis ».

lari, cum exclusione tamen illius temporis in quo subiecti maneant sequentibus poenis, nempe, *nisi per sententiam* damnatoriam *fuerint* a) *excommunicati*, b) *vel interdicti* personaliter, quod non erat cautum in Dec.° « Ne temere », c) *vel suspensi ab officio* propter quod « valide matrimonio assistunt », *aut tales,* ut in specie dictum est, *declarati*, scilicet: quod aliquam praefatam poenam incurrerint.

Hinc si parochus vel Ordinarius committat peccatum propter quod incurrat alias censuras vel poenas non expressas in canone, aut expressas absque alterutra sententia praedicta in canone, potest etiam valide assistere matrimonio antequam absolvatur vel dispensetur ab illis. Quinimo regulariter, etiamsi patraret delictum, cui adnexa sit privatio officii facto ipso incurrenda; quia etiam in hoc casu « ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sine infamia nequit » (can. 2232, § 1). Similiter suspensio ab ordine, quamvis nominatim atque publice infligeretur parocho, non auferret ipsi conditionem testis autorizabilis pro matrimoniis valide celebrandis.

In n.° 2° quoad circumscriptionem loci dicitur: *Intra fines dumtaxat sui territorii*, quod ratione officii stricto sensu ad normam can. 145 sortiuntur; sed cum hac ampliatione: *in quo matrimoniis* alterutrius saltem catholici *nedum suorum subditorum* ad normam can. 94, *sed etiam* sponsi et sponsae *non subditorum* ulla ratione *valide assistunt.* Applicatur enim respectu adsistentiae axioma: « Locus regit actum ». Hic sponte se offert Dubium VIII propositum S. Congr. de Sacramentis [1]: « Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem Dec.[1] « Ne temere » existimari possint et valeant tanquam territorii parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum assistentiae matrimonio ». Cui dubio S. Congreg. respondit: « Ad VIII. Affirmative ». Duo alia Dubia fuerant prius soluta per S. Congr. Conc. [2].

« Dubium VIII. Ubinam et quomodo parochi qui, territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant.

X. Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.

[1] 12 Martii 1910, CO. II, 193. — [2] 1 Feb. 1908. Acta S. Sedis vol. XLI.

Ad VIII. Affirmative in territorio cumulative habito.

Ad X. Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem ».

Denique iuvat animadvertere praefatum num.^{m} non intelligi de illis, qui regunt paroecias constitutas ante Codicem « pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, aut mere familiares vel personales » (can. 216, § 4), proindeque valide non assistunt matrimoniis non subditorum cappellani castrenses et alii parochi habentes fideles subditos ratione personarum.

Iuxta §^{m} 3^{m} Dec.[1] tres conditiones concurrere debebant in exercitio ministri Ecclesiae quoad praestandam valide assistentiam matrimoniis. Dicitur enim ibidem: « dummodo invitati et rogati », et en prima tunc conditio, nunc abrogata cum relativa S. Congr. Conc. declaratione ob canonis silentium de illa, qui sub n.° 3° incipit: *Dummodo,* verbum exprimens conditionem pro valido agendi modo, scilicet: ut liberi sint, *neque vi*, seu physica coactione, qua v. gr. in Ecclesia retinerentur singuli, *neque metu gravi* proter minas gravis damni probabiliter futuri (importunae autem preces ac etiam minae atque inflictio parvi alicuius damni nihil obstant), *constricti,* nempe: illa vel hoc incusso ad id quod sequitur: nam etsi contrahentes sint veri ministri sacramenti matrimonii et queant ex seipsis sufficientem exprimere consensum, attamen modus dignitati sacramenti aptior et Rituali Romano magis conformis praescriptus est ad matrimonii validitatem, ut nempe minister Ecclesiae active se habeat, dum prosequitur canon: *requirant* aliquo modo forsan interrogativo, *excipiantque* per relativam *contrahentium* manifestationem circa eorum proprium *consensum*, quamvis expressio quaedam in hoc faciendo non sit necessario determinata, imo alia diversa ab ea quam Rituale Romanum praescribit, vel signis tantummodo data non officeret matrimonii validitati. Hoc postremo requisito praeclusa est via matrimoniis ex inopinato contractis adversus ministrorum Ecclesiae voluntatem, nec favetur e contra cuiuslibet ministri arbitrio laedentis forsan sponsorum libertatem, ac se opponentis eorum voluntati, quia si haec iusta sit, alium ministrum administrationis etiam licitae invenire possunt.

Mutato Decreti ordine praescriptionum, elucet ob connexionem

cum §° praec.¹ sensus § 2. *Parochus* unusquisque *et loci Ordinarius*, quilibet ut supra declarati, *qui matrimonio* unicuique *possunt valide assistere* ad normam num. 1¹. praec.ˢ §.¹ *possunt quoque* scilicet: retinentes simul facultatem personaliter assistendi ac secundum reg. Iuris 68 in 6.° « Potest quis per alium, quod potest facere per ipsum », *alii* cuicumque etiam parocho vel alterius loci Ordinario a) *sacerdoti*, Episcopo aut presbytero propter ordinem, non diacono vel inferiori clerico, b) *licentiam dare*, veluti ad actum iure sibi ex officio adiudicatum, c) *ut intra fines sui territorii* iuxta num. 2ᵐ praec. §¹, quia secundum reg. Iuris 69 in 6.°. « Nemo potest plus iuris trasferre in alium, quam sibi competere dignoscatur », d) *matrimonio* singulari, ut seq.¹ can.ᵉ praescribitur, « etiam non subditorum » dantis licentiam e) *valide assistat,* sic dictum eo quod de liceitate alii servandi canones sunt solliciti, et ad exprimendas implicite conditiones sub n.° 3° uti necessarias pro validitate, quod arguitur sive quia in Dec.° « Ne temere » legitur: « Delegatus autem ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci ordinario n. IV et V superius statutas », sive quia esset omnino absonum ut assistens ex licentia ad modum assistendi parocho atque loci Ordinario necessarium omnino pro validitate non esset adstrictus, sive demum, quia tali modo est « valide assistere ».

498. **De licentiae concedendae limitationibus.** — Relationem cum praec.¹ canone patefacit sic incipiens *can. 1096.* § 1. *Licentia assistendi matrimonio*, quae in Dec.° et mandati nomine vocatur et aequivalet delegationi, quae iuxta n.ᵐ III Dec.ⁱ conformem canoni 1094 necessaria est Sacerdoti non habenti officium cum plena cura animarum, ut testis autorizabilis evadat cuiusdam matrimonii; illa igitur « licentia » *concessa ad normam can. 1095*, § 2 nempe: « ut intra fines territorii (licentiam dantis) matrimonio valide assistat », secundum interpretationem huiusmodi clausulae adiunctam, *dari* per alium vel immediate a) *expresse* scilicet: verbis, scripto vel aequipollentibus signis *debet,* quod est novum respectu Dec.¹, atque hinc excluditur tacita concessio ex factis, b) *sacerdoti,* sicut relinquitur praescriptum in praec.¹ can.ᵉ, *determinato* singulariter per nomen et cognomen, aut per qualitatem, vel circumstantias in licentiae concessione expressas, quin caveatur sicut in Dec.°, ut sit quoque certus, ita ut dubitari non posset de persona cui

censeatur dari mandatum, quamvis certitudo in determinatione includatur; e contra superadditur limitatio usque ad Codicem non vigens: *ad matrimonium* singulare, quia *determinatum*, dum interrogata S. Congr. Conc. [1]. « Dubium IV. Utrum ad valide et licite matrimoniis adsistendum, ad tramitem art. VI Decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis? Ad IV. Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo ac restrictam ad territorium delegantis, » nunc autem matrimonia singula sunt designanda in concessione licentiae pro unoquoque propter clausulam: *exclusis quibuslibet delegationibus*, etsi parum *generalibus* quoad delegatos aut matrimonia, quia ex contextu illos et haec afficit clausula exclusiva, una solum admissa exceptione: *nisi agatur de vicariis cooperatoribus*, nempe: simul cum parocho vineam Domini paroecialem excolentibus, de quibus loquitur can. 476, ubi adnotavimus ad § 6 in Commentario textus, quod hi vicarii non gaudent plena paroeciali potestate, nec parochorum nomine in iure veniunt: indigent ergo hac delegatione, quae si sit generalis quoad matrimonia, debet vi canonis quem commentamur eis dari solum *pro paroecia cui addicti sunt* qua tales; *secus* ac in toto §° designata est delegatio, propter aliquem defectum *irrita est*, quod est idem ac si deesset omnino.

Opportune animadvertatur ex Instructione S. Congreg.[s] de Propaganda Fide [2], n. 7. « In erectis quasi-paroeciis pro matrimoniorum celebratione attendatur oportet ad canones 1096 et 1095; in locis vero ubi ipsae constitutae non sunt, Missionarii censendi sunt cooperatores Vicarii vel Praefecti Apostolici, atque proinde licentia generali ab Ordinario concessa valide et licite adsistunt matrimoniis ».

Liceitatem solam huius concessionis respicit § 2. *Parochus vel loci Ordinarius*, ut in §° 2° can.[s] praeced[s]., *licentiam* de qua hucusque *ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius* vigens quodcumque, praesertim in Codice, *constituit* obligatorie *pro libertate* ab impedimentis ad matrimonium contrahendum, scilicet: *status* personae, qui iuribus ac officiis eius constat, *comprobanda*. Eapro-

[1] 27 Iul. 1908, Acta S. Sedis vol. XLI. — [2] 25 Iul. 1920. CO. XII, 332.

pter licentiam recipiens potest procedere tuta conscientia, et illi matrimonio tanquam secundum canones licito adsistere.

499. **Licita parochi ac loci Ordinarii assistentia matrimoniis.** — Sequens canon magni est momenti, quia ut diximus in can. 1020 ad clausulam « parochus, cui ius est adsistendi matrimonio », haec interpretanda est pro praxi secundum *can. 1097* in quo, expressis iam regulis servandis per Ecclesiae ministros, ut valide ineatur matrimonium, continentur sub tribus §§is ac fere iisdem Dec.[1] verbis mutationes opportunae capiti « Tametsi » quoad proprium ad liceitatem parochum determinandum. § 1. *Parochus autem,* qui ex can. 1095 valide assistit, *vel loci Ordinarius* respectivus, ac in eo can^e. declarati *matrimonio* unicuique *licite assistunt,* liceitas ergo consideratur in ordine ad inscriptionem capitis: —

1° *Constito sibi*, nempe: ut ipse moraliter certus sit, sed *legitime* id est, proveniente ex observantia ss. canonum vigentium illa certitudine *de libero statu contrahentium,* quae ab impedimentis immunitas erit *ad normam iuris* mensuranda.

S. Congr. de disciplina Sacramentorum ad hunc locum opportune admonet in eius Instr. num. 1. « Ordinarii in parochorum memoriam revocare satagant haud licere ipsis adstare matrimonio, ne pretextu quidem et intentione avertendi fideles a turpi concubinatu, aut praecavendi scandalum coniugii, quod vocant, civilis, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis, (can. 1020 et 1097 § 1, n. 1 Cod. iur. can.) iidemque moneantur ne omittant, ad normam can. 1021, baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic in alia paroecia fuerit illis collatus ».

2.° *Constito insuper* sicut supra, sed modus certitudinem acquirendi est quilibet aptus ad cognitionem a) *de domicilio* paroeciali aut dioecesano, b) *vel quasi domicilio,* quod erat in Dec.° omissum, alterutro ut prius iam acquisito nec amisso ad normam can. 92, 95, c) *vel menstrua* praemissa et actuali *commoratione*, quae continuitatem innuit, d) *aut* pro casu tantum: *si de vago agatur*, qui proinde « nullibi domicilium habeat vel quasi domicilium » (can. 91), *actuali commoratione* quamvis infra mensem *alterutrius contrahentis*, quod sufficit, *in loco matrimonii*, sive ille consideretur, ut paroecia vel quasi-paroecia, sive tanquam dioe-

cesis, vicariatus vel praefectura pro diversitate domicilii et quasi-domicilii, quae supra fuit indicata, pro qua diversitate licite assistunt disiunctive parochus vel loci Ordinarius. Hinc plures parochi in proprio territorio singuli possent licite assistere valido matrimonio, imo multiplicari possent quando uterque coniux in distincta paroecia commorationes fovet praedictas; determinandus vero esset *a*) sicut ius habens, per commorationem aliquam ex praedictis legalibus sed actualem, *b*) quoad iuris exercitium assistendi matrimonio, per sponsorum electionem.

Electio ecclesiae in qua celebrent matrimonium sponsis relicta apparet in n.° 3.° *Habita,* « ut parochus vel loci Ordinarius matrimonio licite assistant », *si* pro his *conditiones deficiant* omnes *de quibus n. 2, licentia*, veluti pro actu ad ius sui officii pertinente, *parochi vel Ordinarii* nempe: alterutrius proprii ratione a) *domicilii* b) *vel quasi-domicilii*, attamen si haec sint dioecesana, « licentia Ordinarii » solummodo, c) *aut menstruae* iam transactae et adhuc actualis *commorationis*, quae supponitur continua, ac sufficit quod hae commorationes sint *alterutrius contrahentis*, ad electionem parochi vel loci Ordinarii qui « habenda licentia » indigeat iuxta reg. iuris in 6° « 70. In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri », a qua petenda licentia eximuntur per duas sequentes exceptiones: a) *nisi vel de vagis* utrisque *actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis*, saltem actualis menstruae vel habitualis comprehensae in domicilio vel quasi-domicilio, *sedem habent*, proinde utrique intelligendi. Haec exceptio vere implicita in praescripto, eatenus fuit utiliter addita, ne ad hunc casum pro uno tantum ex contrahentibus extenderetur canon, sicut poterat fieri vigente Decreto, ex quo altera desumpta est exceptio: b) *vel gravis necessitas* contrahendi matrimonium vel vitandi grave damnum ex procrastinatione probabile *intercedat, quae a licentia petenda excuset*, sicut admittitur pro excusatione a positivis humanis legibus secundum harum gravitatem.

Interpretationem datam confirmant sequentes iuris praec.is Declarationes S. Congr.i Concilii [1] fuit propositum « Dubium V. An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam

[1] 28 Martii 1908. Acta S. Sedis, vol. XLI

quasi-domicilii ». Respondit: « Ad V. affirmative ad 1am partem, negative ad 2am ». Idest: primam sufficere, prouti et nunc. — S. Congr. de Sacramentis [1] sic declaravit: « Dubium V. Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur:... *b*) Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae, (seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi domicilium habent), — Quoad V.... Ad *b*) provisum per responsum ad quintum datum a S. C. C. die 28 Martii 1908.

c) Utrum nomine vagorum de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum. — Ad *c*): Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli, qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii (nunc quoque: vel quasi-domicilii ad normam can. 94, § 1) vel menstruae commorationis ».

Quae responsio ad *b*) vere aptatur illi § 3° Decreti quatenus relationem habuit ad praefatam obtinendam licentiam, et quo sensu de vagis fit hoc in canone mentio; sed ille alter §us 4 propriam sedem in Codice obtinuit sub can. 1032, cui non aptatur responsio S. Cong.s de Sacramentis ad *c*) explicite exclusa per verba « de quibus in can. 91 ».

§. 2. *In quolibet casu* ex praedictis sub n.° 2° *pro regula habeatur* sequenda, quae tribuit ius, a) *ut matrimonium* unumquodque *coram sponsae parocho* ratione commorationis actualis, si illa sit vaga, vel haec fuerit menstrua, aut ratione quasi-domicilii vel domicilii *celebretur* ad hoc ut fiat licite celebratio, « cui parocho ius est assistendi matrimonio » prae parocho sponsi, *nisi iusta causa* seu rationabilis *excuset* a praefata « regula »: b) *matrimonia autem catholicorum* quod verbum excludit impedimentum mixtae religionis, *mixti ritus,* nempe: diversi ritus sponsi ab alio sponsae, quoad matrimonia huiusmodi, « pro regula habeatur ut celebrentur », *nisi aliud particulari iure* scripto vel consuetudinario alicuius ecclesiae orientalis aut locorum *cautum sit,* a) *in ritu viri* b) *et coram eiusdem parocho*, ratione supra declarata de « sponsae parocho », *sunt celebranda,* « cui parocho hinc ius est assistendi matrimonio » (can. 1020, § 1).

Constitui per hunc canonem singulorum parochorum ius adsistendi determinatis matrimoniis confirmatur, quando circa emolu-

[1] 12 Martii 1910. CO. II, 195.

menta e tali iure provenientia sic statuit § 3. *Parochus* ad normam can. 451 *qui sine licentia iure*, nempe: sub n.° 3° *requisita matrimonio* singulari *assistit*, vel licentiam assistendi sacerdoti dederit, eo quod iuxta reg. iuris 72 in 6°. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum », *emolumenta stolae* iuri exercendo subordinata et hac occasione percipienda *non facit sua* propter alienum laesum ius, *eaque proprio contrahentium parocho* secundum praec.s huius canonis numeros *remittat*. Quando vero plures existunt proprii, potest conformari sequendae ad petendam licentiam reg.ae iuris 70 in 6.° « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri », nisi statutis dioecesanis vel consuetudine sint pro diversitate casuum datae normae huic canoni minime adversae, et quae si deessent, optimum factu esset ad quaestiones inter parochos eliminandas et huius §i observantiam facilius urgendam, ut de illis edendis cogitarent loci Ordinarii.

500. **Exceptiones quoad observandam integre celebrationis matrimonii formam** vigent sub conditione a qua incipit *can. 1098. Si haberi* apud locum commorationis sponsorum *vel adiri* ab his *nequeat sine gravi incommodo* illorum vel sequentium, nempe: a) *parochus* b) *vel Ordinarius* c) *vel sacerdos delegatus* pro illo matrimonio scilicet: neuter eorum, *qui matrimonio assistant* valide *ad normam can. 1095, 1096: — 1° In mortis periculo*, nec additur « imminente » sicut in Dec.°, et quod valde difert, sicut alias dictum est, a mortis articulo, cum periculum significet tantum ea gravitas morbi, cui prudenter certo praevidetur mors sequutura, etsi post transactos aliquot dies, tunc *validum et licitum est* ad eius formam quod attinet *matrimonium contractum coram solis testibus* scilicet: « duobus saltem » in can. 1094 declaratis, atque sic manet derogata partialiter clausula Decreti « coram quolibet sacerdote et duobus testibus », imo non amplius requiritur causa finalis ibidem posita ut conditio absolute necessaria, nempe: « ad consulendum conscientiae et legitimationi prolis ». Concessioque illa extenditur a canone sic prosequente: *et etiam extra mortis periculum*, sed pro hac extensione tantum additur necessaria conditio: *dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem* initio canonis expressam *esse per mensem* scilicet: continuum « spatium 30 dierum » (can. 32. § 2) computandum ab

initio illius « gravis incommodi » *duraturam*, minime per totum illud spatium post contractum matrimonium.

Sic moderata est Declaratio S. Congr. de Sacramentis [1]. « Ad 1[m] Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat ». Vigent adhuc aliae Declarationes S. Congr. Conc. ad n. VIII Decreti [2].

« Dubium V. An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit, — in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.

VI. Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in art. VIII decreti,

Ad V. Negative,

Ad VI Negative ».

Sequitur in canone sub n.° *2.°*. *In utroque casu* num.[i] 1[i] cum derogatione Dec.[i] diversa quoad utrumque, *si* a) *praesto sit*, quod facilitatem indigitat, *alius sacerdos* non delegatus legitime b) *qui adesse possit* ob circumstantias, tunc ex parte sponsorum *vocari* contra Dec.[i] praescriptum ex n. VIII, *et, una cum testibus* necessariis ex n.° 1° ad validitatem, *matrimonio* de quo in hoc canone *assistere debet*, obligaturque ad illius liceitatem quod attinet, nam sequitur: *salva coniugii validitate coram solis testibus* contra Dec.[i] praescriptum in n. VII, etiamsi culpabiliter sub hoc n.° iussum non observetur.

Can. 1099. - § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur:

1.° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt;

2.° Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant:

3.° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.

§ 2. Firmo autem praescripto § 1,

[1] 12 Martii 1910, CO. II. 195. — [2] 27 Iul. 1908, Acta S. Sedis vol. XLI.

n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

Ad formam celebrationis matrimonii servandam:
tenentur catholici inter se § 1° n. 1°.



inter se tenentur acatholici ob defectionem § 1, n. 1°.

inter se « acatholici semper » non tenentur § 2.

Cum lineae atque vertices trianguli designent contractum matrimonialem inter virum et mulierem, considerandae sunt illae in una directione, et hoc sufficit

Regulae sunt quoad ritum latinum:

1ª Catholici inter se contrahentes tenentur ob § 1, 1°.

2ª Catholici cum acatholicis ob defectionem tenentur ob § 1, n. 1°.

3ª Catholici cum semper acatholicis tenentur ob § 1, n. 2°.

4ª Acatholici ob defectionem inter se tenentur ob § 1 n. 1°.

5° Acatholici ob defectionem cum semper acatholicis non tenentur ob § 2, cuius praescriptum praevalet § 1 n. 2° eo quod huius num.ⁱ praescriptum non dicatur firmum.

6ª Acatholici semper inter se non tenentur ob § 2.

Regulae sunt quoad orientalem personam cum altera ritus latini: (fig. praec.).

1ª Catholica ritus latini cum catholica orientali tenetur ob § 1, n. 3°, ac 1°.

2ª Acatholica ob defectionem latini ritus cum acatholica ob defectionem orientali tenentur ob § 1, n. 3° ac 1°.

3° Acatholica semper latini ritus cum acatholica semper orientali non tenetur ob § 1, 3° et § 2.

Distributio praecedentis trianguli in tres sequentes.



Regula 4ª. Orientalis catholicus cum acatholico ob defectionem ritus latini tenetur ob § 1, 3° et 1°.

5ª Orientalis catholicus cum acatholico semper non tenetur ob § 1, 3° (unica exceptio).



Regula 6ª. Orientalis acatholicus semper cum catholico ritus latini tenetur ob § 1, 3° ac 2°.

Regula 7ª. Orientalis acatholicus semper cum acatholico ob defectionem ritus latini non tenetur, § 1, 3°, § 1.

Regula 8ª. Orientalis acatholicus ob defectionem cum catholico ritus latini tenetur, § 1, 3° et 1° (in seq. fig.).

9ª Orientalis acatholicus ob defectionem cum acatholico semper non tenetur, ob § 1, 3° et § 2° (in seq. fig.).



501. **Interpretatio can.ª 1099.** — Ad assequendam facilius can.ª huius intelligentiam considerandum est *a*) quaenam sit propria verborum significatio. « Acatholici » proprie sunt non catholici. Nomen vero catholici proprie designat personam, quae non solum *a*) de iure ad Ecclesiam catholicam pertinet ob receptum baptismatis sacramentum, sed *b*) de facto eamdem externe profitetur retinendo habitualiter tum fidem veram seu catholicam, tum alteram unionem seu communionem cum aliis membris per subiectionem erga Summum Pastorem visibilem. Cuicumque ergo deest, tum conditio sub littera *a*), tum alterutra conditio sub littera *b*), proprie dicetur *acatholicus*. Hic autem vel *semper* fuit huiusmodi, vel cum prius esset catholicus, baptismatis effectum non amittens *defecit* externe habitualiter sive a vera fide catholica, sive a communione supradicta, et vocari potest *acatholicus ex defectione*.

Nunc vero matrimonium est duarum personarum contractus circa illius vinculum coniugale. Hinc secundum diversas praedictorum coniugationes normae canonis sunt distinctae. Coniugationes sequentes tantummodo sunt possibiles: I inter duos catholicos, II inter duos acatholicos ex defectione, III inter duos semper acatholicos, quatenus semper tales fuerunt, IV inter personas catholicam et ex defectione acatholicam, V inter personas catholicam et semper

acatholicam. VI inter personas acatholicam ex defectione ac semper acatholicam.

Coniugationes I, II et IV moderatur §ª 1ᵘˢ sub n.° 1°, Vᵐ vero idem §ˢ sub n.° 2°, ac denique coniugationes III et VI respicit § 2. Remittimus ad postremum locum considerationem §ⁱ 1ⁱ in n.° 3°.

His praesuppositis, processus *can.ˢ 1099* sequens est: § 1. *Ad statutam superius* nempe: in hoc Capite VI *formam* « celebrationis matrimonii » *servandam* ac proinde vi iuris canonici, cui « baptismate homo » adstringitur (can. 87), *tenentur* solummodo ex legislatoris voluntate: (atque incipit canon supra declaratos catholicos complectens ex duplici modo quo tales fiunt dicens): *I° Omnes in catholica Ecclesia baptizati,* nempe: simul vi baptismatis obtinentes factum declaratum sub littera *b*), et si extra eam baptizati illud consequentes *ad eam* catholicam Ecclesiam *ex haeresi aut schismate conversi* per abiurationem haeresis aut schismatis canonicam. Ut autem praescriptum contineat etiam II et IV coniugationes, addit canon velut parenthesim valde notandam clausulam, quae personas non mutat, sed earumdem innuit casum moralem in visibili Ecclesia catholica: *licet sive hi* nempe « conversi » *sive illi* scilicet: « in Ecclesia catholica baptizati » *ab eadem postea defecerint,* quapropter sint proprie acatholici ex defectione. « Omnes » igitur sic declarati *quoties inter se* per coniugationes igitur I, II aut IV *matrimonium ineunt.*

Ita interpretandum est praescriptum sub n.° 2°. *Iidem, de quibus supra,* quae clausula etiamsi duobus modis intelligi queat, nempe: a verbo « Omnes » usque ad « defecerint » comprehendens catholicos et acatholicos ex defectione, aut a verbo « Omnes » usque ad « conversi » excludens acatholicos ex defectione, hic posterior sensus est praeferendus, eo quod in Dec.° « Ne temere » sic expressus erat: « Iidem, de quibus supra, catholici » et in can. 6° num. 4° praescriptum est: « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ». Completurque coniugatio dum prosequitur num. 2: *si cum acatholicis*, quod verbum acceptum « secundum propriam significationem » (can. 18) intelligendum esset quoque de ipsis ex defectione, sed cum talis coniugatio iam sub n.° 1° inveniatur, et « leges ecclesiasticae intelligendae sint » secundum illam significa-

tionem « in textu et contextu consideratam », possumus hic illud restringere pro acatholicis semper *sive baptizatis* extra Ecclesiam catholicam, *sive* omnino *non baptizatis*. Quae interpretatio confirmatur ex supposita dispensationis sequentis petitione (de impedimentis) quae ad normam can. 1060 et 1070 § 1 tantummodo habet locum in coniugatione partis catholicae. Sic enim explicit num.s 2: *etiam post obtentam dispensationem*, quae supponitur necessaria in casu vel pro liceitate matrimonii *ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus* ad hoc quod validum *matrimonium contrahant*. Verbum illud « etiam » innuit dispensationem horum impedimentorum non secumferre illius formae servandae relaxationem.

Cum excludantur ab « statuta superius forma » ceterae coniugationes III et VI in § *2*, et cum ex ipsius verbis coniugatio II seu inter acatholicos ex defectione comprehenderetur quoque, sic limitatur praescriptum: *Firmo autem* circa hanc multiplicem sequentem coniugationem *praescripto* § *1, n. 1* tantum, et sic confirmatur exclusio in n.° 2° a nobis facta acatholicorum ex defectione, quia secus coniugatio VI inter personas acatholicam ex defectione ac semper acatholicam sub duplici opposito praescripto illius numeri et huius §i esset contenta. Sequitur canon: *acatholici* proprie tum ex defectione (exclusa coniugatione II inter ipsos), tum semper tales in antecessum *sive baptizati sive non baptizati* sint, *si inter se contrahant*, nam cum catholicis eorum contractus paragrapho 1° reguntur, *nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam*, quod necessario fuit addendum conformiter ad interpretationem can. 87 in Comment. Textus positam; *itemque*, ac si clausulam « nullibi... etc. » iteraret, *ab acatholicis* proprie quia non ipsi considerantur sed ab eis *nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati* quapropter sub §° 1° invenirentur, sub conditione *qui ab infantili aetate* id est: « ante plenum septennium » (can. 88, § 3), quando « legibus mere ecclesiasticis adhuc non tenentur » (can. 12), a) *in haeresi* quoad instructionem ac mores, b) *vel schismate* idest: independentia ab Ecclesia Romana, c) *aut infidelitate*, quatenus sub praedictis non designati falsam religionem sequuntur, imo d) *vel sine ulla religione* fortassis ob indifferentismum *adoleverunt*, quando huiusmodi permanentes ac *quoties cum parte acatholica* proprie dicta, sive talis ob defectionem sit sive acatholica semper fuerit, *contraxerint*. Secus ergo si cum parte actu catholica ad normam

§ 1, n. 1° contraxerint, congruenter responsioni S. C. C. ad V relate ad Dec.^m « Ne temere » [1].

Nunc iam plenius ac brevius interpretabimur praescriptum §^1 1^1 sub n. *3°*. *Orientales* quilibet, sive catholici sive acatholici atque hi baptizati vel non baptizati, sed vi Codicis sub conditione: *si cum latinis contrahant hac forma adstrictis* scilicet, *a*) cum catholicis semper propter § 1 in duobus praec.^s numeris, *b*) cum acatholicis ex defectione tantummodo orientales sive catholici sive acatholici ex defectione.

502. **Personae ad formam in matrimonii celebratione servandam obligatae** sunt eaedem, quae in iure Dec.^1 « Ne temere » ac subsequentium Declarationum, ut patefit ex analysi *can. 1099 (bis)*. § 1. *Ad statutam superius* ab initio Capitis usque ad hunc canonem *formam* celebrationis matrimonii eodemque modo *servandam tenentur* vi huius canonis: — *1° Omnes* absque exceptione a) *in catholica Ecclesia baptizati* valide, nempe: vel a ministro catholico etsi laico, vel si ab alio hac cum intentione, non solum faciendi quod facit Ecclesia implicite catholica, sed huic aggregandi baptizatum saltem intentione implicita, et id esset ex circumstantiis eruendum, b) *et ad eam ex haeresi aut schismate*, in quarum secta nati sunt ac baptizati, *conversi*, hi enim sub littera *a*) non comprehenderentur, ac semel huic formae servandae obligati ob subiectionem praefatam erga Ecclesiam, semper manebunt obligati, seu ut prosequitur canon: *licet sive hi* « conversi » *sive illi* « baptizati » *ab eadem postea defecerint* nempe: propria voluntate; proinde *a*) catholici *b*) et acatholici ex defectione, vel qui fuerunt primum catholici; « omnes » igitur praedicti *quoties inter se matrimonium ineunt*, quod bene adnotetur; scilicet: quoad matrimonia inter catholicos actu, inter hos cum acatholicis ex defectione atque inter hos acatholicos, videlicet: qui defecerunt ab Ecclesia catholica.

2° Iidem, de quibus supra, exclusa parenthesi: « licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint », seu ut aiebat Dec.^am « pro iisdem de quibus supra catholicis », prout patebit in commentario § 2, *si cum acatholicis* videlicet: qui nunquam fuerunt catholici (vel propter baptismum in Ecclesia catholica vel ad eam conversi),

[1] 1 Feb. 1908. A. S. S. XLI, 108.

quam interpretationem restrictivam expostulat contextus, quia de his aliis acatholicis ex defectione iam provisum est sub n.° 1°, quamvis « secundum propriam verbi significationem » (can. 18) possit admitti interpretatio « cum acatholicis » idest, actu non catholicis quacumque de causa; indifferens tamen est pro illis « acatholicis » a) *sive baptizatis* etsi valide in eorum secta b) *sive non baptizatis*, imo ad innuendum sub dispensatione impedimenti alterutrius seq.s non intelligi dispensationem a matrimonii forma canonica, dicitur: c) *etiam* si catholici sub n.° 1° *post obtentam dispensationem ab impedimento* a) *mixtae religionis* b) *vel disparitatis cultus* necessariam ut « cum acatholicis » respective sub a) et sub b) *matrimonium contrahant.*

In hac re Codex cum limitatione « Ecclesiae quoque Orientalis disciplinam refert » (can. 1) sub n.° 3°. *Orientales,* sive catholici sive acatholici eodem verbi sensu ampliori ac in n.° 2°, *si cum latinis contrahant hac forma adstrictis* nempe: cum catholicis vel acatholicis ob defectionem, attamen cum his quandoque. Hinc vigent praecedentes canones huius Capitis quoad matrimonia a) inter catholicos latinum et orientalem, b) catholici latini cum orientali acatholico sive ob defectionem aut semper acatholico, demum c) latini acatholici ob defectionem, cum orientali tum catholico, tum acatholico ob defectionem, non autem cum semper acatholico. Huc pertinent adhuc verae Declarationes S. Congr. Conc. [1] Dubia. I. An Decreto « Ne temere » adstringantur etiam catholici ritus orientalis. — Et quatenus negative. II. Utrum ad eosdem decretum extendere expediat? — Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum. III. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem Decreto statuta.

Ad I. Negative. Ad II. Ad S. Cong.m de Propaganda Fide. Ad III. Dilata, et exquiratur votum duorum consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes quoad Orientales. — [2] Dubium I. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a Decreto « Ne temere » statuta. Ad I. Negative ».

« Dubium II. An in art. XI, § 2 eiusdem Decreti sub nomine

[1] 1 Feb. 1908, Acta S. Sedis, Vol. XLI, pag. 108. — [2] 28 Martii 1908, Acta S. Sedis, Vol. XLI, p. 287.

acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium. Ad II. Affirmative ».

Magnam sibi expostulat attentionem interpretatio § 2. *Firmo autem praescripto* § *1*, *n. 1* tantum, scilicet: statuentis contrarium huic §° quoad matrimonia inter se verorum acatholicorum seu non catholicorum « secundum propriam verbi significationem » (can. 28) sed ob defectionem, qui proinde sunt ab hoc §° 2° excludendi propter illam initialem clausulam, eo quod norma illa interpretationis sub can. 18 sic est completa: « in textu et contextu consideratam » significationem praedictam. Ergo, illis matrimoniis exclusis, intelligendi sunt in hoc §° 2° *acatholici* idest proprie non catholici actu sive ob defectionem sive eo quod numquam fuerunt catholici, a) *sive baptizati* b) *sive non baptizati,* ut supra haec eadem verba de iisdem acatholicis declarata sunt, tantummodo *si inter se contrahant* (alia enim eorum matrimonia reguntur §° 1°) *nullibi tenentur,* videlicet: quamvis in natione vel loco catholicorum degant, *ad catholicam matrimonii formam servandam,* quod fuit conformiter ad interpretationis can.[is] 87 in Commentario Textus declarandum necessario propter huiusmodi acatholicos valide baptizatos: II° *item* nempe: ac si repeteret ultimam praec.[m] clausulam: « nullibi... etc. » *ab acatholicis,* quod verbum proprie pro non catholicis accipere oportet, cum non ipsi matrimonium inituri considerentur, sed ab eis *nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati*, ut supra haec clausula fuit interpretata, et propter quam sub § 1 comprehenderentur, sed *qui ab infantili aetate* proinde quando « legibus mere ecclesiasticis adhuc non tenentur » (can. 12) a) *in haeresi* quoad instructionem, praesertim apud sectam, b) *vel schismate* pro independentia erga Summum Pontificem ut plurimum apud dissidentem Ecclesiam, quae duplex interpretatio confirmatur eo quod additur: c) *aut infidelitate*, sine ulla etsi falsa fide erga Christum, idest: forsitan cum Deitatis falsae cultu, imo d) *vel sine ulla religione adoleverunt,* atque tales permanent nondum ad Ecclesiam catholicam conversi, sed tantummodo *quoties cum parte acatholica* scilicet, ob interpretationis verborum unitatem idem esset quam actu non catholica *contraxerint:* uno verbo per hunc canonem censentur inter semper acatholicos, non obstante eorum baptismate in Ecclesia catholica valido ac forsan etiam licito, et valde rationabiliter, quia proprie « ab eadem postea non defecerunt » quatenus hoc implicat liberam

ac deliberatam voluntatem, propter quam rationem atque ob patefactam voluntatem in canone ut matrimonia ab his contracta, qui numquam subiectionem erga Ecclesiam professi sunt, sine canonica forma valeant, interpretamur sic illud §[i] 2[i] « quoties cum parte acatholica contraxerint » scilicet: cum parte non catholica actu etsi ob defectionem. Ideoque manet intacta quoad partem, ast generalis pro omnibus locis responsio de art. XI Dec.[1] « Ne temere », quam dedit S. Congr. Concilii [1]. « V. Num in Imperio Germaniae catholici qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili (vel infantili aetate), ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in Dec.[o] « Ne temere » statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus. — Et quatenus affirmative. — VI. An attentis peculiaribus circumstantiis in Imperio Germaniae existentibus opportuna dispensatione provideri oporteat? » Responsiones fuerunt « Ad V affirmative. Ad VI negative, ideoque servetur Decretum « Ne temere »

In Dec.[o] « Ne temere » ad praescriptum can.[s] quem commentamur in § 1, n. 2[o] additum erat: « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum », quod utpote « lex particularis (pro Germania et Hungaria et restricta per Declarationes S. Cong.[s] Conc. [2] et S. Cong.[s] de Sacramentis) [3] praescriptis huius Codicis opposita, abrogatur, cum aliud expresse non caveatur » (can. 6, 1°), quae abrogatio iam desiderata fuerat explicite in aliqua Declaratione S. Congreg.[s] ac praedisponenda per Episcopos, ut exprimitur ibidem *ad mentem.*

Declarationes sunt sequentes: (1 Febr. 1908, Acta S. Sedis, vol. XLI, p. 108) « Dubium IV. An sub art. XI, § 2° in exceptione enunciata illis verbis « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum » comprehendatur tantummodo Const. « Provida » Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque Const. Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia. Ad IV. Comprehendi tantummodo Const.[m] « Provida » non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum Ssmo et *ad mentem.*

III. [4]. Num exceptio per Const. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.

Ad III. Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum Ssmo.

Dubium I. [5] Num responsum S. Congr. C. diei 28 Martii 1908 ad III: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibique matrimonium

[1] 1 Feb. 1908, Acta S. Sedis, vol. XLI. — [2] 1 Feb. 1908 ad IV, 28 Martii 1908 ad III, apud Acta S. Sedis, vol. XLI. — [3] 17 Iul. 1909, CO. I-516. — [4] 28 Mart. 1908. — [5] 17 Iulii 1909, CO. I p. 516.

contrahentibus », ita sit intelligendum, ut in quovis casu ambo coniuges debeant esse nati in Germania, seu respectivo in regno Hungariae?

Ad I. Affirmative.

II. An post extensionem Const. « Provida » ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio habeatur, ita ut duo coniuges nati ambo in Germania matrimonium clandestinum mixtum valide ineant etiam in regno Hungariae, et viceversa, nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

Can. 1100. - Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione servantur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

Can. 1101. - § 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

§ 2. Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.

Can. 1102. - § 1. In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3.

§ 2. Sed omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere.

Can. 1103. - § 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2. Praeterea, ad normam can. 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

503. **Observantia rituum in celebratione matrimonii.** — Conc. Trid. in cap. « Tametsi »[1] haec decrevit: « parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniugo, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti »; sicut habetur in Rit.[1] Rom.[0] [2]; « vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum ».

[1] Sess. XXIV, de ref. matrimonii. — [2] Tit. VII, Cap. II, n. 2.

Atque Rit. Rom. (loc. cit., n. 5) ait: « Ceterum si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, ea S. Tridentina Synodus (l. c.) optat retineri ». — His consonant quae sequuntur generalia praescripta in *can. 1100. Extra casum necessitatis* aliter agendi, undecumque illa vera necessitas proveniat, *in matrimonii celebratione* seu contractu, non iam separatim ab eo, quamvis tunc laudabiliter suppleantur, *serventur* ex conscientiae ac légis debito *ritus* seu formulae et caeremoniae a) *in libris ritualibus* diversis secundum loca, ordines, etc. quamvis latini ritus, per hoc tamen « Ecclesiae quoque Orientalis disciplina refertur » (can. 1), dummodo *ab Ecclesia probatis* saltem tacite, sed in eis *praescripti*, relinquuntur igitur normae liturgicae in earum praevio valore, b) *aut laudabilibus* non aliis, *consuetudinibus recepti* ritus pro earumdem vi. — Huc faciunt sequentes declarationes. Quaesitum fuit: « Utrum in nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio annuli? Cui S. Congr. Rituum reposuit: Negative ». Et S. Congr. S. Officii [1] declaravit: « Quando plures simul copulantur, accepto singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma: Ego vos coniungo in matrimonium, etc. nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia ».

Quando uterque coniux infidelis vel alteruter ad religionem catholicam convertitur, applicanda est sequens S. Congr.[e] S. Officii responsio: « 1° An sint supplendae caeremoniae nuptiales, cum requiruntur a coniugibus desponsatis in infidelitate, in casu quo uterque convertatur; 2° An sint supplendae eaedem caeremoniae in casu quo alter e coniugibus sit baptizatus, alter remanserit in infidelitate. S. Congr. reposuit: Ad 1[m] coniuges infideles, si fideles facti sunt, optime facere, si Ecclesiae benedictionem recipiant; adstringi tamen ad id non debere. Ad 2[m] negative ».

504. **Solemnis sponsorum benedictio.** — Cum Concilium Tridentinum dicat (loc. cit.): « Praeterea eadem S. Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent », ut hoc desiderium in praxim deducatur, praescribit multa includens *can. 1101.* § 1.

[1] 1 Sept. 1841.

Parochus ad normam can. 451, *curet* cum prudentia *ut sponsi* vir ac mulier post matrimonii contractum *benedictionem solemnem accipiant*, scilicet: illas duas orationes, quae prostant in Missali Rom. interiectae missae votivae pro sponso et sponsa, una post orationem dominicam et altera post « Ite missa est »: *quae* benedictio nuptialis *dari eis potest* a) *etiam postquam diu vixerint in matrimonio,* et forsitan filio aliquo recepto, iuxta declarationem S. Congr. Rituum in Baionen. « Dubia varia » [1]: « ad VII... ad impertiendam benedictionem nuptialem post tempus feriatum coniugibus antea matrimonio iunctis, necessaria est praesentia amborum sponsorum », quod implicite canon expressit verbis « sponsi » et « eis », b) *sed solum in Missa*, de qua eadem S. Congr. (cit. Dubiis) respondit: « Ad VI. Quum nuptiae celebratae fuerunt tempore prohibito, et sponsi postea benedictionem nuptialem petierunt,... eligendus est dies in quo Missa votiva pro sponsis dici possit,. », et huc pertinet Dec. S. Cong. Rit. in Belemen. de Para, « de non impertienda benedictione nuptiali extra Missam » [2]: « Iam multis abhinc annis, in archidioecesi Belemen. de Para in Brasilia, consuetudo viget celebrandi matrimonia post meridiem vel sub nocte, quae magis invaluit post introductam legem civilis matrimonii quo fit ut coniuges saepissime negligant et omittant benedictionem nuptialem in Missa alio tempore recipere. Hinc quaeritur: an attentis expositis, et pro dicta dioecesi, in matrimoniis celebrandis, benedictio nuptialis, prout in Missa pro sponso et sponsa, etiam extra Missam impertiri possit?... Negative ».

De illa vero missa subiungit canon: c) *servata speciali rubrica,* quae talis est in Missali Rom. post missam votivam praefatam: « Si benedictio nuptiarum facienda sit die Dominica vel alio Festo, dicatur Missa de Dominica vel Festo cum *Gloria in excelsis* et *Credo,* si illa Missa id requirit, et cum commemoratione praecedentis Missae pro sponso et sponsa, et reliquis, quae pro communione et complemento benedictionis in ea habentur », quae nempe illam integrant benedictionem. Pro huius Rubricae applicatione sciendum est quod S. Rit. Congr. [3] decrevit: « In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrit duplex 1^ae^ vel 2^ae^ classis, etiamsi fiat officium

[1] 27 Maii 1911, CO. III-281. — [2] 12 Feb. 1909. CO. I-255. — [3] 7 Ian. 1784.

et Missa de festo duplici per annum sive maiori sive minori, dicendam esse Missam pro sponso et sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam. In diebus vero Dominicis aliisque diebus festis de praecepto ac duplicibus 1ae et 2ae classis, dicendam esse Missam de festo cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa ». Quod decretum complent quae sequuntur: Missae votivae pro sponsis prohibentur infra octavam Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C. (CO. III, p. 352 in V. 28 Jul. 1911), permittuntur vero in feriis exceptis sub n. 2 Tit. X in novis Rubricis, iuxta illud (CO. V, p. 43 — 8 Feb. 1913): « III. Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis ».

Demum benedictionem ipsam quoque respicit clausula finalis: d) *et excepto tempore feriato,* quod determinatur in can. 1108, § 2, iuxta resp. S. Rit. Congr.[s] in Montis Pessulani [1], in qua propositis dubiis « 1° Quando nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro sponso et sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem: 2° Licetne recitare supra sponsos preces seu orationes in Missali positas post orationem Dominicam et Ite missa est; 3° Quando predictae orationes non sunt recitandae in Missa nuptiarum debentne recitari extra Missam, elapso tempore prohibito ». S. R. C. reposuit: « Serventur rubricae Missalis ac generalia memorata Decreta quibus edicitur ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit solemnis benedictio nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro sponso et sponsa in Missa occurrente, neque orationes resumendae extra Missam, tempore prohibito iam elapso ». Ultimo est memorandum alia inveniri de hac benedictione solemni in can. seq. 1108 et 1143.

505. **Ritus ac solemnis benedictio in matrimoniis inter partes catholicam et acatholicam.** — In Rit. Rom. [2], « Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum » incipit ab interrogationibus de consensu, quas parochus enuntiat alloquens sponsos, propter quod positus est sub *can. 1102, § 1. In matrimoniis inter partem catholicam,* sive virum sive mulierem, *et partem acatholicam,* sive

[1] 31 Aug. 1839. — [2] Tit. VII, cap. II.

baptizatam dispensato forsitan mixtae religionis impedimento, sive non baptizatam sed ablato impedimento disparitatis cultus, *interrogationes de consensu fieri debent* ad matrimonii huiusmodi validitatem *secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3* ibi explicatum, de requirendo quibuscumque signis contrahentium consensu.

Per hunc §[m] confirmatur Declaratio S. Congr. Concilii [1] circa Dec[i]. « Ne temere » praescriptum translatum in can[m]. 1095, § 1, n. 3: « III. An vi Dec[i]. « Ne temere », etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus? — Ad III. Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis ».

E contra per eumdem §[m] implicite abrogatur decretum Congr[s]. S. Officii [2] iam restrictum per Declarationem eiusdem S. Congr[s]. [3]: « Praescriptionem Dec[i]. *Ne temere*, n. IV, § 3, de requirendo per parochum excipiendoque ad validitatem matrimonii nupturientium consensu, in matrimoniis mixtis in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuant, locum posthac non habere; sed standum *taxative* praecedentibus Sanctae Sedis praescriptis ac praesertim s. m. Gregorii PP. XVI (Litt. app. diei 30 Aprilis 1841 ad Episcopus Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus: facto verbo cum Ssmo ». — Hae praescriptiones quae occasionem dederunt praefatis dubiis, et quae servandae sunt potiori ratione in matrimoniis cum dispensato disparitatis cultus impedimento, sunt relatae in Antonelliana Instructione supra de his impedimentis citata, quando ait: « sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis ».

De prima conditione nempe: « extra Ecclesiam » expresse disponit can. 1109, § 3, de interrogationibus in praec. §° actum est, de ritibus aliis ait cum respectu ad illum § *2. Sed omnes sacri ritus*, quales proprie sunt interrogationes solum quando ab induto vestibus sacris fierent, v. gr. cum roccheto et stola, *prohibentur;* manet ergo generale vetitum. Eius vero relaxatio prius in cit. Instructione Episcopis permissa sequitur: *quod si hac prohibitione* servata *graviora mala* exinde *praevideantur* oritura, quam ex obser-

[1] 27 Iul. 1908, Acta S. Sedis, vol. XLI. — [2] 21 Iun. 1912, CO. IV-444. — [3] 5 Aug. 1916, CO, VIII-316. —

vantia removere intendit Ecclesia, *Ordinarius potest* ad huiusmodi maiora damna vitanda prudenti arbitrio *aliquam*, v.•gr. rocchetum et stolam adhibere, parochi simplicem benedictionem, *ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere* pro uno vel pluribus casibus, atque ut norma saltem directiva « diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis ». « Quae conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis numquam obliteretur, memoria tum Canonum, qui huiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia numquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum, et futurae prolis perniciem contrahendis ». — Clausula praedicta ubi dicitur: « exclusa semper Missae celebratione » explicatur a Congr. S. Officii [1] « Propositis a R. P. D. Episcopo Versalliensi nonnullis dubiis ad primum ita expositum: Utrum vigore clausulae (praedictae) prohibeatur tantum Missa pro sponsis cum orationibus et benedictionibus, uti in Missali Romano, an quaelibet missa, etiam privata, quae celebretur coram sponsis et comitibus post matrimonium, licet sponsis non detur distincta sedes? Emmi DD. decreverunt respondendum esse: affirmative ad utramque partem, quando missa celebretur cum omnibus expositis circumstantiis, ita ut ea habeatur tamquam complementum caeremoniae matrimonii ».

506. **Adnotationes matrimonii.** — Ex cit. cap. II Rit^{s}. Rom^{i}. num^{o}. 6 desumptus est *can^{is}. 1103.* § *1 Celebrato* saltem valide *matrimonio* iuxta praec^{s}. canones, *parochus vel qui eius* qua talis *vices gerit* saltem quoad hoc inter alia negotium, *quamprimum*, ne oblivione vel negligentia deficiat, et omissum est « manu propria », utpote quod subintelligitur in seq. verbo: *describat in libro matrimoniorum*, non secus ac in Rit^{i}. Rom^{o}. dicitur *nomina*, quibus bene distinguantur, a) *coniugum*, b) *ac testium*, c) *locum*, d) *et diem celebrati matrimonii*, e) *atque alia*, et haec omnia *secundum modum* a) *in libris ritualibus* v. gr. in Rit^{i}. Rom^{o}. sub. tit. X, cap. 5, b) *et a proprio Ordinario* fortassis accuratius *praescriptum; idque* scilicet: « parochus vel qui eius vices gerat describat » ut supra, *licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus*, prout oportet, *matrimonio*, ut hoc sit validum, *adstiterit*.

[1] 17 Ian. 1872.

Verbotenus totus hic canen translatus est ex Dec°. « Ne temere » num. XI, a quo primum sequentes praescriptiones in ius fuerunt inductae. § *2. Praeterea, ad normam can. 470*, § *2* de libro baptizatorum inter alios libros paroeciales, *parochus* ipse *in libro quoque baptizatorum adnotet*, ubi refertur coniugis baptisma, a) *coniugem*, b) *tali die*, c) *in sua paroecia*, d) *matrimonium contraxisse*, ac nihil aliud exigitur. *Quod si coniux alibi* quam in matrimonii celebrati ecclesia *baptizatus fuerit, matrimonii parochus*, nempe: qui matrimonio adstitit aut licentiam pro illius validitate dedit, a) *notitiam initi contractus* supple: matrimonialis huius, b) *ad parochum baptismi*, scilicet: in cuius parochia sponsus, sponsave baptismum suscepit, c) *sive per se sive per Curiam episcopalem* propriam *transmittat*, et scopus transmissionis est, *ut matrimonium in baptizatorum librum*, prout supra iussum est, *referatur*.

Circa huiusmodi transmissionem, eo quod « haud pauci Ordinarii conquesti fuerunt, initorum notitiam connubiorum,... saepe omni fidei testimonio esse destitutam debitisque indiciis carere », S. Congr. de disciplina Sacramentorum praescripsit « ea quae sequuntur » [1]: « II. ... celebrati matrimonii denunciatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secumferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent. — III. Si forte accidat, ut... baptismi parochus, in recipienda denunciatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii ». Idque uti omnino coniunctum paroeciali officio, tamquam Ecclesiae notario in his libris conficiendis, adhuc est servandum, etsi Codex id non caveat expresse.

« Verum ne quis, in negotio tam gravi, huic Instructioni aliquid a Codice i. c. derogatum esse putet, Emi Patres huius S. Congis.... eam, ipsius Codicis praescritionibus suffultam [2], Ordinariis iterum... dandam censuerunt ». Ac sub n. 3 dicitur: « Quo secu-

[1] 6 Martii 1911 CO. III-102. — [2] 4 Iul. 1921, CO. XIII-349.

rius sive testimonium de statu libero a parocho nupturientium habeatur, sive denunciatio de secuto matrimonio ad parochum baptismi perveniat, parochi haec documenta petant vel transmittant per Cancellariam Ordinarii loci ». Atque sub n°. 6. « Ordinarii sedulo advigilent ut haec (omnia Instructionis) praescripta religiose serventur, horumque violatores, si quos repererint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, si opus sit, canonicis sanctionibus ».

Demum statuit § *3. Quoties matrimonium* unumquodque *ad normam can. 1098,* hoc est: validum etsi non adsistente animarum pastore huiusve delegato, a) *sacerdos* non delegatus, *si eidem adstiterit*, prout « si praesto sit... vocatus assistere debet », aliter tamen « salva manente coniugii validitate » (can. 1098, 2°), b) *secus*, id est: non adstante sacerdote, sive licite sive illicite hoc accidat, *testes* semper interventuri *tenentur in solidum* nempe: singuli *cum contrahentibns* singulis, quousque unus eorum de facto eam impleverit conscientiae obligationem hoc canone impositam, scilicet: *curare ut initum* sic *coniugium in praescriptis libris* matrimonii quoad loci paroeciam, et baptizatorum quoad paroeciam in qua fuerunt singuli contrahentes baptizati, *quamprimum* nempe: qualibet procrastinatione voluntaria exclusa, *adnotetur*. Quod adimplebunt sufficienter, caute mittendo nuntium vel epistolam indicationes huius coniugii completas continentem, vel parochum praedictum personaliter adeuntes.

Inscriptiones vero praedictas reapse peragendas esse, ita ut S. Sedes dispensare nolit, patet ex resp. S. C. de Sacramentis [1] ad Dubium « IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorumdam Ordinariorum, nimirum: 1° Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2, adnotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; ... Quoad IX. Ad 1^m non expedire et ad mentem ». Haec ibidem habetur, sed peculiaris est loci, et in fine dicitur: « Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt (parochi). stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur ».

« 2° Vicarii Aplci. Kiamsi Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum ; ... Ad 2^m. Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus ».

[1] 13 Mart. 1910, CO, II-193.

Etiam ex hac sequenti responsione arguitur interpretatio quam dedimus de illo cui describere incumbit matrimonium, videlicet: « 4° Episcopi Mangalorensis qui postulat, ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote, qui ex delegatione parochi matrimonio adstitit, quando parochus sit absens... Quoad IX. Ad 4^m. Pro gratia prudenti arbitrio et conscientia Episcopi ».

CAPUT VII.

De Matrimonio conscientiae.

Can. 1104. - Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine speciali mandato, permitti potest ut *matrimonium conscientiae* ineatur, idest matrimonium celebretur omissis denuntiationibus et secreto, ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 1105. - Permissio celebrationis matrimonii conscientiae secumfert promissionem et gravem obligationem secreti servandi ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii eiusque successorum, et etiam alterius coniugis, altero non consentiente divulgationi.

Can. 1106. - Huius promissionis obligatio ex parte Ordinarii non extenditur ad casum quo vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat, vel parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant, vel christianam filiorum educationem negligant.

Can. 1107. - Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379.

507. **Inscriptio capitis.** — Sequitur *Caput VII. De matrimonio*, quod uti contractus est dictum *conscientiae*, non propter causas permittendi hunc modum contrahendi, quamvis hae multoties ad illam se referant, sed quia in foro conscientiae quadantenus celebratur, « dum matrimonii forma supradicta servatur quidem, sed omissis proclamationibus ac sub secreto celebratur », ita ut in foro externo nec uti coniuges appareant maritus et uxor, eorumque conscientiae relinquantur sub auctoritatis ecclesiasticae custodia obligationes mutuo adimplendae ac erga prolem inde ortam. Disciplina prius vigens et in hoc Codicis caput translata, tum quoad denunciationum despensationem, tum quoad ipsam matrimoni celebrationem, eiusdem inscriptionem in libro matrimoniorum, illiusque consequentias, invenitur exarata in Litt.^s app.^s Bened. XIV classicis, quae incipiunt « Satis vobis » et latae sunt 27 Nov. 1741.

508. **Canonum ordo.** — Illa legislatio accurate sub quatuor canonibus constringitur, atque in can. 1104 pro Codicis logico more quid sit *matrimonium conscientiae* describitur, et facultas causaeque

ad illud permittendum legitimae statuuntur, can. 1105 ac 1106 obligationes quorumlibet, quas secumfert illius matrimonii permissio, explicantur, ac demum matrimonii huiusmodi adnotationem moderatur can. 1107.

509. **Rationes huius legislationis** in Ben. XIV Litt.s cit.s inveniuntur sub §§ 2-4. Hae petuntur tum ex parte contrahentium, ob periculum deceptionis mulierum, poligamiae et scandali, tum ex damnis temporalibus ac spiritualibus, quae imminent proli subsequutae, tum ob matrimonia parentibus invisa vel ab his qui in minoribus ordinati essent contracta, dum hi permanebant in clericatu.

510. **Matrimonii conscientiae notio, istiusque permissio.** — « Ut ad praescriptum ss. canonum, ait Bened. XIV, licite fieri possit (matrimonium conscientiae), non satis obvia quaevis, et vulgaris causa, sed », sicut ait quoque *canon 1104. Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa* propter periculum malorum quae recensita prius ex illo provenire queunt. « A Sacro Poenitentiariae Tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et femina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent... sed dispensatio non solum praemisso casui congruit, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat » sed tunc *et ab ipso loci*, in quo matrimonium celebretur, *Ordinario* ad normam can. 198, § 2, additurque: *excluso Vicario generali sine speciali mandato*, quod supponitur eidem dari posse ad normam can. 368, § 1, *permitti potest*, sine qua speciali permissione non liceret, *ut matrimonium conscientiae* cum propria et canonica relicta appellatione per sponsos *ineatur*.

Est tamen officii, quod loci Ordinarium permittentem gravat, diligens quam memorat Pontifex inquisitio: « an scilicet personae eius qualitatis, gradus et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui vel alieni iuris; an filiifamilias quorum nuptiae Patri iuste dissentienti sint invisae: ab episcopali etenim munere nimium esset alienum, facilem praeberi filio inobedientiae occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis eorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero est curandum, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum ».

Cum vero canon nominaverit « matrimonium conscientiae », subiungit eius notionem, dicens: *idest matrimonium celebretur* valide saltem, imo licite iuxta praec.[8] canones a) *omissis denunciationibus* omnibus, quae alias faciendae essent, b) *et secreto,* propter quod *ad normam canonum qui sequuntur* de illius secreti amplitudine ac consequentiis.

511. **Quaenam personae secreto adstringuntur.** — Cum in can. 16, § 2 praescriptum sit: « ignorantia vel error circa legem aut circa factum proprium generatim non praesumitur », denunciat personas secreto adstrictas *can. 1105. Permissio celebrationis matrimonii conscientiae* de qua in can. praec., et iuxta notionem huius matrimonii *secumfert promissionem* ob susceptam partem in ipsius celebratione aut notitiam, *et gravem obligationem* ex fidelitate ac vi huius canonis confirmatam, *secreti servandi* de illa celebratione determinata, *ex parte* a) *sacerdotis assistentis* sive cum debita delegatione, sive parochus fuerit loci in quo matrimonium fiat, ad quod assistendi munus Bened. XIV voluit « deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellenti causa, is sacerdos eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur ». Quae Benedicti XIV praecepta prudentiae plena, saltem ut norma directiva propter omissionem in Codice observari commendantur. Servandum etiam secretum, ut supra, « ex parte » b) *testium* saltem duorum, forma enim canonica servanda est, c) *Ordinarii* sive Episcopi permittentis, sive Vicarii quoque generalis, quando hic cum mandato speciali permissionem tribuit, d) *eiusque* « Ordinarii » *successorum*, e) *et etiam alterius coniugis*, alias secretum non esset sufficienter protectum: et quia in coniugum utilitatem statutum est secretum, additur: *altero* coniuge *non consentiente divulgationi.* — Quamvis desit explicita mentio, sequitur tamen prudenter servari quamvis non necessario ex const. Benedictina (§ 9), quod « Ministro deputando districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate coniuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro; ac Christo iudici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut le-

gitimos agnoverint, eosque pietate bonisque moribus imbuerint, et frui patiantur bonis temporalibus, a maioribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis ».

512. **Praedictae obligationis extensio.** — Quia Ordinarius vi officii intendere curae animarum obligatur, atque congruenter reg.ae Iuris 69 in 6° « in malis promissis fidem non expedit observari », declarans statuit *can. 1106. Huius promissionis obligatio* solummodo *ex parte Ordinarii non extenditur*, ampliando quod mandavit Bened. XIV, « cum ei experientia compertum esset, in huiusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari » (§ 12), *ad casum* multiplicem, ut patebit, *quo* a) *vel aliquod scandalum* apud eos, qui secretum matrimonium ignorantes viderent eos, ut coniuges se tractantes, b) *aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria* v. gr. si alteruter alias nuptias inire vellet, dummodo alterutrum *ex secreti observantia* tantum *immineat,* quia huiusmodi peccata sunt vitanda secundum rectam praefatae regulae applicationem, c) *vel parentes,* ob conscientiae matrimonium sic appellati, *non curent filios ex tali matrimonio*, non aliquem forsan adulterinum de quo servandi essent can. 770, 777, § 2, *susceptos baptizari,* prout fortassis tenentur quoque de hoc ipso admoniti, ut dictum est supra, d) *aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus* parentum, « quia ad operiendum clam initum matrimonium, facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri » ; si tamen id facerent, *quin interim Ordinario* praedicto loci ubi matrimonium fuit celebratum *intra triginta dies* ex const. Bened. « a nativitate numerandos », et « de momento ad momentum » (can. 34, § 2) sed a prolis baptismate, si hoc conferatur, prudenter *notitiam prolis susceptae* simul *et* eiusdem *baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant*, prout vi huius canonis obligationem christianorum parentum confirmantis obligantur, e) *vel,* quamvis omnia illa impleverint, *christianam filiorum educationem negligant*, velut si eadem non incumberet eis, qui ut parentes sunt publice ignoti.

513. **Adnotationes tum matrimonii conscientiae, tum baptismi prolis inde natae.** — Iuxta ea, quae in const. Benedictina sub §§ 10 et 11 continentur, admonet praescribens *can. 1107. Matrimonium conscientiae* celebratum, et quoad prolem quae ex

illo nasci contingat baptizatam, *non est adnotandum* ad normam canonum 1103, 777, *in consueto* alterutro a) *matrimoniorum* b) *ac baptizatorum libro, sed* adnotatio alterutra fiat *in peculiari libro,* ut videtur unico, *servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379*, et propter huius archivi leges nunc generales non obligant amplius ex Bened. XIV litt.ᵉ app.ᵉ accuratae determinationes de clausura et sigillo duorum ad hoc librorum. Possunt tamen ut normae directivae ab Ordinariis servari.

E contra vigere dicendae sunt praescriptiones in cit.ᵉ §§ⁱˢ positae quoad denunciationem Ordinariis faciendam, tum de matrimonio conscientiae celebrato, tum de prole forsan suscepta, ubi et sub quibus notationibus baptizata. Ecce textus : « Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, testiumque qui celebrationi interfuerunt. Fides seu Attestationes illae... transcribantur in dicto Libro, prouti iacent de verbo ad verbum, a persona ab Episcopis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis loculentum habeat testimonium. Fides vero et attestationes ipsae in secretiori loco, sartae, tectaeque serventur ». Hodie apud secretum archivum ad normam can. 379, § 1. — « § 11. Quod si ex occulto huiusmodi matrimonio prolem nasci contingat, vult Bened. XIV, quod a patre baptizati, eoque defuncto ab illius matre suscepta proles Episcopo denuntietur ; dictaque denunciatio fiat, vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare constet, quod proles, tali loco, et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum baptizata est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum Episcopis innotuerint.... in libro fideliter describentur ab eo, cui facta est potestas adnotandi matrimonia occulto celebrata. Liber in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdemque cautelis in cancelleria episcopali clausus, et sigillis obsignatus erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavit ».

Denique valde notandum « § 14. Volumus denique ac mandamus, fides seu attestationes Matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatae exceptas ex dictis Libris, modo quo dictum est, (nunc

apud archivum) caute custodiendis, (et iuxta § 10 dandas tantum, quando ab illis libris aliquod documentum exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia) tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis et matrimonii vindicare consueverunt ».

CAPUT VIII.

De tempore et loco celebrationis matrimonii.

Can. 1108. - § 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.

§ 2. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive.

§ 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iuxta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

Can. 1109. - § 1. Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali ; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt ; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.

§ 3. Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur ; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102, § 2.

514. **Inscriptio capitis et canones.** — Sequitur *Caput VIII*, quod loquitur de circumstantiis, scilicet, inscribitur : *De tempore et loco celebrationis matrimonii*, et secundum illas duas circumstantias duos canones sub se continet.

515. **De tempore tum celebrationis matrimonii tum eius benedictionis sollemnis.** -- Conc. Trid. [1] disciplinam exhibet huiusmodi, quae Codicem praecessit, dum ait : « Ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas sollemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus praecipit : in aliis vero temporibus nuptias sollemniter celebrari permittit : quas episcopi, ut ea, qua decet. modestia et honestate fiant, curabunt ; sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum ». — *Can. 1108* est iuri praec.[1] plane conformis sub

[1] Cap. 10 sess. XXIV de ref. matrimonii.

§ 1. *Matrimonium quolibet anni tempore*, non ait diebus, sunt enim dies in quibus evidenter ob moestitiam non decet, *contrahi potest*, vel celebrari.

Quoad sollemnitatem autem nuptiarum de qua est Tridentinum decretum, eidem derogat § 2. *Sollemnis tantum nuptiarum benedictio*, quam ordinarunt can. 1101, 1102, *vetatur* prout ab antiquo, sed a *prima dominica Adventus* computanda iuxta can. 34 § 3, n. 2° *usque ad diem*, non amplius « Epiphaniae », sed *Nativitatis Domini*, seu 25 Dec.[s] *inclusive*, verbum necessario additum, ne excluderetur ob cit.[1] can.[s] §[m] et num.[m], eodemque modo est supputandum tempus clausulae : *et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive*, non vero usque « in octavam Paschatis ».

Imo, videtur remissa illa cura utpote inutilis, quam meminit Dec. Tridentinum, eo quod statuit § 3. *Ordinarii tamen locorum* (can. 198, § 2) *possunt* a) *salvis legibus liturgicis*, quas retuli ad can. 1101, § 1, *etiam praedictis temporibus* adventus et quadragesimae, *eam* supple : « sollemnem benedictionem » *permittere* b) *ex iusta* idest : ad hoc proportionata *causa*, c) *monitis sponsis*, ergo solum quando intra dicta tempora nuptiae celebrantur, *ut a nimia pompa* sacra et profana *abstineant*, moderata ergo toleratur, dum illa sacra tempora multum christianae severitatis amiserint frigescente in mundo charitate.

Clausulam « salvis legibus liturgicis » explicat S. Congr. Rituum in Herbipolen. [1] « I. Si Ordinarii ex hac licentia, (nempe : §[1] 3[1]), quae non limitata esse videtur, benedictionem nuptialem permittant in Nativitate Domini et Dominica Resurrectionis, licetne Orationi Missae de respectivo Festo addere commemorationem pro sponsis ? II. Licetne tempore clauso Missam votivam pro sponsis celebrare ? III. In vigiliis, occurrentibus extra tempus clausum, privilegiatis, nempe Pentecostes et Epiphaniae, licetne legere Missam votivam pro sponsis ? Sacra Rit. Congr.... prae oculis habito Canone 1108... respondendum censuit : Ad I affirmative, sub unica conclusione. Ad II. Si Ordinarius loci ex iuxta causa permiserit etiam praedicto tempore clauso sollemnem benedictionem nuptiarum, Missa votiva pro sponsis celebrari poterit : exceptis tamen Dominicis, Festis de praecepto etiam I et II classis, Octavis privilegiatis

[1] 14 Iun. 1918. CO. X, 332.

I et II ordinis, Feriis privilegiatis et vigilia Nativitatis Domini. Ad III. Negative in utraque Vigilia ».

516. De loco intra quem celebretur matrimonium. — Quod implicite continetur in Rit.[1] Rom.[0 1], praescribit *can. 1109.* § 1. *Matrimonium inter catholicos* virum et mulierem *celebratur in ecclesia paroeciali,* cum inter « functiones parocho reservatas, sit : matrimoniis assistere » (can. 462 n. 4°) ; sed quia haec assistentia cuilibet sacerdoti delegari potest, opportune additur : *in alia autem* a) *ecclesia* stricto sensu ad normam can. 1161, quia subditur *vel oratorio* b) *sive publico,* c) *sive semipublico,* definitis sub can. 1188, *nonnisi de licentia* fortassis implicita sub altera adsistendi, vel ab ea distincta, *Ordinarii loci vel parochi,* non confundenda cum canonis dispensatione, quae hic abest, *celebrari poterit.*

Limitationes concessioni huiusmodi licentiae apponuntur in § 2. *Matrimonium* a) *in aedibus privatis,* etiamsi hae habeant domesticum oratorium, *celebrari,* cum agatur de sacramento, solummodo *Ordinarii locorum* a) *in extraordinario* propter circumstantias non frequenter evenientes, quia *tantum aliquo casu* b) *et accedente semper iusta* seu proportionata huic concessioni ob rationem, additur enim : *ac rationabili causa permittere possunt,* veluti a canone dispensantes ; prohibitio autem edicitur : *sed in ecclesiis vel oratoriis* quibuslibet a) *sive Seminarii,* eo quod alumnorum usui destinatis eidemve forsan adnexis, b) *sive religiosarum* eodemque dicto sensu, *Ordinarii id ne permittant,* quod vetitum est proprie limitatio facultatis eisdem tributae sub § 1°, cum exceptione : *nisi urgenti necessitate* morali ut ibidem matrimonium celebretur, *ac opportunis adhibitis cautelis,* v. gr. ut communitatis actus ne turbentur, ut illis insciis vel non intervenientibus nuptiae fiant ob animorum tranquillitatem.

Sicut adnotavi ad can. 1102 ex Instr.[e] Card.[s] Antonelli [2], huc relata est quaedam conditio matrimonii mixtae religionis celebrandi, videlicet : § *3. Matrimonia vero,* (cum in praecedentibus actum sit de « matrimonio inter catholicos ») *inter partem* actu *catholicam et partem acatholicam,* sive baptizatam, proinde cum mixtae religionis impedimento, sive non baptizatam, unde dispensato disparitatis cultus impedimento, non autem matrimonia sine impedimento,

[1] Tit. VII, Cap. II, n. 1. — [2] 15 Nov. 1858.

idque congruenter iuri praecedenti, *extra ecclesiam celebrentur*, manente iuris praecedentis formula eodemque sensu accipienda, unde practicam obtinet applicationem rescriptum S. Congr.s Inq.s [1] ad Episcopum Nanceyensem ; an in sua dioecesi tolerari posset : « 1. Quod consensus coniugum salva forma Tridentina (nunc. can. 1094) in sacristia reciperetur ? Quod in parochiis, ubi sacristia apta et conveniens non adest, consensus reciperetur in alio loco Ecclesiae adiuncto, ut cappella remota sine cereis accensis nec quocumque ornatu ? S. Congr. respondit : Ad 1 et 2 affirmative ». Attamen sicut similis clausula in can. 1102, § 2 est inserta ibique explicata, hic dicitur : *quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala,* sicut etiam fuerat ex Instructione cit.a concessum, *prudenti eius arbitrio* nempe : ex circumstantiis directo *committitur hac super re dispensare* proprie, seu « hanc legem in casu speciali relaxare » (can. 80), *firmo tamen praescripto can. 1102, § 2* de sacris ritibus prohibitis et « exclusa semper Missae celebratione ».

CAPUT IX.

De matrimonii effectibus.

Can. 1110. - Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum ; matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert.

Can. 1111. - Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae.

Can. 1112. - Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti.

Can. 1113. - Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.

Can. 1114. - Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti.

Can. 1115. - § 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis.

Can. 1116. - Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis.

Can. 1117. - Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

[1] 17 Ian. 1877.

517. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** — Cognitis normis de matrimonii sacramento valide ac licite celebrando, transire oportet ad *Caput IX* inscriptum *De matrimonii*, tamquam contractus canonici, omnibus *effectibus*, tum qui iure divino sint orti ac in iure canonico recensiti generaliter, vel hoc iure constituti, tum sive iura simul et officia, quae in utroque coniuge vel uxore enascuntur, sive prolis legitimitas de qua in Decretalibus invenitur tit. 17 « Qui filii sint legitimi » sub Lib. IV. — De illis sunt canones quatuor, ac de legitimitate quatuor subsequentes, hoc ordine inter se ipsos digesti, ut can. 1110 de vinculo coniugali et de actuali effectu loquatur, statusque coniugum iuridicus determinetur quoad utrumque in can. 1111, circa uxorem specialiter in can. 1112, et erga prolem in can. 1113; cum autem obligatio erga prolem enascatur naturaliter in eis, qui eam genuerunt, canones respiciunt ipsam quoad effectus canonicos, determinante can. 1114 eius legitimitatem ratione matrimonialis contractus, hoc vero praesupposito quamvis matrem demonstret ipsa natura, pater arguitur ex praesumptione in can. 1115, quandonam vero nata iam proles legitimetur et cum quibus effectibus, praescribunt can. 1116, 1117.

518. **Contractus matrimonialis effectus genericus.** — Ait D. Th.[1]; « quod coniunctio adunationem quamdam importat, unde ubicumque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua coniunctio. Ea autem, quae ordinantur ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud adunari, sicut multi homines adunantur ad unam militiam vel negotiationem exequendam, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Et ideo cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua coniunctio, secundum quam dicitur maritus et uxor; et talis coniunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum, est matrimonium, coniunctio autem corporum et animorum ad matrimonium consequitur ».

Vidimus autem quod hoc « matrimonium facit consensus » matrimonialis, ex cuius definitione data in can. 1081, § 2, consequitur evidenter *can. 1110. Ex valido* secundum ius quo regitur *matrimonio*, prout hoc significat huiusmodi contractum, *enascitur*

[1] Suppl. q. XLIV a. 1 c

inter coniuges sic dictos propter explicatam a D. Th. coniunctionem, *vinculum* quo ligantur formaliter iure, ac propterea dicitur « vinculum » coniugale, *natura sua* eidem indita ab initio humani generis, atque iure divino positivo ac evangelico confirmata, praedictum vinculum est *perpetuum et exclusivum* ex parte utriusque coniugis, prouti manet explicatum in can. 1013, § 2 de essentialibus matrimonii proprietatibus : *matrimonium praeterea christianum* nempe : sacramenti dignitate auctum ex Christi institutione, *coniugibus* ex illo effectivo, *non ponentibus obicem* propter consciam privationem status gratiae requisitae ad illud sacramentum, *gratiam confert* equidem, prout definitum est in [1] Conc. Trid., carentibus ea primam, praeditis illa secundam, idest : gratiae augmentum.

Etenim « matrimonium, inquantum in fide Christi contrahitur », ait D. Th. [2] : « habet ut conferat gratiam adiuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur :... quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti possit facultate illa : sicut patet quod omnibus potentiis animae respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset ; ....et sic ista gratia data, est ultima res contenta in hoc sacramento ». Sed animadvertendum quod « contra concupiscentiam potest praestari remedium dupliciter : uno modo ex parte ipsius concupiscentiae, ut reprimatur in sua radice, et sic remedium praestat matrimonium per gratiam quae in eo datur ; alio modo ex parte actus eius ; et hoc dupliciter, uno modo ut actus ad quem concupiscentia inclinat, exterius turpitudine careat, et hoc fit per bona matrimonii, quae honestant carnalem concupiscentiam ; alio modo ut actus turpitudinem habens impediatur, quod fit ex ipsa natura actus, quia dum concupiscentiae satisfit in actu coniugali, ad alias corruptelas, non ita incitat. Propter quod dicit Apost. « Melius est nubere, quam iuri » [3].

519. **Coniugum status iuridicus** est idem ac iura et obligationes illorum qua talium personarum, atque uti parentum erga prolem. Radicitus ac generice illum proponit *can. 1111. Utrique coniugi* qua tali, proinde *ab ipso matrimonii*, ut est hoc effectum a valido contractu, *initio* seu statim, ac illius vi *aequum*, de quo verbo sciendum est sicut ait D. Th. [4], « quod duplex est aequalitas, scilicet quantitatis et proportionis. Aequalitas quidem quantitatis est quae attenditur inter duas quantitates eiusdem mensurae, sicut bicubiti ad bicubitum. Sed aequalitas proportionis est, quae attenditur

[1] Can. 1. sess. XXIV de Sacramento matrimonii. — [2] Suppl. q. XLII a. 3 c. et ad 4[m]. — [3] I ad Cor. VII, 9. — [4] Suppl. q. LXIV a. 5 c.

inter duas proportiones eiusdem speciei sicut dupli ad duplum. Loquendo ergo de prima aequalitate, vir et uxor non sunt aequales in matrimonio; neque quantum ad actum coniugalem in quo id quod nobilius est, viro debetur, neque quantum ad dispensationem domus, in qua uxor regitur, et vir regit. Sed quantum ad secundam aequalitatem sunt aequales in utroque: quio sicut tenetur vir uxori in actu coniugali et dispensatione domus, ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est. Et secundum hoc dicitur (in canone) quod sunt aequales in reddendo et petendo debitum », seu ipsis est « aequum » *ius*, secundum quod scriptum est apud D. Paulum [1]: « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier », ac loquitur de marito et uxore, nam *et* statim antea dixit circa « aequum » *officium:* « uxori vir debitum reddat »: sic dictum quia in iustitia fundatum ex inito vero contractu; « similiter autem et uxor viro [2]; atque nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ». — Explicit canon determinans: « aequum ius et officium » *est quod attinet ad actus proprios*, utpote speciales, *coniugalis vitae*, seu per quos haec ducitur in matrimoniali statu, igitur in ordine ad matrimonii finem primarium et secundarium.

Nec idipsum rite intellectum, sicut supra, contradicit Apostolo sic coniuges exhortanti [3]: « Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ». Unde concludit caput illud dicens: « Unusquisque uxorem suam, sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum ». Imo quoad cetera iura et officia v. gr. bonorum temporalium, effectuumque mere civilium, coniuges valde dispares secundum omnes leges possunt esse magis vel minus convenienter.

520. **Uxoris iuridicus status.** — Consequenter canoni praec.[1], normam de uxoris statu qua talis generalem ostendit *can. 1112. Nisi iure speciali* de aliquo instituto canonico *aliud,* ac statuitur in isto canone, *cautum sit*, ac servandum iuxta reg. Iuris in 6°. « 34. Generi per speciem derogatur », *uxor, circa canonicos effe-*

[1] I ad Corinth. VII, 4. — [2] Ib. v. 3, 5. — [3] Ad Eph. V, 22 et seq.

ctus, nempe: quos canones moderantur, v. gr. quoad iura filiorum minorum exercenda coram Ecclesia, *particeps* matrimonio contracto *efficitur status*, scilicet circa iura et officia personalia *mariti*, quae ipsi nempe qua tali competunt.

521. **Coniugum qua parentum obligatio.** — Dum iura patris ac matris in filios sparsim, sed apte in aliis ss. canonibus disponuntur, nunc genericam iurisque naturalis obligationem sic evolvit *can. 1113. Parentes*, idest: proprie pater ac mater, *gravissima* propter summe graves negligentiae consequentias *obligatione* orta ex contractu, atque iure divino tum naturali tum positivo confirmata et per hunc ipsum canonem illam recognoscentem, *tenentur prolis* cuiuslibet ipsorum *educationem* completam spiritus et corporis, quoad mentem ac voluntatem, a) *tum religiosam* circa veram religionem amplectendam ac explicata fide praxique profitendam, b) *et moralem* veluti partem illius, quoad mores secundum rectam rationem efformandos, c) *tum physicam* per debitum nutrimentum, viriumque corporis evolutionem, illiusque custodiam, d) *et civilem* ex legum auctoritatisque observantia et convenienti cum aliis consortio evolvendam, *pro viribus* secundum propriam parentum conditionem, quantumque in eorum sit potestate *curandi*, non enim ab eis tantum illa pendet, e) *et etiam temporali eorum bono* per familiaris rei sufficientiam positionemque in societate, *providendi*, scilicet: ut videntes procul, dum ipsi vivent ac pro tempore post ipsorum mortem, parentes filiis thesaurizent, ut Apostolus meminit faciendum esse.

522. **Qui filii sint legitimi.** — Filius, uti nomen naturae, relativum designat humanae naturae individuum in respectu ad eos qui ipsum genuerunt, ac talis proprie dicitur filius naturalis tantum, quando non sit legibus recognitus. Hinc ait *can. 1114. Legitimi sunt*, tanquam secundum leges geniti, eo quod licita humanae naturae procreatio, secundum legem naturalem ac divino-positivam, (quam obsequuntur omnino ss. canones), subordinata est matrimonii instituto, imo in praesenti naturae statu praesertim actus generationis propter concupiscentiae corruptionem indiget matrimonii bonis cohonestari: « legitimi ergo sunt » *filii concepti*, et additur: *aut nati*, ob matrimonii ac prolis innocentis favorem, cum iuxta l. 11 § et multo magis C. de natural. lib. « In quaestionibus in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus

inspicitur », *ex matrimonio* a) *valido*, sive legitimo « inter non baptizatos », sive rato si est « matrimonium baptizatorum » (canon 1015), b) *vel putativo,* quod nempe invalidum est, sed « in bona fide ab una saltem parte celebratum », ac tale manet « donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat » (can. cit. § 4), (ita rationabiliter statutum in favorem coniugis bonae fidei ac innocentis prolis, cum exceptione in odium peccati contra religionem): *nisi parentibus,* idest: utrique coniugi saltem propter formalem cooperationem transgressionis, a) *ob sollemnem* tantum, non ob quamlibet perpetuam, quamvis cum virtute irritandi futurum matrimonium, *professionem religiosam* b) *vel susceptum ordinem sacrum prohibitus* causa voti castitatis vel saltem « obligationis servandae castitatis » (can. 132, § 1) *tempore conceptionis* filii de quo agatur, *fuerit* « prohibitus » *usus matrimonii* validi vel putativi *antea* idest: ante illam emissam illumque susceptum *contracti* licite, et quoad vinculum perdurantis.

523. **Legitimitatis praesumptio.** — Veritas moralis est, quae ut in pluribus iuxta hominum mores existit. Illam igitur respiciens in occultae naturalis paternitatis cognitione, sic rationabiliter decernit *can. 1115.* § 1. *Pater is est, quem iustae,* idest: secundum matrimonii leges, *nuptiae demonstrant* uti maritum, *nisi evidentibus argumentis,* utputa si constet virum impotentia laborasse, aut per diuturnum probabilis conceptionis tempus abfuisse, vel filium editum fuisse 300 dies post mariti mortem, his et aliis huiusmodi argumentis *contrarium*, nempe: non genitum a marito, *probetur.* Quod non evincit publica fama, et alterutrius coniugis vel utriusque sola confessio.

Propter ea, quae accidere possunt secundum experientiam, statuit in prolis favorem § 2. *Legitimi*, ut explicatum est in praec.[1] §°, *praesumuntur* praesumptione iuris simpliciter contra quam « admittitur probatio tum directa tum indirecta » (can. 1826), *filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii*, scilicet: praesumuntur ab eo marito genitos fuisse, *vel* a defuncto vel separato viro, si « nati sunt » *intra decem menses a die dissolutae* per mortem aut legitime vel illegitime *vitae coniugalis*, saltem quoad thorum et cohabitationem.

524. **Legitimatio ex iure.** — Filiis secundum praec.[8] canones illegitimis quandoque Ecclesia propter diversas causas tri-

buit fere omnes canonicos legitimitatis effectus, quandoque autem illegitimitate manente, dispensat cum eis circa determinati canonis praescriptum. In prima solum hypothesi habetur legitimatio, quae iterum dupliciter fieri potest, videlicet: per rescriptum Sedis Aplcae. in particulari casu, aut ex iure vi *can. 1116. Per subsequens* conceptioni filii *parentum* naturalium *matrimonium,* idest: matrimonialem contractum, a) *sive verum* scilicet: validum sicut apparet, b) *sive putativum*, nempe: invalidum, quamvis ut tale incognitum, c) *sive noviter contractum* alterutrum, nempe: matrimonii forma primo servata, d) *sive convalidatum,* cognita vel ignota ipsius nullitate iuxta dicenda in cap. XI, *etiam non consummatum* postea quodcumque dictorum per subsequentem actum matrimonialem, *legitima* vi huius canonis ac initi seu convalidati contractus *efficitur proles* ante quodcumque ut supra matrimonium nata, non secus ac decrevit Alex. III Exon. Episcopo [1] in Decretalibus: « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium, legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius », ac proprie adulterinus propter peccatum generationis eius, nam spurius proprie dicitur natus ex ignoto patre. Illa exceptio Decretalium in iure Codicem praecedente ampliata, retinetur in canone sic prosequente: *dummodo parentes*, ut supra in canone, *habiles extiterint,* nullo impedimento dirimente detenti, *ad matrimonium inter se contrahendum tempore* a) *conceptionis,* b) *vel praegnationis* solius, c) *vel nativitatis*, quae conditio approbat implicite iuris fictionem retrotrahentis celebrationem matrimonii ad unum ex illis tribus temporibus, quando nempe si valide, ut potuerat esse, contractum fuerit, proles fuisset saltem nata ex valido matrimonio indeque legitima ad normam 1114.

525. **Effectus legitimationis ex iure** praescribuntur in genere per *can. 1117. Filii legitimati* ad normam can. praec. *per subsequens matrimonium*, nam per rescriptum Sedis Aplcae. legitimatis canon iste non suffragatur, *ad effectus canonicos,* idest: quos sacri canones moderantur, *quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis,* ita etiam ut in iure nomine legitimorum veniant

[1] Cap. 6 cit. tit. Lib. IV.

nisi aliud expresse, hos legitimatos saltem implicite excludendo, *cautum fuerit,* sive in legibus, sive in rescriptis, sive in statutis ecclesiasticis, etc.

CAPUT X.

De separatione coniugum.

ART. I. — *De dissolutione vinculi.*

CAN. 1118. - Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

CAN. 1119. - Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iuxta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

CAN. 1120. - § 1. Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino.

§ 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

CAN. 1121. - § 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare:

1.° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere;

2.° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

§ 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit.

CAN. 1122. - § 1. Interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, inducae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

§ 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa, valent, imo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo.

CAN. 1123. - Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam.

CAN. 1124. - Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris.

CAN. 1125. - Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III *Altitudo*, 1 Iun. 1537; S. Pii V *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571; Gregorii XIII *Populis*, 25 Ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur.

CAN. 1126. - Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit.

CAN. 1127. - In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

526. **Inscriptio capitis eiusque in articulos divisio.** — Deinde oportet considerare *Caput X*, cuius inscriptio proprie acci-

pienda est. *De separatione* vera, quatenus iuxta leges divinam et canonicam fieri potest, *coniugum,* qui vere tales sint ob vinculum coniugale ex matrimonio valido ortum. Cum vero istud « vinculum » primo « enascitur ex valido matrimonio » (can. 1110), ex tali velut radice profluunt obligationes in coniugatis, quae adimplentur in societate tori, mensae et habitationis. Hinc sequitur separationem fieri posse omnimodam, quando illa vinculum afficiat, partialem vero quando praefato vinculo manente, suspendantur ad normam sacrorum canonum obligationes coram Ecclesia et in conscientia saltem ad arbitrium unius ex coniugibus. Igitur de illa omnimoda separatione tractat Articulus I ac de partiali articulus secundus.

527. **Inscriptio Articuli ordoque canonum sub eo.** — *Art. I* inscribitur *De dissolutione vinculi* coniugalis, quatenus hoc



« natura sua perpetuum » (can. 1110), nec consensu disrumpendum mutuo per quem est effectum, ab extrinseca potestate non abrumpitur, sed legitime enodatur, ita ut coniuges liberi evadant, nec eo amplius impediantur. Hoc tamen quandoque fieri non posse can. 1118 aperte denunciat; quandonam vero et apud quem adsit facultas dissolvendi illud, edicit can. 1119 quoad matrimonium canonicum: de matrimonio autem solum legitimo, quo modo sit possibilis eius dissolutio explicant can. 1120-1124 circa privilegium, quod a D. Paulo illud promulgante appellatur Paulinum, circa vero alias S. Sedis declarationes can. 1125, cui duo postremi canones adiunguntur, nempe: can. 1126 determinans factum, quo legitimi matrimonii dissolutio fiat, et can. 1127 enuntiat iuris favorem quo fidei privilegium gaudet.

528. **Matrimonium omnino indissolubile** designat *can. 1118*. *Matrimonium* idest: vinculum coniugale *validum*, quod sic appellatur sicuti procedens a valido contractu, atque ut excludatur matrimonium putativum, *ratum*, utpote « matrimonium baptizatorum » (can. 1015), vel saltem inter partem baptizatam et partem non baptizatam canonice initum, et coram Ecclesia recognitum, *consummatum*, postquam nempe « inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, quo coniuges fiunt una caro » (can. 1015, § 1), *nulla humana potestate*, scilicet: tum quae a natura societatis sive civilis sive religiosae derivatur, tum quae ab homine cum qualibet illius origine exerceatur, huic enim matrimonio saltem aptatur plene Salvatoris sententia: «quod Deus coniunxit, homo non separet» (Matth. XIX, 6), *nullaque causa*, cum de gravioribus definierit Conc. Trid.[1] « Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit: et Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi: anathema sit »; additur vero in canone quem commentamur: *praeterquam morte*, iuxta Apostoli dictum: « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est »[2]; exclusis ergo causis ac potestate, relinquitur quod nullo

[1] Sess. XXIV de Sacramento matrimonii, can. 5, 7. — [2] I ad Corinth. VII, 39.

modo *dissolvi* proprie *potest*, ita ut libertate ab hoc impedimento ligaminis uterque coniux donetur.

529. **Matrimonium ab extrinseco solubile.** — Aliter ac praecedens loquitur *can. 1119. Matrimonium*, qua vinculum coniugale quod supponitur validum ad inscriptionem articuli, *non consummatum* ad normam can. 1015, seu ratum, a) *inter baptizatos* virum ac mulierem, etsi una pars sit acatholica, b) *vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam*, sed contractum post impedimenti disparitatis cultus dispensationem, *dissolvitur*, verbum declaratum in articuli inscriptione, a) *tum ipso iure,* tamquam per generalem dispensationem ex causa recognita veluti iusta, *per sollemnem,* non solum perpetuam, *professionem religiosam* iuxta dogmaticam definitionem Conc. Trid. [1]: « Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit »; b) *tum per dispensationem* in lege divina hypothetica ex delegata Rom°. Pont¹. Vicario Christi potestate, *a Sede Apostolica*, cui reservata illa est, et *ex iusta causa* necessaria ad dispensationis validitatem elargiendae, *concessam* per rescriptum in singulis casibus, post cognitionem ut plurimum S. Congr. de Sacramentis *a*) « de facto inconsummationis matrimonii, *b*) et de existentia causarum ad dispensationem concedendam » (can. 249, § 3), etsi quandoque processus informativus tantum de illa inconsummatione loci Ordinario deferatur, reservata semper ex stylo Curiae sententia illius eidem Congregationi; dispensatioque praefata conceditur a) *utraque parte* quarum interest *rogante,* b) *vel alterutra* causam habente, *etsi altera* pars *sit invita;* cum haec gratia non ex coniugum voluntate, sed a Deo matrimonii auctore sit derivata.

530. **Privilegium Paulinum.** — *Can. 1120. Legitimum*, quia proveniens ex contractu iuxta leges divinam sive naturalem sive positivam atque civilem valide inito, *inter non baptizatos matrimonium,* seu vinculum coniugale, manente utroque coniuge in infidelitate est indissolubile natura sua ex iure divino, etiam ab Ecclesia cui non subiiciuntur infideles coniuges, demum ab auctoritate quoque civili iuxta prop. damnata in Syllabo Pii IX. « 67. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in

[1] Sess. XXIV de Sacramento matrimonii, can. 6.

variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ». Attamen *licet consummatum, solvitur,* quandoque de facto, ac de iure potest solvi *in favorem fidei* partis conversae *ex privilegio* divinitus concesso, ac dicto *Paulino*, quia constat ex Epistola Pauli Apostoli [1] ubi legitur: « Nam caeteris, ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus ». Quorum verborum sensum S. Romana Ecclesia paulatim explicando determinavit, praecipue in cap^s. 7 et 8 « de Divortiis » (IV, 19), in Decl^s. S. Congr. Inquisitionis, quibus expositionibus conformavit suam praxim, ideoque omnino certum est privilegium sic intellectum.

Ex quibus primo eruitur § 2. *Hoc privilegium non obtinet* vim suam seu applicationem *in matrimonio,* idest: vinculo coniugali vero existente, quod ortum est ex contractu *inter partem baptizatam* valide « in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversam » *et partem non baptizatam inito valide,* seu *cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus* inter illas obstante ad normam can. 1070, § 1. Non enim possunt intelligi praedicta verba prolata fuisse de huiusmodi coniugio a D. Paulo, qui alibi ait [2]: « Nolite iugum ducere cum infidelibus ».

Ratio disparitatis praebetur in cap. 7 de Divortiis, ubi ait Innoc. III Ferrariensi Episcopo (IV, 19): « distinguimus: an ex duobus infidelibus, alter ad Fidem catholicam convertatur: vel ex duobus fidelibus, alter labatur in haeresim, vel decidat in gentilitatis errorem... Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum et ratum existit ». Quod est asserere maiorem firmitatem vinculi matrimonialis, quod est natum dependenter ab Ecclesia, prae vinculo eodem tantummodo naturali.

531. **Interpellationes faciendae.** — Innoc. III Ferrariensi Episcopo ait interpretans privilegium Paulinum [3]: « Si enim alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relin-

[1] I ad Corinth. VII, 12, 13, 15. — [2] II ad Corinth. VI, 14. — [3] Cap. 7 de Divortiis tit. et Lib. cit^s.

quitur ad secunda, si voluerit, vota transibit, et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi; et canonem etiam in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur ».

Hanc ergo voluntatem infidelis utpote conditionem usus privilegii esse exquirendam, declarat aiens *can. 1121. § 1. Antequam coniux conversus* ex infidelitate, quia subditur *et baptizatus.* (unde interpellationes sequentes factae ante baptismi susceptionem non sufficiunt), utens privilegio Paulino, dum alter coniux manet infidelis, *novum matrimonium valide contrahat*, *debet* quidem ex iuris divini praescripto quoad usum privilegii Paulini, *salvo praescripto can. 1125*, quod continet declarationes sive illius determinati iuris ut quibusdam Doctoribus placuit, sive alterius quoque divini iuris tribuentis Rom°. Pontifici facultatem illo in can°. insertam, *partem non baptizatam interpellare;* (ac quibus servatis dicetur in can. seq.): — 1° *An velit et ipsa converti* vere, *ac* proinde *baptismum suscipere;* — Et si ad illam interrogationem negative respondeat saltem implicite, 2° *An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris,* prout Innoc. III explicavit. Si responsio infidelis coniugis sincera sit affirmativa uni vel alteri quaesito, interim locus non est Privilegio Paulino.

Sic enim legitur in cap. 8 de Divortiis (IV, 19): « Qui autem secundum rituum suum legitimam repudiavit uxorem: cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, numquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso: aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo casu restitutionem petenti, quamvis de iniusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: quia secundum Apostolum, frater aut soror non est in huiusmodi subiectus servituti. Quod si conversum ad fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur. Quamvis quoque secundum evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, moechatur, non tamen dimissor poterit obiicere fornicationem dimissae pro eo, quod nupsit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata ».

Tamen solus Romanus Pontifex habet facultatem dispensandi

secundam vel utramque interpellationem ex iusta causa, quae facultas solet a Sede Aplca. per delegationem communicari Vicariis Aplcis., Episcopis, aut missionariis pro casibus ordinarie emergentibus; quando nempe vel interpellationes fieri nequeunt, et de hoc morali constat certitudine, vel omnino inutiles certo extiturae sunt. Quod ultimum consonat reg^ae. Iuris 31 in 6°: « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet ». Quae dispensationes, eo quod ius divinum respiciant, aliter proprie vocantur in statuente § 2. *Hae interpellationes* duae praefatae *fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit* in casu aliquo vel per normam qualitercumque generalem, sicut in praedictis delegatis facultatibus.

532. **Facultates quoad interpellationes quibusdam Vicariis ac Praefectis Apostolicis** conceduntur per utramque Formulam tertiam « ea lege ut illae subdelegari possint » (Animadversio I); videlicet: (24 aut 25) « Dispensandi super (utraque) interpellatione coniugum (viri aut uxoris legitimorum) in infidelitate relictorum (seu non baptizatorum) pro omnibus *casibus ordinariis* (nempe: quae occurrant cum specialibus circumstantiis infra vel in Codice consideratis), dummodo (per quam particulam exprimitur « conditio essentialis pro huius facultatis validitate » ad normam can. 39) scilicet adhibitis antea (seu praevie ad dispensationem) omnibus diligentiis, (nempe: quas prudentia suadet), etiam per publicas ephemerides (si hoc medium probabiliter utile iudicetur) ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis (ob defectum cuiuslibet notitiae), constet (morali cum certitudine) saltem summarie et extraiudicialiter (sed positivis probationibus circa praefatas diligentias et inutilem expectationem) coniugem (revera) absentem moneri legitime (idest: ad normam can. 1122) non posse, aut monitum (praedictis modis vel iuxta notitias de ipsius commoratione habitas) infra tempus in monitione (cui factae adiungendum esset) praefixum suam voluntatem (quoad interpellationum intentionem) non significasse » tali modo, ut noscatur.

(25 aut 26) « Itemque dispensandi super (utraque) *interpellatione* coniugis (proprie, viri uxorisve) in infidelitate relicti, siquidem (quae particula « eiusdem significationis » est ac *dummodo* can. 39, de qua in num°. praec^i.) certo constiterit (scilicet: ob rationes positivas) saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem (quamlibet necessariam) fieri non posse sine evidenti gravis damni (personae, libertatis, bonorum) aut coniugi (vero respectu relicti in infidelitate) iam ad fidem converso (etsi non baptizato) aut christianis (etsi non omnibus) inferendi (consequenter ad illam interpellationem) periculo ».

(26 aut 27) Demum « permittendi *a*) ut, accedente gravi causa (v. gr. superventuro iuxta prudentiam illo periculo), *interpellatio* (utraque veri) coniugis infidelis (etiam in futurum ex his quae apparent) ante *baptismum* partis quae ad fidem convertitur (contra can. 1121) fieri possit; *b*) nec non, gravi pariter de causa (quando illud permittere non sufficiat) ab eadem (utraque) interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, (seu omnino) dispensandi, dum-

modo (ad dispensationis validitatem ex can. 39, 84, § 1) hoc in casu (nempe: huiusmodi concedendae dispensationis) ex processu (in scriptis redacto) saltem summario (id est absque iuris formalitatibus alias praescriptis) et extraiudiciali (seu administrativo) constet (positivis argumentis cum morali certitudine prudenti) interpellationem (quam declaravimus) *a*) fieri non posse (ob illam gravem causam), *b*) vel fore inutilem », iuxta cit. reg. 31 iuris in 6°.

533. **Modus interpellationes faciendi.** — Interpellationes faciendas esse, quatenus eis opus sit ad cognoscendam voluntatis dispositionem in coniuge infideli, patet ex sacrae Scripturae textu cit.: non sic de modo adimplendi hoc ius divinum. Cum Ecclesiae intersit illud urgere ac eiusdem vigilare observantiam, cavet *can. 1122. § 1. Interpellationes* duae memoratae in can. praec. *fiant regulariter*, quia exceptiones supponuntur legitimae, a) *forma saltem summaria*, resecatis quae addere necessaria non sint, *et extraiudiciali*, seu modo administrativo, b) *de auctoritate Ordinarii*, subintelligendo: loci *coniugis conversi* ad normam can. 94, utpote quod eius auctoritati incumbit curam istius, c) *a quo Ordinario* tantum superintendente novis nuptiis forsan desideratis *concedendae sunt quoque coniugi infideli*, non eas offerendo, sed *si quidem eas petierit*, quia de re gravi agitur atque de iure amittendo, *induciae ad deliberandum;* sed ne ille abutatur in baptizati coniugis incommodum, vel prava voluntate, subiungit canon: d) *eo tamen monito* (subintelligitur coniux infidelis) *fore ut* determinatis ab Ordinario *induciis inutiliter*, idest: sine ipsius decisione quoad dandas responsiones, *praeterlapsis*, ipso facto transacti temporis *responsio praesumatur negativa*, videlicet: nisi probetur impossibilitas physica vel moralis utendi tempore ad deliberandum, et ad respondendum eidem Ordinario.

Cum autem Ecclesia intendat solum, ut Praelatis nota sit praedicta divini iuris observantia, benigne disponit § *2. Interpellationes* a) *etiam privatim*, seu auctoritate Ordinarii non interveniente, *factae* personaliter b) *ab ipsa* (cuius interest) *parte conversa*, non ab alia persona, etsi ei valde coniuncta, a) *valent*, ad usum privilegii Paulini quod attinet, b) *imo sunt etiam licitae*, utpote praescripto §^{1} praec^{s}. quoad modum non oppositae: *si forma superius praescripta servari nequeat* qualibet ex causa et undecumque ista procedat: sed cum illae interpellationes ad novas nuptias valide ineundas deservire queant, subditur: *hoc tamen in casu*, nempe: quando « sunt etiam licitae » *de ipsis, pro foro externo*,

in quo iudicantur facta extare sola, quae apparent, *constare debet* a) *duobus saltem testibus*, qui de illis peractis interpellationibus fidem faciant sufficientem viro prudenti, b) *vel alio legitimo* (iuxta canones « de probationibus ») *probationis modo* quoad eius substantiam, etsi absque formalitatibus.

534. **Quandonam ius ad novas nuptias pars baptizata obtineat.** — Quia ut vidimus ex textu D. Pauli, ad fruendum eius privilegio sit conditio necessaria ut renuat coniux infidelis pacificam licitamque cohabitationem, quandonam existat sufficienter huiusmodi conditio, authentice declaratur in *can. 1123. Si interpellationes* duae praedictae, vel solum secunda iuxta reg. iuris in 6° « 35. Plus semper in se continet quod est minus », *ex declaratione* proprie dicta, non dispensatione, cum illa sit circa ius divinum, solius *Sedis Apostolicae*, videlicet: « ex rei natura » (can. 7) Romani Pontificis, si declaratio sit generalis, quamvis ut organo utatur aliqua Rom. Congregatione vel Officio, « sed etiam » Congr[s]. S. Officii si declaratio sit in casu particulari, vel prout includitur in facultatibus interpellationes dispensandi, quae ab illa elargiuntur Congregatione Suprema: si ergo « interpellationes », ut dictum est a) *omissae fuerint*, b) *aut si infidelis* coniux interpellatus *eisdem*, vel primae tantum, si secunda solummodo fuerit legitime omissa, *negative responderit expresse*, oretenus, scripto, vel signis aequipollentibus, *vel tacite* factis v. gr. vitando fuga, occultatione sui, ne ad ipsum pervenirent, dilationes respondendi nectendo, ita ut certo moraliter illa negativa responsio eruatur, in aliquo multiplici casu praedicto *pars baptizata ius habet* consequens ex privilegio Paulino sibi favente absdubio, *novas nuptias*, quin obstet impedimentum ligaminis, sed ex praxi Ecclesiae illud interpretantis, *cum persona catholica*, scilicet: ut ipsis non obstet impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus, *contrahendi*, et hoc equidem rationabiliter, eo quod privilegium utendum pro fundamento habet vitandum illud periculum, cui se committeret utens illo per mixtas nuptias.

Limitatio vero subiungitur in canone desumpta ex cap. cit. 8 de Divortiis (IV, 19), quod ita explicit: « Quamvis quoque secundum Evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam moechatur, non tamen dimissor poterit obiicere fornicationem dimissae, pro eo, quod nupsit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata ».

Cum autem « per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur », ita recte explicit canon, quem commentamur: *nisi ipsa* pars baptizata a) *post baptismum*, nihil curando de praecedente illum causa, b) *dederit* aliquo facto alteri *parti non baptizatae* c) *iustam discedendi causam* v. gr. adulterii, vel ad separationem inter eos ex iure canonico sufficientem, quia in hoc casu discessio non est derivata propter conversionem alterius coniugis.

Singularis effectus dispensationis ab interpellationibus describitur a S. C. Inq.[s] hisce verbis [1]: « Matrimonium vero eius cum quo dispensatum fuerit, etiamsi postea innotuerit coniugem infidelem suam voluntatem iuste impeditum declarare non potuisse et ad fidem etiam tempore initi matrimonii conversum fuisse, nihilominus numquam rescindi, sed validum esse debebit ». Quod facilius probatur rectum esse ex can. 1125, quam ex interpretatione privilegii Paulini.

535. **Quamdiu applicari queat privilegium Paulinum.** — In textu D. Pauli nulla est limitatio usui privilegii posita, et cum sequenti amplitudine illud interpretatur *can. 1124. Coniux fidelis*, sic dictus per oppositionem ad alterum sub infidelitate manentem, *licet post susceptum baptismum denuo*, quia coniunctus matrimonio ante illum, *matrimonialiter* quoad omnia *cum parte infedeli* sic manente *vixerit; ius tamen*, uti proveniens ex privilegio Paulino, *novas celebrandi nuptias cum persona catholica*, sicut in can.[e] praec.[i] explicatum est, *non amittit*, scilicet: huiusmodi factum vitae matrimonialis eidem non obstat privilegio tribuenti ius illud, *ideoque potest hoc iure uti* ad vinculum dissolvendum, semper praesupposita illius expressa conditione discessus, nempe: *si coniux infidelis* de quo supra, *mutata voluntate*, dum prius respondisset affirmative, a) *postea discedat* saltem factis *sine iusta causa*, quae sibi a coniuge fideli data sit, b) *vel iam non cohabitet*, ut requirit vita coniugalis, *pacifice sine contumelia Creatoris*, eo quod vel intendat ipsum pertrahere ad mortale, vel matrimonio iniuriam inferat per bigamiam.

536. **Declarationes Romanorum Pontificum de infidelium matrimoniis dissolvendis** [2]. — Potestatem declaratoriam

[1] 4 Febr. 1891.

[2] Similitudinem cum huius canonis concessionibus habet, sed expeditior est facultas vere circa Privilegium Paulinum de quo in can.

iuris divini exercuit Rom. Pontifex in Codice per *can. 1125. Ea* tantum *quae matrimonium respiciunt* in infidelitate contractum, aliudve post conversionem ac baptismum unius saltem coniugis contrahendum, *in constitutionibus* a) *Pauli III* « *Altitudo* » *1 Iun. 1537*, quod affertur quoad eam partem de matrimonio ut Documentum VI Codicis, de his « qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores », b) *S. Pii V* « *Romani Pontificis* » *2 Aug. 1571* relata partialiter sub Documento VII, de ipsis ac antea, « quas uxores ipsi etiam levissimis de causis repudiant, unde factum est quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore. quae simul cum marito baptizata existit » ; c) *Gregorii XIII* « *Populis* », *25 Ian. 1585*, et quae legi potest sub Documento VIII, de his infidelibus, quos saepe contingit « post contracta gentili ritu matrimonia,... ab hostibus captos, a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari, adeo ut tam ipsi, captivique qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, coniuges infideles tam longo locorum intervallo disiunctos, an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias nec nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem », *quaeque* memorata ex constitutionibus, *pro peculiaribus locis scripta sunt*, nempe : illa sub *a*) « pro incolis occidentalis et meridionalis Indiae », ista sub *b*) « pro salubri Indorum noviter conversorum directione », et haec sub *c*) « pro exterminatis ex Angola, Aethiopia, Brasilia, et aliis Indicis regionibus », *ad alias quoque regiones* quaslibet in mundo, sed *in eisdem adiunctis* nunc singillatim exponendis *extenduntur*.

1121 concessa per utramque Formulam tertiam « dispensandi cum gentilibus et infidelibus (non sic cum haereticis aut schismaticis, forsan) *plures uxores* habentibus, (iuxta regulam iuris 40 in 6⁰ : « Pluralis locutio duorum saltem numero est contenta »), ut *a*) post conversionem (viri) et *b*) baptismum, quam ex illis (uxoribus tunc habitis) maluerint, (quamvis ultimo acceptam, sub conditione) si etiam ipsa fidelis fiat (per conversionem et baptismum) retinere possint (ut uxorem, cum eadem contrahentes) nisi prima (idest : vera in infidelitate uxor) voluerit converti ». Unde ipsamet interpellata solummodo « 1⁰ An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere » ad normam can. 1121 et seqq ˢ cum dispensatione implicita interrogationis sub n. 2⁰ eiusdem cit. can. — Et haec facultas subdelegari potest ob asteriscum, quo munita est in utraque Formula praefata.

Quoad const. Pauli III. « qui ante conversionem *a*) plures iuxta eorum mores habebant uxores, *b*) et non recordantur quam primo acceperint », tunc super eorum matrimoniis hoc observandum decernit S. Pontifex, ut « conversi ad fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est » ; de aliis « vero *b*) qui recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eisdem omnibus concedit, ut coniuncti etiam in tertio gradu tam consanguinitatis, quam affinitatis, non excludantur a matrimoniis contrahendis », non solum praedictis sed aliis etiam, seu dispensantur generaliter ab his impedimentis « donec S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum ». Quod viget quoque quia « matrimonium respicit ».

Quoad const. S. Pii V, « quia saepenumero contingit (uxorem cum marito baptizatam) non esse primam coniugem, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire »: et haec sunt adiuncta, quae moverunt Pontificem sanctum, ait enim statim: « ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere atque ipsos Episcopos et ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes », in hunc ergo finem « apostolicae potestatis plenitudine » sequentem decernit concessionem: « *ut Indi*, *a*) sic ut praemittitur baptizati, et in futurum baptizandi, *b*) cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant, tanquam cum uxore legitima », (insuper si plures ex uxoribus simul cum eo baptizentur, applicanda erit praec.ª Pauli III const. quoad electionem unius ex baptizatis), « aliis dimissis, apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus, matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere ».

Demum quoad const. Greg. XIII, adiuncta sunt iam prius relata, subiungitur enim: « idcirco Nos, attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente solvi non possint », et haec est iuris ratio ac decisionis fundamentum, ex factis vero motivum: « talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati », sequiturque concessio: « universis et singulis dictorum locorum *a*) Ordinariis *b*) et

parochis, *c*) et presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis Superioribus approbatis et ad dictas regiones pro tempore missis vel in illis admissis, plenam, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, (ait Pontifex) concedimus facultatem dispensandi cum *a*) quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus *b*) incolis dictarum regionum (nempe: « a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminati, tam ipsi, captivique qui in patria remanent ») *c*) et serius ad fidem conversis, *d*) qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerunt », hae conditiones sunt velut adiuncta personarum dispensandarum: « ut eorum quilibet, *a*) superstite coniuge infideli », (cum esset iuxta privilegium Paulinum opus interpellationum), *b*) « et eius consensu minime requisito, aut responso non expectato, *c*) matrimonia cum quovis (tantummodo) fideli alterius etiam ritus (subintellige: catholici absque impedimento igitur disparitatis cultus vel mixtae religionis) contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare, et in eis postea carnali copula consummatis (ac ex tunc) quoad vixerint remanere licite valeant »: omnino servata in usu facultatis conditione: « dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter, coniugem, *a*) ut praefertur, absentem *b*) moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse »; et clauditur haec concessio illa declaratione S. Congr.ne S. Officii data pro casibus similium dispensationum in usu privilegii Paulini: « quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse », idest: vere non discessisse voluntate a coniuge converso, imo « et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse », quod omnino excludit privilegium ut a Paulo edicitur, « nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus ».

Quae omnia evincunt sufficienter praedictas constitutiones non fuisse solas privilegii Paulini declarationes, sed illo salvo ac matrimonii indissolubilitate protecta, quantum fragilitas patitur humana, per eas Summos Pontifices « authentice declarasse ius divinum » de impedimento ligaminis matrimonium novum non dirimente (can. 1038, § 1); quapropter eadem usus suprema auctoritate potuit Pius X s. m. digerens Codicem, ac Bened. PP. XV illius

faciens publicationem, statuere in can. 1125, quem commentamur, praedicta omnia generaliter « in iisdem adiunctis extenduntur » quoad loca, ut ubilibet in posterum vim habeant iuris canonici.

537. **Factum quo legitimi matrimonii vinculum dissolvitur.** — Tam privilegium Paulinum, quam praecedentis canonis declarationes applicationem sortiuntur ex circumstantiis, quae in dies variari queunt, inde absdubio sequitur ligaminis impedimentum quandoque non urgens, mutatis circumstantiis iam urgere, dummodo interim validum matrimonium subinductum non fuerit, talis est enim dirimentis impedimenti natura supra explicata. Idipsum exprimit *can. 1126. Vinculum prioris coniugii* a) *in infidelitate* b) *valide contracti* quodcumque, sed adhuc existens, quia dicitur: *tunc tantum solvitur* ad normam praecedentium can. 1120-1125, *cum pars fidelis* ob conversionem ac baptismum a) *reapse novas nuptias* b) *valide iniverit.* Idque statim propter huiusmodi novi « matrimonii essentiales proprietates unitatis ac indissolubilitatis » (can. 1013, § 2).

538. **Favor iuris,** ut ad can. 1014 monuimus, praevalens alteri quo « matrimonium gaudet, ut in dubio standum sit pro valore matrimonii, donec contrarium probetur », edicitur in *can. 1127. In re dubia*, quia dubium ex facti circumstantiis oriri debet, *privilegium fidei*, non solum Paulinum de quo extabant declarationes statim adducendae, sed vi can. 1125 eo quod hic sicut D. Pauli textus innituntur divinae concessioni propter fidei propagationem ac conservationem inter homines, ut in illis elucet, *gaudet favore iuris*, quem explicant responsa S. Congr.ae Inquisitionis hac de re data. Videlicet: ad dubium: « Matrimonium dubie baptizati cum non baptizata estne validum » respondit praedicta S. Cong. [1]: « Matrimonium habendum esse uti invalidum ob impedimentum cultus disparitatis ». Eadem [2] respondit: « Si vero pars una convertatur post conversionem alterius, et examinato casu particulari supersit dubium, stet pro nullitate matrimonii in favorem fidei » atque suae decisioni [3] addidit: « Mens est, ut in dubio iudicium sit in favorem fidei ».

[1] 7 Iul. 1880. — [2] 18 Maii 1892. — [3] 26 Ap. 1899.

Art. II. — *De separatione tori, mensae et habitationis.*

Can. 1128. - Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset.

Can. 1129. - § 1. Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit.

§ 2. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit.

Can. 1130. - Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursum admittendi ad vitae consortium; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit.

Can. 1131. - § 1. Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit: si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat; haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora.

§ 2. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore.

Can. 1132. – Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit.

539. **Inscriptio articuli et coordinatio canonum.** — Doctores ab antiquo distinxerunt separationem coniugum, quam cum ipso iure vocaverunt divortium, veluti per diversam iuridicam viam euntium, in divortium plenum ac divortium semiplenum, cui postremo normas dat per eius canones *Articulus II* inscriptus proprie *De separatione*, quin dissolvatur coniugum vinculum, eorum *tori* designantis matrimonialem vitam qua talem, *mensae*, qua vita eorum domestica innuitur, *et habitationis* communis eis ad praedicta officia rite adimplenda; ita ut secundum ius canonicum manentibus « aequo iure et officio », explicato utroque in can. 1111, « quod est utrique coniugi ab ipso matrimonii initio », illius exercitium ac istius adimplementum legitime suspendantur ad normam definitionis dogmaticae Conc. Trid. [1]: « Si quis dixerit, Ecclesim errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad

[1] Sess. XXIV de Sacramento matrimonii, can. 8.

torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit ». Quae distinctio expressa in cit.ª definitione simul cum causae diversitate ad separationem, nobis offert canonum coordinationem, quae talis est. Primo recognita « vitae coniugalis communione » uti obligatoria cum limitatione generica in can. 1128, haec limitatio quoad causam adulterii ab uno coniuge patrati, ac expressam in Evangelio, regulas suscipit ex can. 1129, 1130, quoad alias vero causas separationem inducentes semper ad tempus ex seipsis, uti norma obtinet can. 1131, cui adiungitur can. 1132 generalis circa coniugis designationem « penes quem filii educandi erunt ».

540. **Obligatio communis vitae inter coniuges**. — Propter fines matrimonii primarium et secundarium nempe: educationem prolis procreandae ac mutuum adiutorium remediumque concupiscentiae (can. 1013 § 1), sequitur necessario quidquid edicit *can. 1128. Coniuges* ob matrimonii contractum validum *servare debent vitae coniugalis* iuxta inscriptionem declaratam articuli, *communionem* ex actibus utriusque ad eosdem fines conspirantibus constantem, *nisi iusta causa* circa quosdam actus v. gr. ob damnum quodam tempore ex illis timendum, vel circa aliquas obligationes, v. gr. ob necessariam absentiam, *eos excuset,* scilicet: utrosque vel alterutrum directe. Alioquin laederetur regula iuris 33 in 6°: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ».

541. **Adulterium velut causa separationis**. — Apostolus ad Corinth. [1] scribit: « iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: Et vir uxorem non dimittat ». Igitur asserit recte Innoc. III in cap. Gaudemus 2 [2]: vir et uxor « non ad imparia iudicentur circa matrimonium ». Huic principio iuris congruit *can. 1129,* dum statuit sub § 1. *Propter coniugis*, mariti aut uxoris *adulterium* proprie dictum, tum materiale eo quod sit verum matrimonium, tum formale subiective propter deliberatam voluntatem et obiective propter actum fornicationis perfectae, « qui directe est contra bonum matrimonii, quia tollitur per eum certitudo prolis » etiam unico actu, *alter coniux*, in cuius gratiam clamat reg. iuris 75 in 6°: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam

[1] I cap. VII, 10. — [2] Tit. de Divortiis, 19 Lib. IV.

servare recusat », et quae ratio militat in aliis peccatis cum complice contra naturam, *manente vinculo* secundum dogmaticam definitionem in Conc. Trid. [1]: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi,... anathema sit », *ius habet solvendi,* eo quod Salvator Dominus dixit: « Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari », unde « Glossa (interl. super illud: *Vir uxorem non dimittat* I ad Corinth. VII) ait: « Dominus permisit causa fornicationis uxorem dimittere »: ergo non est in praecepto » [2], *etiam in perpetuum*, quia ex cap. 4 de Divortiis [3]: « si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet », *vitae* coniugalis *communionem* omnem, salvis quae sequuntur exceptionibus: a) *nisi in crimen consenserit* iuxta reg. iuris 27 in 6.° « Scienti et consentienti nulla fit iniuria », qui consensus culpam secumfert, utpote voluntatis actus cum sufficienti deliberatione quoad sequuturum vel actu patratum crimen, b) *aut eidem* ex circumstantiis prudenter praevidendo *causam* physicam vel moralem ut in pluribus inducentem ad adulterium *dederit* positive ac modo voluntario, v. gr. necessariorum defectu cogens uxorem ut adulterandam se tradat, c) *vel illud expresse* verbotenus parcens, *aut tacite*, dum sciens illud ad actum admittat matrimonialem, *condonaverit,* nam reg. iuris 61 est in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum », sicut esset volentem condonare coniuge privari, d) *vel ipse quoque idem crimen commiserit,* nam in cit. cap. 4 additur ad praedicta illa verba: « nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse », tunc enim vir cogi debet ad uxorem adulteram recipiendam, ergo a fortiori nequibit illam dimittere, atque Innoc. III Episcopo Ambianensi expresse ait [4]: « Super quo tibi respondemus, quod cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir huiusmodi fornicationis obtentu, suae uxoris nequit consortium declinare, si postmodum ipse cum alia perpetret adulterium manifeste ». Hae singulae exceptiones cum earum determinationibus congruunt iuri

[1] Sess. XXIV de Sacramento matrimonii can. 7 — [2] D. Th. Suppl. q. LXII, art. 2. Sed contra. — — [3] Tit. 19, Lib. IV. — [4] Cap. 7 de adulteriis, tit. 16, Lib. V.

veteri, ac proinde sunt aestimandae ad normam can. 6, 2° « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus ».

Una exclusio causae separationis ob adulterium est, ut vidimus sub littera *c*) « si illud tacite condonaverit », propter quam additur § 2. *Tacita condonatio* I° *habetur*, quin denegetur in aliis factis contineri, sed asseritur: *si coniux innocens*, eo quod de adulterio illo vel altero a se patrato non est culpabilis, ut explicatum fuit sub litteris a) b) et d), *postquam de crimine adulterii certior factus est*, nam tacita condonatio in voluntate existit factisque panditur, voluntatis vero actus de ignoto non datur, *cum altero coniuge* a) *sponte*, non gravi metu aut vi coactus, b) *maritali affectu*, nempe: circa ea quae coniugum qua talium sunt propria, *conversatus fuerit;* quae cum sint occulta, subdit canon: II° *praesumitur vero* supple « tacita condonatio » praedicta, *nisi* a) *sex intra menses* computandos continue ab adulterio patrato, ac proinde « prout sunt in calendario » (can. 34 §§ 2, 3, 1°), *coniugem adulterum* a) *expulerit* e proprio consortio habitationis, b) *vel dereliquerit*, ut expresse loquitur Iesus Dominus, c) *aut legitimam accusationem fecerit*, prout in iure Decretalium conceditur [1]: « Maritis etiam ex suspicione uxores accusare permissum est: et ipsi plus ceteris de adulterio et accusare possunt et defendere ».

Praedicta enim omnia omittens, nisi condonaret saltem tacite, comprehendetur sub cap. 3 eiusdem tituli: « Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et eius peccati particeps ».

542. **Perduratio separationis.** — Separatio praedicta, quae non sit coarctata ad debiti denegationem, pertinet ad forum externum, quatenus fieri nequeat sine aliorum scandalo, ni causa ipsa publice nota fuerit. Huic foro normam tradit aiens *can. 1130. Coniux innocens*, eo quod absque ipsius voluntate fuit adulterium patratum, seque ab aequali crimine immunem servavit, a) *sive iudicis sententia*, prout faciendum est, quando crimen non est publicum, quod ex alia parte probari potest, b) *sive propria auctoritate*, prouti ei plene licet iure evangelico, dum *legitime* idest: ex certa adulterii scientia quod nulla tergiversatione defendi possit, ac scandalo vitato, *discesserit*, alias per ecclesiasticam auctoritatem cogi posset ad hoc

[1] Cap. 4 tit. De adulteriis 16 Lib. V.

removendum per instaurationem vitae coniugalis; attamen dictis in casibus *nulla unquam obligatione tenetur,* « quia cessante culpa et quantum ad actum et quantum ad maculam, adhuc manet aliquid de reatu, et cessante reatu quoad Deum, adhuc manet reatus quoad poenam humano iudicio inferendam, quia homo non videt cor, sicut Deus » [1], ideoque « obligatione non tenetur » *coniugem adulterum,* et hac de causa separatum, *rursus admittendi ad vitae* coniugalis *consortium,* eo modo quo fuit disiunctum.

Porro « illud quod inducitur in favorem alicuius, non facit ei praeiudicium », vel sicut ait reg. iuris 61 in 6°. « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ». « Unde cum divortium sit inductum in favorem viri (vel melius innocentis coniugis) non aufert ei ius petendi debitum vel revocandi uxorem, (nempe: coniugem adulterum) » [2]. Quapropter merito asserit canon: *potest autem* a) *eundem admittere* ad eiusdem poenitentis preces sequentis sententiam Apostoli: (I ad Corinth.) « Quod si discesserit (uxor), manere innuptam, aut viro suo reconciliari », b) *aut revocare* propria voluntate obsequens Apostoli dicto citato, etiamsi ad separationem ecclesiastica intervenit auctoritas, nam « sententia Ecclesiae divortium celebrantis non fuit cogens ad separationem, sed licentiam praebens; et ideo absque retractatione praecedentis sententiae, (seu salva regula iuris Romanorum: « Quod semel bene definitum est, nulla debet iteratione retractari »), potest reconciliatio fieri vel sequi [3] ». « Unde uxor (seu coniux adulter) tenetur ei reddere (debitum), et ad eum redire, si fuerit revocata, nisi de licentia eius votum continentiae emiserit ». Videlicet uti plenius canon providet: *nisi ex ipsius* coniugis innocentis *consensu, ille* nempe: coniux adulter *statum* religiosum vel clericalem *matrimonio contrârium,* per professionem vel per ordinationem in sacris *susceperit.* Huiusmodi namque consensu cessisse dicendum est libere ac bene ius praedictum, subintratque regula iuris 21 in 6°: « Quod semel placuit, amplius displicere non potest ».

543. **Aliae causae separationem cohonestantes** dantur secundum praxim Ecclesiae in hoc ipso non errantis iuxta dogmaticam definitionem sub inscriptione articuli citatam, quae tamen causae ad vinculi solutionem non sufficiunt ob alteram eiusdem

[1] D. Th. Suppl. q. LXII a. 6, ad 2m. — [2] D. Th. Suppl. q. LXII a. 6 ad 3m. — [3] D. Th. Suppl. q. LXII a. 6 ad 1m.

Conc.[1] Trid. definitionem [1]: « Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit ». — His concordat illamque praxim demonstrat confirmatque *can. 1131.* § 1. *Si alter coniux,* maritus vel uxor, a) *sectae acatholicae*, sic dictae proprie ob professam haeresim vel schisma, *nomen dederit* per ipsius inscriptionem inter adhaerentes illi, « quia infidelitas, ut optime ratiocinatur D. Th. [2], quae dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra bonum matrimonii, quod est proles educanda ad cultum Dei, (ideoque) etiam ipsa divortium facit (idest : causam dat sufficientem), sed tamen aliter quam corporalis fornicatio ; quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quae pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur ». Ipsa optime in canone determinatur, praedictaque ratione fulcitur canon sic prosequens : b) *si prolem acatholice educaverit* secundum instructionem ac mores acatholicorum ; c) *si vitam criminosam* propter peccatorum frequentiam, insuper *et ignominiosam ducat*, ne alter videatur eidem connivere, sicque vitae illius moraliter particeps fieri ; d) *si* non qualecumque, sed *grave* in se propter damnum *seu animae* v. gr. peccandi mortaliter, amittendi fidem, *seu corporis,* v. gr. amittendi libertatem, magna fortunae bona, incurrendi gravem infirmitatem, *periculum* vere fundatum ac probabile *alteri* coniugi *facessat,* etsi hoc ab eius voluntate independens fuerit ; e) *si saevitiis,* quae moderationem in afflictivis poenis etiam iustis excludit, *vitam communem* inter coniuges ducendam non qualitercumque aut parum, sed *nimis difficilem reddit, haec* enim vel fini primario vel certe mutuo adiutorio, secundario matrimonii fini moraliter adversantur, f) *aliaque id genus* determinandum ex matrimonii finibus secundum declarationes supra positas, v. gr. affectata diuturna absentia coniugis, quae remedium concupiscentiae fraudat, *sunt pro altero coniuge* praefata damna sustinente vel ab illis causis alieno, *totidem legitimae* idest : iure canonico approbatae singulae *causae discedendi,* α) semper seu absolute *auctoritate Ordinarii loci* cognoscentis causam, et decernentis saltem extraiudicialiter separationem. β) *et etiam propria*

[1] Sess. XXIV de sacramento matrimonii can. 5. — [2] Suppl. q. LXII a. 1 ad 3[m].

innocentis coniugis *auctoritate*, seu proprio marte ac privatim, sub conditione duplici a) *si de eis* singulis causis *certo* moraliter *constet* ex sufficientibus ad hoc probationibus privatis, b) *et periculum sit* imminens *in mora* perferenda, cuius opus esset ad expectandum loci Ordinarii interventum.

Pro diversa discedendi auctoritate diversus reconciliationis modus traditur in § 2. *In omnibus his* singulis *casibus* discessus ob praefatas causas, saltem generaliter recensitas, *causa separationis cessante*, subintrat lex divina sub can. 1128 exposita, proinde *vitae consuetudo restauranda est* ob vinculi coniugalis subsistentem naturam : canon autem normam tradit sequentem aequitate moderatam, sed ad omnes casus extensam, quam in cap. 6 tit. 19 « De divortiis » dedit Urbanus III Florentino Episcopo : « De illa, quae viro suo labente in haeresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier (maxime si ea intentione discessit, ut lapsus in haeresim taedio pariter et confusione affectus, se ab errore suo converteret) ei cum reversus fuerit est reddenda : quae etiam si reverti noluerit, compellatur. Si vero iudicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam ». Similiter canon illam urgendam obligationem implicite continet, addens adversative : *sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit,* decreto extraiudiciali aut sententia, *ad certum,* seu determinatum diem, *incertumve* propter indeterminationem diei *tempus,* propter illam auctoritatis interpositionem *coniux innocens* respectu causae separationis *ad id* nempe : vitae consuetudinis restaurationem *non obligatur*, ut supra declarata est obligatio, *nisi* a) *ex decreto* illam consuetudinem restituente *Ordinarii,* cui post separationem subiiciatur proindeque servando, qualitercumque « separatio pronuntiata fuerit », b) *vel exacto tempore* certo separationis, ac tunc veluti ex posita conditione ut legitima cesset separatio, nullo expectato novo auctoritatis ecclesiasticae interventu.

544. **De filiorum educatione post separationem.** — Cuicumque prudenti ac reputanti apud se causas praedictas in mentem surgit necessitas praescripti contenti sub *can. 1132* huius capitis ultimo. *Instituta separatione* alterutro modo ad normam §[1] 1[1] can.[s] praec.[s], *filii,* quando adfuerint saltem proprii utriusque coniugis separati, *educandi sunt* in omnibus a) *penes coniugem innocentem* de separationis causa, scilicet : sub eiusdem custodia

et auctoritate sunt ponendi, uti regula generalis profluens logice ex circumstantiis ; sed quia valde damnum eis immineret, nec esset possibile praecaveri ab Ecclesia in sequenti casu, additur alia regula sub conditione : *et si alter coniugum*, nempe : maritus vel uxor, *sit acatholicus*, quamvis sectae non adscriptus, sed tantum haereticus vel schismaticus et a fortiori infidelis, « filii educandi sunt », ut supra declaratum est, b) *penes coniugem catholicum* forsan non innocentem in causa separationis. — Attamen quia circumstantiae casuum multiplices prudentem suadebunt quandoque secus, ac dictum est, agi oportere, multum laude digna est exceptio : *nisi in utroque casu* sub litteris a) et b) *Ordinarius* pronuntians de separatione, vel tantum de praefata educatione in casu discessus legitimi ex auctoritate privata, a) *pro ipsorum filiorum bono* unice intendendo, quod praesens canon respicit, sed temporali quoque, nam sequitur : b) *salva semper eorumdem catholica educatione*, quae praecipuum est bonum fortassis penes coniugem respective culpabilem aut acatholicum possibile per formalem obligationem erga Ecclesiam vel alterum coniugem, *aliud* ac statuit generaliter canon, « Ordinarius » *decreverit*, prouti hoc canone eidem potestas attribuitur.

CAPUT XI.

De matrimonii convalidatione.

ART. I. — *De convalidatione simplici.*

CAN. 1133. - § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.

§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.

CAN. 1134. - Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse.

CAN. 1135 - § 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta.

§ 2. Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto.

§ 3. Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.

CAN. 1136. - § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat.

§ 3. Si fuerit etiam externus necesse est consensum etiam exterius manife-

stare, vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus.

CAN. 1137. - Matrimonium nullum ob defectum formae, ut valide fiat, contrahi denuo debet legitima forma.



545. **Inscriptio Capitis ac eius in articulos divisio.** — Deinde oportet considerare *Caput XI* inscriptum *De matrimonii* idest: coniunctionis initae sub extrinseca solum specie matrimonii reapse invalidi ob substantialem defectum, *convalidatione*, seu modo canonico illud instaurandi quoad validitatem. Quamvis convalidatio vindicet sibi locum ex aequo et iusto in matrimonio putativo, seu cum bona fide saltem unius coniugis celebrato, dari potest etiam pro matrimonio cum mala fide utriusque partis contracto, non autem pro mera coniunctione concubinaria, cui opus esset vera matrimonii prima celebratio. — Duplex modus in iure canonico adest instaurandi matrimoniorum validitatem. Prior cum effectibus matrimonii subsequentibus illam, altera quae secumfert iuridicos effectos retrotractos fictione iuris ad tempus illius invalide initi matrimonii. Hinc caput in duos dispescitur articulos, qui inscribuntur: *Art. I. — De convalidatione simplici*, et *Art. II. — De sanatione in radice.*

546. **Inscriptio Articuli et distributio canonum sub illo.** — *Articulus I* proprie inscribitur *De convalidatione*, seu declarata supra instauratione validitatis matrimonii *simplici*, quatenus necessaria solummodo supplentur ad coniunctionem efficiendam. Quaenam sint haec requisita pro matrimonio ob impedimentum invalido

noscuntur ex can. 1133, praecipuum ex illis exponit can. 1134, et quo diverso modo sit ponendum praescribit can. 1135, sequentes vero can. 1136, 1137 convalidationem moderantur secundum diversam invaliditatis originem, scilicet: propter defectum in consensu aut in forma celebrationis.

547. **Duplex requisitum cuiusdam convalidationis.** — Pro diversa matrimonii nullitate triplex datur simplex convalidatio, nempe: matrimonii irriti ob impedimentum dirimens, vel ob consensus vitium, vel ob defectum formae. De prima convalidatione statuit *can. 1133.* § 1. *Ad convalidandum* iuxta inscriptionem articuli *matrimonium* quoad vim efficiendi coniugale vinculum, *irritum ob impedimentum dirimens,* in quacumque parte hoc se habeat, *requiritur* a) *ut cesset* v. gr. impedimentum raptus *vel dispensetur* v. gr. consanguinitatis *impedimentum* praefatum, b) *et consensum renovet*, utpote prius datum, *saltem,* eo quod sufficiat, *pars* alterutra vel utraque, ut patet ex can.[s] 1135 §§[is] 2 et 3, *impedimenti conscia* temporis convalidationis perficiendae. Hoc igitur renovato post dispensationem vel cessationem praedictam, matrimonialis coniunctio exoritur. Hinc sequitur quandoque ad hanc convalidationem opus esse interventu auctoritatis ecclesiasticae, quandoque autem minime; ast semper consensus renovationem esse necessariam.

Quamvis ablatio impedimenti requiratur certo ad validitatem, cui obstat existens illud, e contrario consensus matrimonialis perseverans in utroquo coniuge vim haberet efficiendi matrimonium impedimento remoto: propterea monet § 2. *Haec renovatio,* quam determinavit §[us] 1, non ex natura intrinseca efficiendi matrimonii, sed *iure ecclesiastico requiritur ad validitatem* matrimonii sequuturi ex convalidatione, *etiamsi initio* apparentis coniunctionis matrimonialis, *utraque pars consensum* in can. 1081 § 2 definitum *praestiterit nec postea revocaverit,* proinde sufficientem ad faciendum matrimonium secundum cit.[i] can.[is] § 1.

548. **Qualis requiratur renovatio consensus.** — Hanc renovationem adeo necessariam explicat *can. 1134. Renovatio consensus* requisita ad validitatem in convalidatione *debet esse* a) *novus voluntatis actus* habens qua hoc, *in matrimonium* obiectum ceu singularem coniunctionem, b) *quod* renovanti consensum *constet ab initio* ex irrito contractu *nullum fuisse* qua vinculum.

549. **Diversus modus renovationis consensus** pendet a diversa impedimenti cognitione, prout est vel publice notum, vel utrique parti, vel alterutri tantum, qua de causa in tres §§os divisus est *can. 1135.* § 1. *Si impedimentum* « dirimens » (can. 1133, § 1) *sit publicum,* nempe : « quod probari in foro externo potest » (canone 1037), a) *consensus* b) *ab utraque parte* impedimenti conscia vel certioranda *renovandus est* ad normam can. 1134, c) *forma iure* idest : can. 1094 *praescripta.* Potiusquam convalidatio revera est matrimonii celebratio valide iterata.

§ 2. *Si sit occultum* « impedimentum dirimens » (can. 1133, § 1), eo « quod probari in foro externo nequeat » (can. 1037), *et utrique parti* sicut apparet ceu coniugi *notum* in praesenti tempore, *satis est,* cessante aut dispensato impedimento, a) *ut consensus* matrimonialis *ab utraque parte* ad normam can. 1134 *renovetur* b) *privatim,* id est : forma celebrationis matrimonii non servata, c) *et secreto* inter ipsas manifestatus.

§ 3. *Si sit occultum,* prout in §° 2° fuit declaratum, *et uni parti* ob apparens matrimonium *ignotum,* quae duo facile coexistere possunt, ut patet, *satis est* ad convalidandum matrimonium, *ut* a) *sola pars,* (non altera cui est ignotum impedimentum, ita sublatis contrarii iuris praec.s difficultatibus), *impedimenti conscia,* quod insuper supponitur, remoto impedimento saltem ob exequutam dispensationem, b) *consensum* « matrimonialem » (can. 1081, § 2), c) *privatim* ut in §° praec. d) *et secreto,* alteri prudenter saltem factis manifestatum *renovet* ad normam can. 1134, e) *dummodo altera,* quamvis consensum non renovet, attamen *in consensu* matrimoniali alias iam *praestito* quoad hoc singulare vinculum *perseveret* saltem habitualiter ob contractus naturam, nempe : illum non retractaverit, propter dicta in can. 1081, § 1.

Demum alia hypothesis evenire potest de occulto nempe impedimento, quod ignoretur ab utraque parte in ratione prohibitionis, quae hypothesis in canone omittitur nec sine causa. Supponitur enim de impedimentis « populum eruditum » esse vi can. 1018, ac si casus contingeret a confessario forsitan perceptus, non canone sed prudentia eidem providendum esset, vel fortassis dissimulatione ne peccata materialia transeant in formalia, maiorave mala ex separatione oriantur, vel per sanationem in radice praesertim quando illud extra confessionem forsan a parocho deprehenderetur.

550. **Convalidatio matrimonii irriti ob defectum consensus.** — Cum « consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri valeat » (can. 1081, § 1), talis actus voluntatis qualis descriptus est in can. cit. § 2 a parte ponendus est, quae circa illum defecit, ac manifestandus alteri, ut « matrimonium per convalidationem fiat ». Unde pro defectus illius diversitate tripliciter loquitur *can. 1136.* § 1. *Matrimonium,* qua coniunctio maritalis, *irritum ob defectum* substantialem *consensus* in contractu, quia vel non adfuit, vel cum errore aut pravitate circa ipsius obiectum fuit elicitus, *convalidatur* idest: vere nunc enascitur, *si pars* solum alterutra a) *quae non consenserat,* deficiente huiusmodi voluntatis actu, vel non sufficiente ad norman can.s 1081, § 2, b) *iam consentiat,* an solum interno matrimoniali consensu, vel etiam externe manifestato, edicitur in §§is seqs, c) *dummodo consensus* vere matrimonialis *ab altera parte praestitus perseveret;* sicut eadem clausula fuit sub can.c praec.1 explicata. — Deficiente omnino vel insufficienter elicito consensu partis utriusque, non erit locus convalidationi, sed matrimonii primae celebrationi cum nihil praecedens vim efficiendi matrimonii nunc obtineat.

§ 2. *Si defectus consensus,* saltem quoad ipsius substantiale obiectum, *fuerit mere internus,* ita ut nulli alteri innotescat ex contractus circumstantiis, *satis est ut pars quae non consenserat,* ut in §0 praec.1 explicatum fuit, sed *interius* tantum *consentiat* vero actu voluntatis ac sufficienti quoad obiectum, extante vero conditione alterius partis sub §0 praec. ad calcem posita. Exterior consensus manifestatio etiam soli alteri parti non est necessaria, quia non apud homines sed apud Deum defectus contigit.

Ratione contraria et congruenter can.i 1081, § 1, quia « matrimonium facit consensus legitime manifestatus », statuit § 3. *Si fuerit etiam externus* in ipso matrimoniali contractu « defectus consensus » (§ 1°), nempe: ab altera parte vel ab aliis cognitus, *necesse est* ad matrimonii convalidationem quod attinet, *consensum* non solum « interius » (§ 2) elicere « matrimonialem » (can. 1081, § 2), sed *etiam exterius manifestare,* saltem « alteri parti in suo consensu perseveranti » (§ 1°), equidem « legitime », quod in convalidatione adimpletur: a) *vel forma iure* can.s 1094 *praescripta,* in hypothesi: *si defectus fuerit publicus,* nempe: personis pluribus relative ad locum ac earum circumstantias actu notus, eo quod ut

coram Ecclesia matrimonium fiat, est illa « forma praescripta », b) *vel alio modo privato*, videlicet : prout opponitur « formae iure praescriptae », *et secreto*, ne ignorantibus defectus commissus patefiat, in hypothesi sequenti : *si fuerit occultus*, quamvis aliquibus prudentibus actu notus.

551. **Convalidatio matrimonii irriti ob defectum formae.** — Quia legitima matrimonialis consensus manifestatio ad coniunctionem maritalem efficiendam omnino necessaria nunc temporis sita est in forma celebrationis matrimonii, convalidationem proprie dictam denegat *can. 1137. Matrimonium* (qua vinculum) *nullum* existens *ob defectum formae* celebrationis ipsius, vel quia fuit omissa nunc ubicumque ab his qui eidem subiiciuntur, vel quia servata non adamussim ad normam can. 1094, *ut validum fiat*, idest : inter easdem personas vere existat, non convalidari proprie quoad elementa ipsius contractus praecedentis, *sed contrahi denuo*, nam praevia supponitur saltem naturalis celebratio, *debet* omnino, servata *legitima forma* pro validitate matrimonii praescripta : subintelligitur tamen prudentiae pastoris contrahentium relinqui, quo modo nempe : publice aut secreto idipsum fiat.

Art. II. — *De sanatione matrimonii in radice.*

Can. 1138. - § 1. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae ; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur.

§ 3. Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia.

Can 1139. - § 1. Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret.

§ 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti.

Can. 1140. - § 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Can. 1141. - Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede.

552. **Inscriptio Articuli ac eius canones.** — Deinde *Articulus II* venit commentandus, qui recte inscribitur *De sanatione matrimonii in radice*, secundum receptam ab Ecclesia Doctorum

nomenclaturam. Huius canonicae denominationis ratio sic reddi potest. Sanari proprie convenit solum viventibus. Metaphorice vero dici potest de omnibus in quibus verificetur quid simile sanationi viventium. Sanari enim contingit, quando is cui sanitas tribuitur est huius capax, utpote habens in se aliquid ad sanitatem pertinens, scilicet: vitam viresque iuvandas medicinis ad consequendum vigorem.

Sed matrimonium sanationi praesuppositum habet in se aliquid veri matrimonii, scilicet: consensum vere matrimonialem non mere fornicarium, sicut dictum est in convalidationis definitione, et per hanc dispensationem sanationis in radice, praedicto consensui tribuitur vigor validi matrimonii. Ergo convenienter haec convalidatio sanatio matrimonii appellatur. Quae dicitur fieri in radice, sumpta metaphora de arbore, cuius principium et causa intime connexa et perseverans est radix. Ita matrimonialis coniunctionis principium et causa intime connexa et habitualiter perseverans est consensus. Quia ergo sine istius renovatione convalidatur consensus primo praestitus nunc perseverans, et effectus convalidationis retrotrahuntur per fictionem iuris ad tempus consensus primo dati, convenientissime matrimonium dicitur sanari in radice.

Quatuor solos canones hic articulus continet, nempe: in canone 1138 notio illius sanationis exhibetur ac explicantur canonici effectus, de illius sanationis possibilitate aut impossibilitate per canones 1139, 1140 determinatur, et a Sede Apostolica solum fieri posse in can. 1141 decernitur.

553. **Quid sit matrimonii in radice sanatio ac huius vis.** — *Can. 1138* pro Codicis more definit illud de quo tractatur in articulo. § 1. *Matrimonii,* qua coniunctionis maritalis, *in radice* nempe: in consensu, qui « matrimonium facit » (can 1081, § 1), *sanatio*, per quam illa vigorem obtinet iuridicum, *est eiusdem convalidatio* explicata in capitis inscriptione, attamen extraordinaria utpote *secumferens* implicite a) *praeter dispensationem,* quatenus haec sit necessaria, *vel cessationem impedimenti*, quod ad sanationem ut plurimum praesupponitur, atque obstat ne praeexistens semper consensus matrimonialis efficiat matrimonium, b) *dispensationem a lege* videlicet: canonis 1133, § 2 *de renovando consensu,* qui forsitan in manifestatione legitima passus est defectum, propter quem non fuit consensus efficax, quae renovatio fuit descripta per

can. 1134, c) *et retrotractionem* illius, quod nunc conceditur, *per fictionem iuris*, quae solam possibilitatem, non rei veritatem, nec contradictionem implicat, *circa effectus* matrimonii *canonicos*, seu a canonico iure illi concessos, *ad praeteritum*, nempe : sic iudicandos ac si obtenti fuerint tempore initi contractus matrimonialis invalidi, qui sublato tunc impedimento validus fuisset.

Haec ultima explicatio patefit ac roboratur in § 2. *Convalidatio*, qua vinculum coniugale instauratur, *fit a momento* plenae *concessionis gratiae*, facta quoque exequutione, si huius opus fuerit, ita ut solum ex hoc momento adsit vinculum coniugale, non prius extiterit ; *retrotractio vero intelligitur facta*, non in rei veritate, sed ut diximus, iudicatur ac reputatur ab Ecclesia, *ad matrimonii initium*, quando contractus fuit invalide peractus, *nisi aliud* quoad hanc retrotractionem *expresse*, uti exceptio, in casu *caveatur*.

Cum in sanatione hac matrimonii « novus voluntatis actus » consentiendi « in matrimonium » non requiratur ad normam § 1, monitionem primo aspectu mirabilem profert § 3. *Dispensatio a lege de renovando consensu* (§° 1) *concedi etiam potest*, non tantum salva matrimonii natura consensum necessario exigente, sed iuxta Ecclesiae praxim quoque fit, a) *vel una tantum*, forsan ob prudentiae rationem id requirentem, b) *vel utraque parte inscia*, pro casu aut in sanatione plurium matrimoniorum, v. gr. per const. « Provida » Pii X [1] ubi statuit : « Matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta, vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, (intelligendum id usque ad Codicis vigorem), dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni (15 Aprilis) legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus ». In quo textu sanatio matrimoniorum mixtorum, quae nulla fuerunt ob defectum formae, generaliter conceditur usque ad illum diem, etiam inscia forsitan utraque parte, ac simul decernitur in posterum exem-

[1] 8 Ian. 1906.

ptio similium matrimoniorum a lege Tridentina, quae exemptio in Decreto « Ne temere » sub n. XI §° 2° fuit salva, sed in can. 1099 § 1 n° 2° per omissionem abrogata.

554. **Sanatio in radice matrimonii ob impedimentum vel defectum formae irriti.** — Data notio in praec. §° applicatur magisque explicatur respectu diversae nullitatis matrimoniorum in *can. 1139.* § 1. *Quodlibet matrimonium,* qua maritalis coniunctio etiam inter partem baptizatam et non baptizatam, *initum* ex contractu *cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente,* quatenus fuerit « consensus matrimonialis » descriptus in can. 1081, § 2 ex lege naturae quoque necessarius, *sed iuridice inefficaci,* quia *a*) « inter personas iure habiles » fieri debet ac sit *b*) « legitime manifestatus », ut matrimonium faciat (can. 1081, § 1), proinde a) *ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici,* nempe : ab hoc iure tantum vim habens, b) *vel ob defectum legitimae* idest : a canone 1094 (vel a cap. « Tametsi » Conc. Trid. vel a Dec.° « Ne temere » pro tempore praeterito) praescriptae *formae, potest in radice sanari,* seu validum reddi ad normam can. 1138, *dummodo consensus* praedictus « naturaliter sufficiens » *perseveret* saltem habitualiter, quia retractatus non fuit, alias deesset radix sananda per iuridicam efficaciam, quae sanatio sita est in remotione impedimenti vel dispensatione formae celebrationis, qua in alterutra hypothesi ac per sanationem nulla alia lege obstante, consensus matrimonialis virtus naturalis etiam vi iuridica donatur.

Contrarium asserere oportet de aliis impedimentis, ut facit § 2. *Matrimonium vero contractum cum* partis contrahentis *impedimento,* quod vigeat vi *iuris naturalis vel divini* positivi, dum illud extat, convalidari qualitercumque nequit, utpote quod indispensabile adest impedimentum, sed *etiamsi postea* quam contractum est matrimonium, *impedimentum* v. gr. ligaminis per coniugis mortem *cessaverit,* etsi iam posset sanari secundum sanationis in radice definitionem, *Ecclesia non sanat in radice* ob illius iuris reverentiam, nec fictionem dispensationis illius admittens, si ad momentum iniiti contractus canonicos effectus retrotraheret, ac *ne a momento quidem cessationis impedimenti,* quando illud inconveniens non inveniretur.

555. **Impossibilitas sanationis in radice quoad matrimonium** est consequens can.[1] 1081, § 1, atque id affert *can. 1140.* § 1. *Si in utraque* ex potiori causa quam *vel in alterutra parte*

deficiat in praesenti *consensus,* quia omnino abest, vel quoad obiectum non sit « matrimonialis » (can. 1081, § 2), *matrimonium* qua vinculum coniugale *nequit* ob rei naturam *sanari in radice*, quae exulat, a) *sive consensus ab initio,* quando celebratum fuit matrimonium, *defuerit* alterutro ex praedictis modis, b) *sive ab initio* ut antea *praestitus,* sed « iuridice inefficax » quocumque ex motivo sibi extrinseco, *postea* sed iam nunc *fuerit revocatus,* eo quod illa sanatio « secumfert dispensationem a lege de renovando consensu », qui in casu deficit, ac sine illo « matrimonium non fit », seu quod idem est : non convalidatur.

Propter eamdem rationem asserit e converso § 2. *Quod si consensus,* supple matrimonialis alterutrius vel utriusque partis, *ab initio quidem,* ut in §° 1° declaratum est, *defuerit* alterutro modo supradicto, *sed postea* et ante praesens tempus a parte illius experte (dum altera perseverat in suo consensu) *praestitus fuerit* qualis in can. 1081, § 2 describitur, *sanatio*, cum radix adsit, *concedi potest*, attamen solummodo *a momento praestiti consensus*, qui necessarius erat ut mutuus coexisteret.

556. **Concessio sanationis in radice** propter multiplicem canonici iuris relaxationem, quam includit, supremi legislatoris est propria, seu ut ait *can. 1141. Sanatio in radice* quaelibet expositarum *concedi unice potest* iure ordinario *ab Apostolica Sede* ad normam can. 7 etiam per Sacras Congr.[s] de disciplina Sacramentorum ac pro Ecclesia Orientali, a quibus et a S. Congr. de Prop. Fide [1] facultates delegantur.

In usu ergo propriae competentiae S. Congr. de Prop. Fide concedit in omnibus quinque Formulis tam Vicariis quam Praefectis Apostolicis « facultatem *sanandi in radice*, iuxta regulas in Codice a Can. 1133 ad Can. 1141 (scilicet : per totum istud « Caput XI. De matrimonii convalidatione ») statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra N.° (immediate praecedenti, qui communis est quatuor formulis, ac singularis sub Formula prima, prout liquet explicatum in pag. 542), nulliter contracta. (Impedimentum illud ergo est dirimens). — Quod vero attinet ad prolis (forsan susceptae) legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat Can. 1051 ». Videlicet : « Per dispensationem super impedimento dirimente concessam (tum ad contrahendum matrimonium ex num.° Formulae praecedenti, tum contentam sub hac matrimonii sanatione in radice) ...ex potestate delegata per indultum generale (idest : vi huius Formulae), con-

[1] Vide declarationem S. Congr.[s] Consistorialis 12 Nov. 1909, CO. I, 149. Dub. II relatam in pag. 542.

ceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, (quin opus sit hoc exprimere, quamvis conveniat idipsum nuntiare), si qua ex iis cum quibus dispensatur (vel quorum matrimonium sanatur in radice) iam nata vel (saltem) concepta fuerit, (momento alteriusutrius dispensationis), excepta tamen adulterina (concepta nempe dum vigeret alterius ex dispensatis matrimonium cum tertia persona) et sacrilega (v. gr. in dispensatione impedimenti ordinis subdiaconatus).

Peculiaris est quatuor Formularum facultas: « *sanandi* pariter *in radice matrimonia mixta* (quae hac de causa essent tantum illicita, sed fuerunt ob non servatam matrimonii formam nulliter) attentata *a*) coram magistratu civili *b*) vel ministro acatholico ». Sed in hac concedenda sanatione, si perstat impedimentum mixtae religionis, fiat praevie « servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis » iuxta explicationem in Formulis sub num.° praecedenti hunc sed non immediate. Imo contingere potest ut pars catholica sit ab excommunicatione absolvenda propter can. 2319, § 1°, n. 1° in Libro V declarandum.

Denique omnes hae facultates utpote asterisco notatae in omnibus quinque Formulis ea lege conceduntur, ut... subdelegari possint ». (Animadversio I).

CAPUT. XII.

De secundis nuptiis.

Can. 1142. - Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae validae et licitae sunt, firmo praescripto can. 1069, § 2.

Can. 1143. - Mulier cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere.

557. **Inscriptio Capitis eiusque canones.** — Ultimum huius tituli « de matrimonio » *Caput XII* remanet explicandum, quod sicut et postremus Libri IV Decretalium titulus, est inscriptum *De secundis* propter praecedentes iam solutas coniugis proprie superstitis, *nuptiis*, quae « secundum propriam verborum significationem » (can. 18) sunt matrimonialis contractus equidem secundus, sed ulteriores quoque in eius duobus canonibus considerantur, quamvis eo quod raro eveniant, recte sub inscriptione non memorantur. Can. 1142 ipsas nuptias respicit, alter vero can. 1143 sollemnem matrimonii benedictionem.

558. **Secundae nuptiae in seipsis.** — Dicit Apostolus [1] « non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri ». Convenienter igitur sic incipit *can. 1142. Licet casta viduitas*, tam in viro quam in muliere, *honorabilior sit*, aiente D. Paulo [2]: « Beatior autem erit si sic permanserit, secundum

[1] I ad Corinth. VII-8. — [2] Ib. vers. 40.

meum consilium : puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam ». His tamen verbis praemiserat : « Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit : quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat ; tantum in Domino ». Ergo *secundae tamen* proprie, ut prosequitur canon, *et ulteriores*, tertiae, quartae, *nuptiae* iuxta inscriptionem Capitis, non loquitur enim Apostolus de solis secundis, *validae*, nam inter Armenorum errores a Bened. XII damnatus est : « 49. si quis accipiat tertiam (uxorem), vel quartam et deinceps, non potest absolvi per eorum Ecclesiam, quia dicunt quod tale matrimonium fornicatio est », *et licitae sunt,* imo ad normam capp. Decretalium 4 et 5 cit.[1] tit.[4] etiamsi « infra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat », ut ibi probatur, cum in professione fidei Waldensibus conversis praescripta legatur : « nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus ».

Ad liceitatem vero earum nuptiarum quod attinet, additur in canone clausula : *firmo praescripto can. 1069*, § *2*, nempe : « non licet aliud (matrimonium) contrahere, antequam de prioris solutione (per coniugis obitum) legitime et certo constiterit », prout ibidem declaratum fuit. Quod praescriptum pleniori ratione tradit cap. 2 tit. cit. Decretalium, dicente Lucio III : « Dominus ac redemptor noster... et infra : Sane super matrimoniis, quae quidam ex vobis (nondum habita obeuntis coniugis certitudine) contraxerunt : id vobis respondemus : ut nullus modo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet (bona conscientia), quod ab hac vita migraverit coniux eius. — Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non servavit, et de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quae sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris coniugis vita constiterit, (in utroque foro) relictis adulterinis (tunc proprie ac formaliter) complexibus, ad priorem coniugem revertatur ».

559. **Circa sollemnem nuptiarum benedictionem,** quam moderantur can. 1101, 1102, statuerat cap. 3 cit. tit. : « Vir autem vel mulier ad bigamiam transiens, non debet a presbytero benedici : quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet ». Eadem de causa expresse decernit *can. 1143.* Non loquitur de viduo, sed *Mulier*, quia hanc praecipue respicit benedictio, ut legenti eam patet, *cui semel benedictio sollemnis* nobis

cognita ex cit.[s] ss. can.[s], in primis vel aliis nuptiis vel extra ipsarum celebrationem *data sit,* ad hanc enim excipiendam sponsi non obligantur gravi praecepto, *nequit in subsequentibus* benedictionem receptam *nuptiis* quibuslibet *eam iterum accipere,* quamvis eadem non sit constitutiva, sed invocativa solummodo, ac indirecte prohibetur presbyteris « eam » dare.

Et ita explicit, Deo gratias, maximi momenti tractatus difficilis « de matrimonio ».

TITULUS VIII.

De Sacramentalibus.

CAN. 1144. - Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales.

CAN. 1145. - Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.

CAN. 1146. - Legitimus Sacramentalium minister est clericus, cui ad id potestas collata sit quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eandem exercere.

CAN. 1147. - § 1. Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur.

§ 2. Benedictiones autem impertire potest quilibet presbyter, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reserventur.

§ 3. Benedictio reservata quae a presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.

§ 4. Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur.

CAN. 1148. - § 1. In Sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesia probati.

§ 2. Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta.



CAN. 1149. - Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem.

CAN. 1150. - Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint.

CAN. 1151. - § 1. Nemo, potestate exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legitime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit.

§ 2. Haec licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito; qui ad exorcismos ne procedat, nisi postquam diligenti prudentique investigatione compererit exorcizandum esse revera a daemone obsessum.

CAN. 1152. - Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos.

CAN. 1153. - Ministri exorcismorum qui occurrunt in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem qui eorundem sacrorum rituum legitimi ministri sunt.

560. **Inscriptio Tituli ordoque canonum.** — Restat huius Partis Primae Libri III ultimus exponendus *Titulus VIII. De Sacramentalibus;* verbum derivatum a sacramentis, ac de quorum significatis rebus haec habet D. Th.[1]: « in his quae Ecclesia visibiliter operatur, quaedam sunt sacramenta, ut baptismus; quaedam sacramentalia, ut exorcismus: quorum haec est differentia, quod sacramentum dicitur illa actio Ecclesiae quae attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio, quae quamvis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Effectus autem intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati. Unde Isaiae[2]: « *Hic est omnis fructus, ut tollatur peccatum* ». Aliae differentiae patebunt ex sacramentalium notione completa, quam nobis tradit can. 1144, cui subsequuntur: can. 1145 de auctoritate competente in ea, can. 1146, 1147 de « legitimo sacramentalium ministro » in genere et singulorum in specie, de ipsorum ritu est can. 1148, quibus personis benedictiones dari queant, ostenditur in can. 1149, et circa res benedictione diversa donatas praescribit servanda can. 1150. Sequuntur alii tres canones de exorcismis obligantes horum ministros, ita ut can. 1151 sit de illis exorcismis in se, quoad eorum subiectum can. 1152, et postremus can. 1153 agat de exorcismis, qui ut accessoria sacrorum aliorum rituum adhibentur.

561. **Sacramentalium notio.** — Sacramenta inter et sacramentalia sunt paritates ac differentiae, quas notare iuvat in com-

[1] Suppl. q. XXIX a. 1 corp. — [2] XXVII, 9.

pleta expositione *can. 1144. Sacramentalia* ex usu verbi et in iure etiam liturgico *sunt* a) *res* v. gr. aqua benedicta, cerei, agni, (sicut quoddam sacramentum in re consistit), b) *aut actiones* tum oris, veluti benedictionum formulae, confiteor cum sequenti absolutione, tum manuum v. gr. signa crucis manu facta, inunctiones s. chrismatis in consecrationibus, (sicuti alia sacramenta praeter Ss.mam Eucharistiam perficiuntur transeunter verbis et actionibus ex parte ministri); *quibus* tamen rebus et actionibus *Ecclesia* instituens sacramentalia, *in aliquam Sacramentorum* a Christo directe institutorum *imitationem* proindeque deficientem, tum in eorum intrinseca natura, ut dictum est, tum ex parte ministrantium ea, ut videbitur in can. 1146, 1147, tum quoad necessitatem formulae ad validitatem ad normam can. 1148, § 2, tum quia ex sacramentalibus in eodem subiecto, quaedam iterabilia sunt, quaedam iterari nequeunt: sed praesertim est notanda solum imitatio ex parte effectus, nam eis *uti solet* « Ecclesia » per eius membra, *ad obtinendos* iuxta utentis devotionem, quam excitant, atque *ex sua impetratione,* nam exauditur pro eius erga Christum reverentia ob ipsius promissionem, in ipsis enim sacramentalibus vel eorum confectione orationes adhibentur in Christi nomine, ut *effectus* quandoque corporales, sed *praesertim* (ac semper implicite) *spirituales*, qui consistunt in actuali gratia, non in gratia sanctificante quam ex opere operato seu intrinseca virtute causent, sicut sacramenta; hanc enim solum causarent in aliquo casu propter excitatum ex actuali gratia verum perfectae contritionis actum.

562. **Potestas iuris in sacramentalia** (in Ecclesiam ab eius Sponso derivata) conservat « sacramentorum imitationem », quatenus potestatis excellentiae Christi proprium est ab ipso fuisse constituta haec, atque ab eodem vim obtinere: ait enim *can. 1145. Nova Sacramentalia* usque ad praesens non usitata a) *constituere*, sicuti fecit pro benedictione vehiculi aegrotis traducendis in Lucen. per Dec. S. C. Rit. [1] b) *aut recepta* in usu, qui habet vim ex eiusdem auctoritate saltem per tacitam approbationem, *authentice* quoad eorum significationem, et modum servandum ac praxim obligatorie *interpretari*, c) *ex eisdem aliqua*, non omnia simul, utpote Ecclesiae valde utilia, *abolere* iuxta reg.[m] iuris [2]: « Omnis res, per quas-

[1] 8 Iul. 1908, CO. I, 263. — [2] Cap. 1° « de regulis iuris », tit. 41, Lib. V.

cunque causas nascitur, per easdem dissolvitur », d) *aut* praedicta singula *mutare,* secundum aliam iuris reg. 35 in 6°. « Plus semper in se continet quod est minus », *sola*, nempe : exclusis inferioribus iurisdictionis gradibus, *potest* per documentum generale aut particulare *Sedes Apostolica* ad normam can. 7, equidem per SS. Congr.ª Rituum et alteram pro Ecclesia orientali respective ad diversos liturgicos ritus.

563. **De sacramentalium ministro in genere.** — *Can. 1146. Legitimus*, idest : iuxta ss. canones ad liceitatem quoque *Sacramentalium* in genere quod attinet, *minister,* non aliter ac in sacramentis, *est clericus,* « soli enim clerici possunt potestatem ordinis obtinere » (can. 118), nam cum ista connectitur sequens : *cui* clerico *ad id,* nempe : sacramentalia conferenda si transeunt, vel conficienda si permanent, *potestas* pro validitate illorum necessaria *collata sit*, atque hoc cognoscendum est sive ex sacrarum singularum formularum ritu, sive ex libris liturgicis ubi hi de singulis loquuntur sacramentalibus, ac etiam in genere ex can. sequenti, *quique* ut licite operetur, *a competente auctoritate ecclesiastica*, veluti ab homine unusquisque minister, aut per legem generalem vel particularem *non sit prohibitus* directe, aut indirecte aliam ob rationem, *eandem* collatam potestatem *exercere,* quae prohibitio validitati ministerii per se non obstaret, sicut in sacramentorum illorum administratione, quibus non est opus iurisdictione.

564. **De potestate ministrorum ad sacramentalia conferenda, horumque reservatio.** — Duas sacramentalium, quae constent actionibus, divisiones affert *can. 1147 :* prima est in consecrationes de quibus est § 1, et benedictiones de quibus sunt alii §¹ tres secundum alteram divisionem harum in reservatas et non reservatas. Igitur : *Consecrationes* nempe : sacramentalia, quibus actionibus res fiunt sacrae in divinum cultum per s. chrismatis unctiones, *nemo* (etiam sacerdos) *qui charactere episcopali* ob nondum receptam validam consecrationem episcopalem *careat, valide peragere potest*, etiam ritibus ac formulis eorum servatis, sunt enim actus ordinis episcopalis, *nisi* a) *vel iure* v. gr. « Vicarii et Praefecti Apostolici » ad normam can. 294, § 2, ii « ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309 » vi can. 310, § 2, « Abbas vel praelatus nullius si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si eam recipere debet, receperit », ad normam can.

323, § 2, imo ex permissione Ordinarii presbyter quilibet « ut altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore » [1] (can. 1200 § 1), b) *vel apostolico indulto.* seu gratiosa concessione fortassis personali et ad tempus, ac ob potiorem rationem c) apostolico privilegio, *id* nempe : « consecrationes peragere » *ei* presbytero simplici *permittatur.* Huc pertinent verba Greg. IX Astoricen. Episcopo [2] : « Non obstante consuetudine... (quae dicenda est potius corruptela) quia licet Episcopus committere valeat quae iurisdictionis existunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare », addita ex can. 210 exceptione : « nisi id espresse fuerit iure vel indulto concessum ».

§ 2. Sacramentalia quae vocantur *Benedictiones autem*, scilicet : « actiones » in quibus non adhibetur sacri chrismatis unctio, *impertire potest* valide ac licite *quilibet presbyter* ob sacram ordinationem valide susceptam secundum eiusdem ritum, hinc sunt actus ordinis presbyteralis, *exceptis iis quae* a) *Romano Pontifici,* v. gr. cereorum agnorum, rosae aureae, b) *aliisve* v. gr. parocho benedictio nuptialis, praelatis regularibus certae benedictiones, *reserventur,* veluti ab ipsis secundum ss. canones faciendae.

Vim autem diversam huius reservationis exponit §. 3. *Benedictio reservata*, sub qualibet ex litteris a), b), c) comprehensa, *quae a presbytero* non competente iuxta § 2, *detur sine necessaria licentia,* quae non semper concedi poterit ab eo cui benedictio reservatur, *illicita est, sed valida,* ita ut effectum consequatur ratione ministri, *nisi in reservatione* apud libros liturgicos vel alia documenta de singulari benedictione aut de aliquibus *Sedes Apostolica* ad normam can. 7, v. gr. S. Congr. Ritum vel S. Congr. pro Ecclesia Orientali, *aliud expresserit,* nempe : quod « reservatio sit ipsius potestatis », quae proinde distinguitur a « reservatione simpliciter seu sine addito » intelligenda de potestatis usu.

Demum aliae benedictiones sunt actus ordinis diaconalis ac ordinis lectorum, de quibus ait § 4. *Diaconi et lectores* ob respectivum ordinem valide receptum *illas tantum*, exclusa omnino potestate quoad ceteras, *valide et licite* quoad ministerii exercitium *benedictiones dare possunt*, *quae ipsis expresse a iure* liturgico *permittuntur:* scilicet : diacono benedictio cerei paschalis, aliaeque in

[1] 9 Sept. 1920. CO. XII, 450. — [2] Cap. 9. de consecratione Ecclesiae vel altaris, tit. 40. lib. III.

extraordinario ministerio sacramentorum baptismi et sacrae communionis, iuxta dicta de horum ministro, lectori autem ex ordinationis ritu « benedicere panem et fructus novos ».

Et in his omnibus habetur imitatio quaedam sacramentorum quoad sacramentalium ministerium.

565. **Ritus ac formulae sacramentalium**. — Pariter ac de potestate sacramentalia ministrandi statutum est in can. praec., servatur imitatio sacramentorum in sacramentalibus peragendis. *Can. 1148.* § 1 *In sacramentalibus* a) *conficiendis*, nempe : quae in rebus consistant, v. gr. benedictio cinerum, b) *seu administrandis* videlicet : quae constant actionibus, v. gr. in benedictione mulieris post partum, *accurate serventur*, idest : nihil addendo, mutando, vel auferendo, *ritus* nempe : psalmos, antiphonas, preces, quae sacramentalia integrant vel eorum confectionem, sub quo nomine comprehendi sunt dicendae aliquae caeremoniae ; attamen in canone memorantur solum (quia in libris liturgicis complexive vocari solent) « ritus » *ab Ecclesia probati* saltem tacite, atque in libris liturgicis vel in aliis S. Congr.ne Rituum decretis. — Rit. Rom. [1] probat sequentes regulas generales : « 2. In omni benedictione extra Missam, (nam in Missa sunt servandae rubricae Missalis Romani), Sacerdos saltem superpelliceo, et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur. 3. Stando semper benedicat, et aperto capite. In principio cuiusque benedictionis dicat : ℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit coelum et terram* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* 4. Deinde dicatur Oratio propria, una vel plures, prout suo loco notatum fuerit. 5. Postea rem adspergat aqua benedicta, et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo ».

Inter ritus omnes praedictos accurate servandos, notatu dignum est quod continetur in § 2. *Consecrationes*, quae iuxta datam definitionem earum ad can.is praec.i §.m 1.m semper sunt constitutivae, *ac benedictiones*, quae idem sonant ac bene dicere adprecando, harumque subiungitur distinctio : a) *sive constitutivae* sacramentalium seu rerum benedictarum, b) *sive invocativae* effectuum praesertim spiritualium rebus aut personis, singulae praedictarum *invalidae sunt,* idest : nullius effectus « ex Ecclesiae impetratione », utpote

[1] Tit. VIII. Cap. I. De Benedictionibus.

ipsius repraesentatione non effusae, *si adhibita non fuerit formula*, quae adprecationem continet ac ut plurimum crucis signum ac verbum « benedicere », *ab Ecclesia praescripta* pro earum singulis, ita ut mutatio, additio vel deminutio eius sensum deformans imo et adhibere formulam illa rei vel personae benedicendae aut in hoc casu non congruam, invalidam reddat benedictionem seu consecrationem, sicut contingit quoad formas sacramentorum.

566. **Benedictionum subiectum.** — S. Petrus aiebat hebraeis « filiis testamenti quod disposuit Deus » [1]: « vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis » : pariter Ecclesia idipsum imitatur aiens in *can. 1149. Benedictiones* invocativae, nam consecrationes ac benedictiones constitutivae fere omnes habent ut subiectum ipsas res, *imprimis impertiendae catholicis*, qui etiam externe profitentur se filios novi testamenti ; sed quamvis sacramenta, baptismo excepto, regeneratis sint ministranda, ob effectum gratiae sanctificantis ex opere operato, e contra « benedictiones » gratias actuales elargientes ad Ecclesiae impetrationem, *dari quoque possunt catechumenis*, sicut etiam Christus gentilibus ad se accedentibus benefaciebat, atque hanc canonis partem respicit declaratio S. Congr.ae Rituum [2] (Vicariatus Apostolici Gabonen.): « An benedictiones imprimis impertiendae catholicis quae iuxta can. 1149 Cod. Iur. Can., dari quoque possunt cathecumenis, intelligi debeant etiam de sacramentalibus publicis ac proinde admitti possint cathecumeni ad impositionem cinerum, traditionem candelarum et palmarum ? — Et S. eadem Congr. respondendum censuit : Affirmative ». — Prosequitur canon : *imo, nisi obstet* pro aliqua benedictione, vel ex causa speciali pro omnibus, *Ecclesiae prohibitio*, quia « Salvator vult omnes homines salvos fieri et ad veritatis agnitionem venire » [3], cui saluti et agnitioni fidei cum operibus omnes benedictiones ordinantur, *etiam acatholicis* « dari possunt », sed *ad obtinendum fidei lumen*, cum alias gratias sine illa fundamentali obtinere nequeant, et quam intentionem Ecclesia hic expressit, cui se conformant implicite ministri fundentes benedictionum preces ipsius nomine, *vel*, quoad effectus temporales, *una cum illo* fidei lumine, sine quo nihil vere prodest, *corporis sanitatem*, cui ultimo deserviunt alii temporales effectus.

[1] Act. III, 26. — [2] 8 Martii 1919, CO. XI-144. — [3] I ad Timoth. II, 41.

567. **Res consecratae aut benedictae.** — Aliud sacramentalium subiectum inanimatum consideratur in *can. 1150. Res consecratae* propter sacri chrismatis unctionem, *vel benedictae,* seu a rebus profanis separatae *constitutiva benedictione,* utpote ad Dei cultum ordinatae a) *reverenter tractentur,* b) *neque ad usum profanum,* secundum reg. iuris 51 in 6° « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum », *vel non proprium,* quod ab irreverentia in benedictionem datam non vacat, *adhibeantur,* animadversione facta: *etiamsi in dominio privatorum sint,* (quod supponitur iure posse fieri), cum praedicta motiva prohibitionis a dominii natura non pendeant, ut patet.

568. **Minister legitimus exorcismorum.** — Rit. Rom. [1] habet rubricam « De exorcizandis obsessis a daemonio », ex cuius lectione apparet, exorcismos verum esse sacramentale, hoc est: benedictionem obsesso invocativam per imperium in daemonem. De hac loquitur *can. 1151.* § 1. *Nemo* cuiuscumque etsi maioris ordinis, *potestate exorcizandi praeditus* ex tertio minore ordine in latina Ecclesia, iuxta formam ordinationis: « habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos », congruenter Christi promissioni proprie intelligendae de Ecclesia: « qui in me credunt in nomine meo daemonia eiicient », et infra in eadem ordinatione dicitur « in officium Exorcistarum: ut sint spirituales imperatores, ad abiiciendos daemones de corporibus obsessis » (Pont. Rom.); attamen nemo eorum *exorcismos in obsessos,* equidem ad normam Rit. Rom., *proferre legitime* idest: licite seu observatis legibus ecclesiasticis *potest*, nec loquitur de aliis exorcismis, excepto « illo in Satanam et angelos apostaticos » a Leone XIII edito seu ex audientia Ssmi., [2] de quo fere id ipsum cavetur, *nisi ab Ordinario*, ad normam can. 198 sed § 1[i] vel 2[i] pro casibus, a) *peculiarem et* b) *expressam* non factis, sed verbo vel aequipollentibus signis *obtinuerit;* in hoc enim exercitio quam maxime opus est subordinationem custodire, iuxta Rit[e]. Rom[i]. monitionem ministro datam: « qui non sua, sed divina fretus virtute... tam pium opus ex caritate constanter et humiliter exequatur »

Iisdem verbis ac Rit[e]. Rom[m]. initio cit. cap[s]. qualitates ministri ostendit ac praescribit § 2. *Haec licentia ab Ordinario* in §[o]

[1] Tit. X. Cap. I. — [2] S. Cong. de Prop. Fide 18 Maii 1890. Acta S. Sedis, XXIII, 743.

1° declarato *concedatur tantummodo*, ergo prohibetur eam dari inferioribus clericis, a) *sacerdoti* b) *pietate* in Deum, c) *prudentia*, quae valde necessaria est, ne decipiatur a daemonibus in proprio ministerio, d) *ac vitae integritate*, ut strictas sanctitatis regulas, quas tradit Rit^e. Rom^m. in praxim secure ipse deducat ; atque plenam prudentia monitionem Rit^s. Rom^i. memoratur canon addens : *qui* minister supra descriptus ex potestate, licentia et qualitatibus *ad exorcismos* peragendos *ne procedat*, vetitum supponens illud Rit^e. Rom^i. (loc. cit. n. 3) : « In primis, ne facile credat, aliquem a daemonio obsessum esse sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant », propter quod canon prosequitur expressa norma : *nisi postquam* a) *diligenti* propter attentum examen b) *prudentique* propter discretionem *investigatione compererit*, quod verbum moralem indicat certitudinem et pro qua obtinenda exorcizare differat, cuius obiectum est : *exorcizandum esse revera a daemone obsessum*.

« Signa autem obsidentis daemonis sunt : [1] ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere ; distantia et occulta patefacere ; et id genus alia, quae cum plurima concurrunt, maiora sunt indicia ». Supponit autem Rituale Rom^m. illa fieri a persona, quae orbata sit magna sanctitate, sine causa sufficiente illa peragi, ac frequenter ; nem etiam Sancti talia signa patraverunt, et aliqui eorum velut habitualiter ; sed ut Augustinus dicit : [2] « Cum talia faciunt magi, qualia sancti, diverso fine et diverso iure fiunt. Illi enim faciunt quaerentes gloriam suam, isti quaerentes gloriam Dei ; et illi faciunt per quaedam privata commercia, isti autem publica administratione, et iussu Dei, cui cuncta subiecta sunt ». — E converso nunc temporis adhuc examinandum, si persona sub *medium* influxu per hypnotismum posita sit, quamvis ex illicita frequentia illius posset obsessio daemonis in punitionem iustam a Deo permitti.

Cum potestas in daemones sit Ecclesiae relicta non tantum in obsessorum spiritualem ac temporalem utilitatem, sed praecipue ad honorem Christi, eiusque collaudandam humilitatem summam, obedientiamque usque ad mortem, « propter quod Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur... etiam... infernorum » [3], sequitur *can. 1152*.

[1] Rit. Rom, loc. cit. — [2] Quest. lib. LXXXIII, q. 79 a med. — [3] D. Paulus ad Philipp. II, 9. 10.

Exorcismi ab Ecclesia ordinati *a legitimis* iuxta ipsius normas *ministris*, potestate igitur hac praeditis, *fieri possunt* seu proferri *non solum* a) *in fideles* b) *et catechumenos*, prout constat ex ordinatione exorcistarum secundum citata superius verba, *sed etiam* c) *in acatholicos*, sicuti Paulus praestitit in « puellam habentem spiritum pythonem, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando. Cui spiritui Paulus dixit: Praecipio tibi, in nomine Iesu Christi, exire ab ea. Et exiit eadem hora » [1]. — Imo ait D. Thomas [2]: « Diabolus hostis humanae salutis, habet potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso quod subditur originali peccato, vel etiam actuali », et hoc ultimum de excommunicatis intelligere oportet, iuxta sententiam Apostoli Pauli: [3] « Tradere huiusmodi (incestuosum) Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi ». Convenienter igitur expelluntur daemones per exorcismos (ab excommunicatis obsessis), ne salutem eorum impediant, quod etiam Ecclesia edixit addens in canone verbis: « exorcismi fieri possunt etiam in acatholicos » alia verba: d) *vel excommunicatos*.

569. **Ministri exorcismorum**, praeter eos qui in obsessos fiunt, ait *can.* 1153, nempe: *qui occurrunt*, ut patet legenti diversas sequentium sacramentalium ac ritus baptismi formulas, a) *in baptismo*, quia « quamvis energumeni dicuntur, quasi interius laborantes ex intrinseca operatione diaboli; et non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo vexentur, omnes tamen non baptizati potestati daemonum subiiciuntur, saltem propter originalis peccati reatum » [4], unde potestas in energumenos ex ordinatione se extendit ad alios quoque exorcismos, testante regula iuris 35 in 6° « Plus semper in se continet quod est minus ». Idemque dicatur de exorcismis, qui occurrunt b) *et in consecrationibus* b) *vel benedictionibus*, ordinati ad comprimendam « operationem Satanae (erga res corporales) in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus » [5]. Ministri ergo praedictorum exorcismorum, *sunt iidem*, ad liceitatem quod attinet, utpote iam ordinati exorcistae, *qui eorumdem sacrorum rituum* propter Dei cultum quem includunt, *legitimi* ad normas

[1] Actuum Apost. XVI, 16, 18. — [2] III pars. q. LXXI a. 2 c. — [3] I ad Corinth. V, 5. — [4] D. Th. III pars, q. LXXI a. 2. ad 1^m. — [5] II ad Thessal. II, 9.

diversorum canonum legumque liturgicarum *ministri sunt*, nempe: baptismi minister est « parochus proprius vel sacerdos, vel diaconus » ad normam can. 738, 741, atque consecrationum et benedictionum minister cognoscitur ex applicatione can. 1147 paulo antea commentati.

Et sic explicit huius Primae Partis Libri III
Commentarium Dei adiutorio
exaratum
Cui laus in saecula. Amen.

APPENDIX.

Brevissima historia Formularum S. Congr.ˢ de Prop. Fide talis est. Ante const. « Sapienti consilio » Pii PP. X fuerunt duae formularum series, una numeris distincta, altera litteris, quae decurrebat a littera A usque ad Z, quamvis nonnullae deessent intermediae v. gr. X, fortassis quia suppressae fuerant. Inter eas quaedam erant solummodo pro poenitentiali foro, quaedam coniunctim continebant illas facultates et alias pro foro externo. Imo et S. Congr. privilegium obtinuerat, ut suas facultates concederet quoque Episcopis, qui eidem non subiiciebantur, v. gr. Americae Latinae, Germaniae. Formulae diversi numeri dabantur pro diversis regionibus, sicut et Formulae diversarum litterarum, simulque aliae pro Dioecesibus, aliae pro Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis. Imo S. Congr. concedebat etiam titulum missionarii ad honorem cum nonnullis indulgentias impertiendi privilegiis etc. sub certis conditionibus.

Publici iuris facta Constitutione supra indicata reservatoque Sacrae Poenitentiariae foro interno, dispensationibus matrimonialibus traditis S. Congr.ⁱ de Sacramentis et Congr.ⁱ S. Officii, huic tunc attributa quoque collatione tituli missionarii ad honorem propter indulgentias, quae nunc eadem ratione ad S. Poenitentiariam transire debuit; S. Congr. de Prop. Fide mansit veluti omnibus spoliata facultatibus, quapropter Pius X dixit S. Congreg.ᵐ istam debere sicut prius facultates tribuere, atque collectis formulis in quinterno, expetitum fuit Summi Pont.ᵉ beneplacitum ad concedendas facultates pro foro quoque interno S. Poenitentiariae, atque ad dispensationes elargiendas super impedimentis quibuscumque impedientibus ac dirimentibus in foro externo ac interno, excepto tantum Privilegio Paulino. Itaque Pius PP. X rescripsit **11 Martii 1912** *Pro gratia iuxta preces*, ut ego ipse in exemplari vidi. Sed ulterius S. Congr.ˢ Praefectus amplissimo gaudet privilegio ad concedendum quaecumqae Papa potest ac solet concedere, si paucissima

excipias. Tunc omnes formulae sic ad quatuor reductae fuerunt, ut essent sub numero 1 et sub littera T. Unaquaeque divisa fuit in maiorem tamquam valde extraordinariam et minorem veluti extraordinariam. Maiores dabantur Vicariis Apostolicis charactere episcopali insignitis ac Episcopis S. Congr.[1] adhuc subiectis, minores Praefectis Apostolicis illo charactere orbatis.

Post publicationem Codicis Iuris canonici cum plures facultates in ius transirent Ordinariorum, et aliae fuissent Codici aptandae, ne ridiculae aut absonae fierent, in tres formulas sunt distinctae, formulam nempe primam, secundam et tertiam, ita ut illa contineret infimum facultatum numerum, secunda numerosiores ac tertia omnes. Secunda et tertia fuerunt subdistinctae in maiorem et minorem, quae in hoc differunt. Maiores cum dentur charactere episcopali insignitis, facultates continent quae illud supponunt, omittunt vero quae sunt eis propter idem ordinarie seu iure concessae. Minores dantur illo charactere carentibus. Formula prima est unica, daturque his Superioribus a S. Congregatione dependentibus, eique proximis v. gr. in Europa, qui cum sint vicini dioecesium a S. Congr. Consistoriali dependentium, et haec S. Congregatio suis Episcopis revocaverit facultates, utpote post Codicem innecessarias, proinde S. Congr. de Propaganda putavit minores eis sufficere facultates, cum inveniantur in paribus fere circumstantiis locorum. Formula secunda tam maior quam minor datur Vicariis et Praefectis Apostolicis, qui ab Urbe magis quam praecedentes distant, et Formula tertia maior minorve his qui remotiores sunt ac proprie in locis infidelium.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Formula tertia (maior) (I)

Vigore potestatis sibi a SSmo D. N. ..... *Div. Prov. PP.* ..... *tributae haec S. Congregatio Christiano Nomini Propagando Rev. P. Domino Ordinario* (II) ..... *sequentes facultates concedit ad* (III) .....

I. Hanc formulam transcribimus eo quod abundans sit facultatibus plus quam ceterae, quae idcirco ad illam commode revocari possunt. Qualiter Formulae conveniant mutuo in singulis numeris subnectemus, atque opportune textum aliarum adiungemus. Statim post singulos numeros adnotabimus in quo voluminis loco eorum interpretatio inveniatur. Haec si locum in eodem sortita non fuerit, in respectu ad eundem numerum inserenda erit. Denique « communis textus quatuor formulis » intelligendus in Formula prima deesse, e converso communem omnibus vel ipsarum aliquibus sufficienter exprimemus, quemadmodum peculiarem his vel aliis determinatis.

II. Hic manu scribitur denominatio Dioecesis, Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae, ac « nomine Ordinarii venit primo Episcopus, Vicarius vel Praefectus Apostolicus, Episcopi Vicarius Generalis » (can. 198, § 1). Item: « ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309 iidem... uti possunt omnibus facultatibus,... quibus Vicarius vel Praefectus pollebat, nisi commissae fuerint ob industriam personae » (can. 310). Hoc autem non iudicandum est in Formula fieri, etiamsi nomen defuncti aut impediti Vicarii vel Praefecti Apostolici fuerit inscriptum, quandocumque verbum *Ordinario* fuerit relictum. Atque in genere « nomine Ordinarii intelliguntur (in Formulis) ii qui praedictis deficientibus (ad quos illae inscribuntur) interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine » (can. 198, § 1). Demum ex Epistola S. Congr.[s] de P. F. « luxta can. 198 Cod. I. C. » [1]. « Superiores (seu Ordinarii) Missionum auctoritate pollent sibi de-

[1] 8 Dec. 1919, CO. XII, 120.

ligendi aliquem Vicarium Delegatum, qui practice eadem gaudeat iurisdictione quam ius canonicum Vicariis Generalibus tribuit, non exclusa habituali potestate executioni mandandi rescripta pontificia atque utendi iisdem peculiaribus facultatibus quas haec S. C. Ordinariis locorum communicat ».

III. Hic apponitur tempus ad quod facultates conceduntur permansurae. Hoc tempus respicit in calce Formularum animadversio III, quae insuper de ipsarum prorogatione cavet.

A) — Circa Sacramenta et Sacros Ritus (IV).

1. Concedendi suis missionariis facultatem *benedicendi aquam baptismalem* ea breviori formula, qua Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit. (Communis quatuor Formulis. Vide declarationem in pag. 50 nota 2).

2. Conficiendi *olea sacra* cum sacerdotibus, quos potuerit habere; et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini. (Peculiaris Formularum maiorum. Vide declarationem in pag. 19 nota 1).

3. Concedendi facultatem *administrandi Confirmationis Sacramentum* uni vel alteri ex suis sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque Episcopo, servato Decreto Sacrae huius Congreg. diei 4 Maii anni 1774, atque Instructione « De Sacramento Confirmationis » in appendice Ritualis Romani inserta. (Communis quatuor Formulis. Vide declarationem in pag. 80, nota 1).

IV. Facultates sub hac littera A) numeris 1, 2, 3, desunt in Formula prima.

***

4. Permittendi suis missionariis ut *Missam* celebrare possint, in casu necessitatis, etiam *sine ministro, sub dio* et *sub terra*, atque etiam *in mari*, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti: etiam si altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum; et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit; atque ut Missa celebrari queat *una hora post mediam noctem*. (Peculiaris Formulae utriusque tertiae. Vide declarationes singularum in pag. 122 nota 1, 145, 138 nota 2).

Ad n. 4. — In S. Congr.[s] S. Officii Instructione ad Praef. Mis. Tripol. [1] legitur: « Sebbene possa tollerarsi, che i protestanti intervengano di spontanea loro volontà alle sacre funzioni, che fanno i cattolici nella propria chiesa, ed anche nella solenne amministra-

[1] Ian. 1763. Collect. S. C. de Prop. Fide n. 447.

zione, che ivi si fa, del Sacramento del Battesimo, non devono però i medesimi cattolici invitare gli eretici ad intervenire, cooperando coll'invito alla comunicazione *in divinis*, a cui si oppongono lo spirito e le leggi della Chiesa in tutte le occasioni pubblicate e fatte note al gregge cattolico, ed a quelli cui ne è commessa la cura ». Eademque S. Congr. [1] ad dubium: « An graeci schismatici adire possint catholicorum ecclesias, ibique materialiter tantum assistere eorum sacris et divinis. R. Accessum graecorum non unitorum ad ecclesias catholicorum posse permitti, dummodo iis non administrentur sacramenta, nec quoquo modo communicent in divinis, nec ad huiusmodi adventum fuerint invitati ». Rationes quoque urgent pro iniidelibus. Demum excommunicatio illam communicationem vetat diversimode « si (excommunicatus) passive assistat (divinis officiis) vel cum assistentia activa » (can. 2259, § 2). Ad vitanda igitur missionariorum dubia et anxietates, quandoque vero quia praesentia missae sacrificio facile potest esse non mere materialis, concessa est facultas in Formula utraque tertia: « Permittendi suis missionariis ut *Missam* celebrare possint... praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus (quando ut supra permitti possit et sub dictis conditionibus) et excommunicatis (etiam notorie contra can. 2259, § 2); si aliter celebrari non possit » (equidem in loco sacro sine gravi incommodo).

5. Permittendi ut *Missa celebrari* possit *cum uno luminari*, adhibendo in casu quodcumque lumen, dummodo cera ex apum industria confecta deficiat; nec non permittendi ut Missa *absque luminaribus* celebrari possit, in locis ubi non inveniuntur olivae et nulla alia substantia ad lampades nutriendas inveniri potest: in casu tamen verae necessitatis, et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii. (Peculiaris Formulae utriusque tertiae. Vide declarationem in pag. 133).

Ante n. 5 (Form. prima et utraque secunda): « Permittendi ut *Missa* celebrari possit *in mari*, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti; atque ut, in casu necessitatis (quod supponit vitandum grave incommodum), Missa celebrari queat *una hora post mediam noctem* ». Vide quoad cetera declarationem in pag. 145, 138 nota 2.

6. Permittendi ut in utraque *purificatione calicis aqua tantum* adhiberi possit, dummodo tamen extrema adsit vini deficientia (Sic etiam in Form. tertia min. Vide declarationem in pag. 133).

[1] 22 Sept. 1763. Loc. cit. n. 450.

7. Permittendi *thurificationem* in Missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici superpelliceo induti Missae inserviant.

8. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii *tres Missae* statim post mediam noctem *Nativitatis Domini* celebrari possint, cum potestate administrandi fidelibus s. Communionem, cauto tamen ut omnia cum debita reverentia fiant.

9. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii *functiones Maioris Hebdomadae* celebrari valeant iuxta peculiarem Ritum a s. m. Benedicto Pp. XIII propositum pro ecclesiis minoribus paroecialibus, in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones solemniter peragendas haberi nequeat: dummodo tamen constet ibidem satis esse consultum reverentiae sacris mysteriis debitae, et quod nulla exinde abusui pateat occasio: et quatenus neque praedictus Ritus servari possit, permittendi ut in iisdem ecclesiis unica Missa lecta, loco solemnis, celebrari possit feria V in Coena Domini et Sabbato sancto (Communis quinque Formulis. Vide declarationem in pag. 136).

10. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii ter in hebdomada, extra Quadragesimam, *Missa privata de Requie* celebrari possit, etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris, exceptis Dominicis, nec non feriis, vigiliis atque octavis privilegiatis, diebus tamen, quibus eadem Missa a Rubricis permittitur, computatis.

Ad n. 7, 8 et 10. — Hae facultates inveniuntur in quinque Formulis. Vide declarationem earum in pag. 132 et 141 nota.

11. Permittendi etiam in omnibus diebus festis et dominicis *Missam votivam de B. M. V.* iis qui, ob defectum oculorum aliamve infirmitatem, legere nequeant Missas singulis diebus occurrentes iuxta Missalis Romani rubricas (Communis quatuor Formulis. Vide declarationem in pag. 132).

***

12. Permittendi ut, iusta de causa, *Ssmum Sacramentum cum duobus luminaribus* ex quacumque substantia confectis *exponi* possit (Communis quatuor Formulis).

Ad n. 12. — In Narnien. Quaesitum humiliter fuit: « Quot lumina sint adhibenda in expositione SSmi Sacramenti, quae fiat ad instar proscaenii; nec non an et quot requirantur in tali expositione etiam lumina candelarum spectabilia? » Et S. R. C. respondit [1]: « Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam, et in Altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas ». Atque « Sanctimonialibus postulantibus: — 1. An in casu deficientiae redituum, in expositione Ssmi Sacramenti lumina ex oleo, saltem ex parte substitui possint luminibus

[1] 15 Martii 1698. Collec. auth. n. 1992.

cereis? — 2. Et si negative, petitur indultum ut hoc fiat ex dispensatione. Sacra Rit. Congr. rescripsit: Negative ad utrumque ».

Hae vero « liturgicae leges vim suam retinent, eo quod in Codice expresse (non) corrigantur » (can. 2). Propter illas ergo est concessa facultas « permittendi ut, iusta de causa (respiciente concessionis huiusmodi usum, praeter illam diversam ut " fieri possit expositio privata vel publica „ ad normam can. 1274, § 1, atque concessio erit duplex) a) *Ssmum Sacramentum* cum *duobus luminaribus* (dispensando in primo Decreto cit.) b) ex quacumque substantia confectis (etiam dispensato forsitan secundo cit. Dec.°) *exponi* (alterutro modo licite) possit ». Putamus tamen non extendi facultatem ad expositionem perpetuam vel Quadraginta Horarum, si huiusmodi casus in his territoriis daretur, quia peculiaria Decreta has expositiones moderantur.

13. Permittendi ut, in locis ubi olivae non inveniuntur, et nulla alia substantia ad lampades nutriendas haberi potest, *Ssmum Sacramentum* etiam *sine lumine asservari* possit in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii.

14. Permittendi, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii, ut *Ssmum Sacramentum* pro infirmis *sine lumine* in loco tamen decenti *retineri* possit.

Ad n. 13 et 14. — Utrique solum Formulae tertiae insertae sunt hae duae facultates dispensandi can.^m 1271 huius tenoris: « Coram tabernaculo, in quo Ssmum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat ». Conditiones autem facultatem determinantes sunt diversae; nempe: « Permittendi ut, *a*) in locis ubi olivae non inveniuntur (nam lampas esset « nutrienda oleo olivarum vel cera apum » can. cit.). *b*) et nulla alia substantia ad lampades nutriendas (cuius commutatio « Ordinarii loci prudentiae permittitur » can. cit.) haberi potest, (et obiectum facultatis est) *Ssmum Sacramentum* etiam *sine lumine asservari* possit (aliis ss. canonibus servatis v. gr. quoad locum, ac subnectitur limitatio ad dispensationis validitatem propter can. 81) in casu tamen verae necessitatis (illud asservandi) et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii », si propter conditionis alicuius ex dictis defectum invalida sit dispensatio concessa de gravi iuxta omnes Doctores lege ecclesiastica.

Aliae eiusdem facultatis conditiones in Formula afferuntur modo

sequenti: « Permittendi (sub essentiali conditione indulti expressa in sequenti particula), si ab haereticis aut infidelibus (solum nominatis, quia tales inveniuntur ibidem), sit periculum sacrilegii (prudenter praevisum), ut *Ssmum Sacramentum* (sed tantum) pro infirmis (casu ergo quo adsit in proximo minister) *sine lumine* (cum dispensatione cit.[1] can.[e]) in loco tamen decenti (etiam de die, ac dispensato quoque can. 1269, § 3) retineri possit », etiam extra altare (can. 1269) aut locum sacrum (can. 1265, 1267) imo in propria domo, non tamen « apud se » prout « nemini licet » (can. 1265, § 3). Hae autem canonum dispensationes in eo permissionis actu ex facultate sunt implicitae, nec ullatenus exprimere opus est.

* 15. Permittendi *religiosis sororibus* sacrarii servitio addictis ut sacra vasa sacrasque supellectiles tangere, nec non pallas, *corporalia* et *purificatoria abluere* valeant. (Communis quinque Formularum).

Ad n. 15. — Facultas huius numeri se refert ad canonem 1306 in eius duabus paragraphis. « Permittendi (nempe) *religiosis sororibus* (quae sunt proprie « religiosae votorum simplicium » can. 488, 7°, ergo a fortiori « monialibus seu religiosis votorum sollemnium », si quae adsint, sed tantummodo) sacrarii servitio addictis (prout in canone conceditur viris « qui eorum custodiam habent »; videlicet): *a*) ut sacra vasa (calices cum patenis, pyxides, ostensorii lunulas) sacrasque supellectiles (sic dictas propter benedictionem aut « purificatoria, pallas et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae ») tangere, *b*) necnon (permittendi praedictis cum dispensatione implicita §[1] 2[1]) pallas (quibus calix in sacrificii actione cooperitur), corporalia et purificatoria (postquam fuerunt « in Missae sacrificio adhibita ») abluere valeant « licite, quia canon vetat " ne tradantur eis lavanda, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto ,, ». Sed tali permissione obtenta, deberet adhuc servari praescriptum: « aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem ».

16. Permittendi suis missionariis ut *administrare* valeant christianis graviter aegrotantibus *Ssmam Eucharistiam sine lumine* et sine superpelliceo et stola, dummodo constet de periculo cui exponerentur si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur. (Communis huic cum altera Form. tertia. Vide declarationem in pag. 180, nota 1).

* 17. Concedendi *infirmis decumbentibus*, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis, a quo decumbunt, ut *s. Communio-*

nem sumere possint bis vel ter in hebdomada; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam quotidie, *non servato ieiunio:* hoc est etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint. (Communis quinque Formulis. Vide declarationem in pag. 193, nota 2).

***

18. Conferendi, rationabili de causa, *Ordines minores* omnes simul, etiam cum prima tonsura. (Communis omnibus Formulis. Vide declarationem in pag. 402, nota 1).

19. Conferendi iusta de causa, omnes *sacros Ordines*, etiam Presbyteratum, diebus ferialibus etsi continuis. (Vide declarationem in pag. 476, nota 4).

20. Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri *diaconis* super *defectu aetatis* decem et octo mensium, ut eo non obstante, ad s. Presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite, secundum Codicis praescriptiones Can. 976, absolverint. (Communis quatuor Formularum. Vide declarationem in pag. 396, nota 1).

Ante n. 20. — Praecedens facultas sic enuntiatur in Formula minori: « Permittendi (eo quod Praefectus Apostolicus charactere episcopali carens non est minister ordinarius), ut suis (ratione iurisdictionis) subditis omnes *sacri ordines,* etiam Presbyteratus, diebus ferialibus etsi continuis conferri possint », iuxta declarationem prius citatam. Est facultas peculiaris utriusque Formulae tertiae.

***

* 21. Dispensandi, canonicis existentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* sive minoris sive maioris gradus (Can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici: exceptis impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio. (Communis Formularum quatuor. Vide declarationem in pag. 542).

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a Can. 1035 ad Can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis: videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda; monita parte catholica de obligatione, qua tenetur, conversionem coniugis acatholici prudenter curandi; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum

coeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat. (Communis Formularum quatuor).

Ad n. 21. — Verba illa: « servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis... etc.... usque ad alia... consensum praestandum vel renovandum » exprimunt monitionem de observantia can. 1061-1063 et « quae de mixtis nuptiis praescripta applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus » (can. 1071). Horum canonum amplam interpretationem ibi requiras quaeso, animadvertendo cautiones ibi praescriptas ad dispensationis validitatem super impedimento disparitatis cultus esse necessarias, sicut declaravit S. Congr. S. Officii, ut videri potest in pag. 588. E contra non idipsum potest asseri de clausula sequente ad Formulae verba: « eaque lege ut »,... quia lex ista non est pro dispensante, sed vi canonis 1063, § 1 afficit « coniuges », atque « parochus » vel melius « missionarius » servet § 2, « consulto prius Ordinario » si fieri possit.

Pars postrema continet monitiones, ut secundum prudentiam sine iuris divini laesione utatur Ordinarius aut subdelegatus facultate dispensandi super impedimento disparitatis cultus, « si agatur de matrimoniis (a catholicis personis contrahendis) cum hebraeis vel mahumetanis », (ac dicit: tunc) peculiari ratione oportet ut *a*) constet de status libertate (a vinculo coniugali) partis infidelis, (praecise) ad removendum periculum polygamiae (incurrendae per concessum matrimonium, a qua praedicti non abhorrent, eademque de causa ipsorum religionis) *b*) absit periculum circumcisionis prolis (sequuturae, idque deprehendendum prudenter ex circumstantiis); *c*) et si civilis actus sit ineundus (propter patrias leges), sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus (in alterutro contractu vel ipsius occasione) interveniat », prout praevideri potest. Secus saltem graviter illicita esset dispensatio, ac certo est deneganda propter urgens ius divinum.

* 22. *Sanandi in radice,* iuxta regulas in Codice a Can. 1133 ad Can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra N. 21, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat Can. 1051. (Communis quinque Formularum, mutato quoad primam N. 21 in N. 8 statim transcribendum ex Form. prima. Vide declarationem in pag. 702).

Ante n. 22. — In Formula prima loco num.[1] 21 positus est sequens num. « 8. Dispensandi, canonicis existentibus causis (« alias

dispensatio data illicita et invalida est » can. 84, § 1), super *impedimentis matrimonialibus* minoris gradus (Can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus ».

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a Can. 1035 ad Can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie.

Vide huius numeri declarationem in cit. pag. 543.

* 23. *Sanandi* pariter *in radice matrimonia mixta* attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico. (Communis quatuor Formularum. Vide declarationem in pag. 703).

* 24. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus *plures uxores* habentibus ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti. (Peculiaris utriusque Formulae tertiae. Vide declarationem in pag. 681, nota 2).

* 25. Dispensandi super *interpellatione* coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus *casibus ordinariis*, dummodo scilicet adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse. (Communis utriusque Formulae tertiae. Vide declarationem in pag. 678).

* 26. Itemque dispensandi super *interpellatione* coniugis in infidelitate relicti, siquidem certe constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti *gravis damni* aut coniugi iam ad fidem converso, aut christianis inferendi periculo. (Peculiaris utriusque Formulae tertiae. Vide declarationem in pag. 678).

* 27. Permittendi ut, accedente gravi causa, *interpellatio* coniugis infidelis *ante baptismum* partis quae ad fidem convertitur fieri possit; nec non, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem. (Peculiaris utriusque Formulae tertiae. Vide declarationem in pag. 678).

B) — Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias, etc. etc.

* 28. Absolvendi ad omnibus *censuris*, sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

* 29. Dispensandi vel commutandi *vota privata* Sedi Ap. reservata de quibus in Can. 1309.

Ad litteram B). — Duo praecedentes numeri exprimunt facultatem omnium Formularum communes. Quoad n. *28 sciendum est

canonem 2237, § 1 « in casibus publicis » excipere a potestate Ordinarii remittendi « poenas latae sententiae iure communi statutas; 2° censuras Sedi Apostolicae reservatas » et sub § 2 dicitur: « in casibus vero occultis, potest Ordinarius illas remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis ». Cum igitur in can. 202, § 3 praescriptum sit: « si forum pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro », sequitur per facultatem formulae cessare illas can. 2237 citatas limitationes, « exceptis censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis ». — Certe in absolutionibus huiusmodi sunt ceteri canones observandi, v. gr. de formula adhibenda, de removendo scandalo, de satisfactione forsan data, etc.; attamen non attingunt haec ipsam facultatem.

In facultate sub n. * 29 adnotetur potestatem « dispensandi » esse « in minus bonum » (can. 1314), ac respicere *vota privata*, non vero « publica, idest si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico fuerint acceptata » (can. 1308, § 1). Utraque facultas « dispensandi vel commutandi » ex sui natura requirit causam pro eiusdem actus validitate.

***

* 30. Benedicendi solo crucis signo, cum omnibus Indulgentiis a S. Sede concedi solitis, *coronas* precatorias, *cruces*, parvas statuas et sacra *numismata*, et adnectendi coronis Indulgentias, quae a s. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris nuncupantur. (Communis omnium Formularum. Vide declarationem in pag. 319).

31. Conferendi uni alterive ex suis sacerdotibus facultatem *consecrandi* iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam *calices, patenas* et *altarium lapides*, adhibitis tamen oleis ab Episcopo catholico benedictis. (Communis quatuor Formularum).

Ad n. 31. — In can. 294 scriptum est: « Vicarii et Praefecti Apostolici, (§ 2) etiam ii qui charactere episcopali carent, possunt, intra territorii sui fines ac perdurante munere, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare ». Porro scimus aliunde (can. 1147, § 1) « consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur ». Imo constat quod (can. 210): « potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari nisi

id expresse fuerit iure vel indulto concessum ». Huiusmodi est ergo ad validitatem actus consecrationum facultas (n. 31): « conferendi uni alterive (duobus ad summum etiam simul) ex suis (ob iurisdictionem) sacerdotibus (ad validitatem) facultatem (quae ad plures actus ordinatur) *consecrandi* (proprie) iuxta formam in Pontificali Romano (pro actibus episcopalibus) praescriptam (in specie ad singulas consecrationes, quae « invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta » can. 1148, § 2), a) *calices*, b) *patenas* c) *et altarium lapides* (id est: altaria portatilia seu petras sacras), adhibitis tamen (pro validitate) oleis ab Episcopo catholico (quoad liceitatem) benedictis », de qua benedictione loquitur can. 734.

Ante n. 32. — In utraque Formula minori (num. * 31 aut * 21). « Erigendi pium exercitium *Viae Crucis* » etc. ut refertur cum expositione in pag. 319.

***

32. Impertiendi, praeter concessionem de qua in Can. 914, ter in anno in solemnioribus festis *Benedictionem Papalem* iuxta praescriptam formulam cum Indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et s. Communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint. (Vide in pag. 300, nota 1).

Ad n. 32. — Quae sequuntur novem facultates sunt communes omnium Formularum. Declarationes inveniuntur pro num. 32 in pag. 300, nota (1), pro num.ª 33-37 in pagg. 293, 294, pro num. 38 in pag. 333, nota (1), pro num. 39 in pag. 296, nota (1), et pro num. 40 in pag. 320.

33. Concedendi ut, servatis consuetis conditionibus, *Indulgentiam plenariam* in *primae Communionis* solemni distributione et in *s. Confirmationis* administratione, Christifideles ad s. Communionem vel Confirmationem rite accedentes lucrari possint. (Vide declarationem num. 33-37 * in pag. 293-294).

* 34. Concedendi *Indulgentiam plenariam* primo *conversis* ab haeresi, servatis consuetis conditionibus.

35. Impertiendi *Indulgentiam plenariam* singulis ex clero, qui per quinque saltem dies *sacris Exercitiis* interfuerint, ac, sacrosanctum Missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad s. Synaxim accedentes, pias ad Deum preces effuderint pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

* 36. Concedendi Benedictionem Apostolicam cum *Indulgentia plenaria* omnibus christifidelibus, qui spiritualibus Exercitiis seu *sacris Missionibus*, de quibus

in Can. 1349, § 1, ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum Cruce in fine postremae concionis impertiendae vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti adstiterint, atque ecclesiam, in qua conciones huiusmodi habebuntur devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint pro sanctae Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

* 37. Concedendi in actu *visitationis* parocciarum, quasi paroeciarum et missionum, nec non tam saecularium quam religiosorum, ut *Indulgentiam plenariam* una vice tantum lucrari possint christifideles dummodo contriti, confessi ac s. Communione refecti pias ad Deum preces fuderint pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

* 38. Concedendi christifidelibus ut *Indulgentias*, propter quas *confessio* saltem bis in mense requiritur, lucrari possint, etsi ob legitimum impedimentum inde a mense ad poenitentiae sacramentum non accesserint. (Vide pag. 333, nota 1).

* 39. Concedendi ut omnes praedictae *Indulgentiae* applicari possint *per modum suffragii* animabus in purgatorio detentis. (Vide in pag 296, nota 1).

* 40. Benedicendi crucifixos cum Indulgentia plenaria vulgo *toties quoties* nuncupata : idest a quocumque ex fidelibus in mortis periculo constitutis lucranda. Grassantibus autem epidemicis vel contagiosis morbis, concedendi ut fideles *in periculo mortis* constituti *Indulgentiam plenariam* lucrari possint, Christi crucifixi imaginem vel crucem deosculando; vel, ea deficiente, Ssmum Iesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando. (Vide in pag. 320).

***

41. Concedendi ut, expleto Divino Officio diei, legitima concurrente causa, privatim recitari possit *matutinum cum laudibus* diei sequentis, *statim post meridiem*. (Communis quinque Formularum).

Ad n. 41. — In huius concessionis usu, diversa est vis tribuenda clausulis. Illa « expleto Divino Officio diei » continet anticipationem licitam vesperarum cum completorio in postrema hora ante meridiem, sed insuper non est « conditio essentialis » ad validum concessionis usum, quamvis, eadem non servata, illicita esset sequentis diei recitatio permissa. Altera clausula « legitima concurrente causa » idem significat ac « iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur », v. gr. iter arripiendum, administratio poenitentiae, superventura occupatio, « alias dispensatio (haec circa legem liturgicam consuetudine firmatam) illicita et invalida est » (can. 84, § 1). — Quia dicitur « privatim recitari possit » liquet interpretationis veritas de prima clausula, cum concedatur « statim *post meridiem* », in qua recitatione « licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale

sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium », (can. 33, § 1) atque pro libitu diversum in distinctis diebus.

42. Concedendi ut ob legitimam gravemque rationem, de qua eius conscientia oneratur, *loco Divini Officii, rosarium* vel aliae preces recitari possint. (Communis quatuor Formularum).

Ad n. 42. — « Legitimam gravemque rationem » iudicare pertinet ad concedentem, quia de illa « eius conscientia oneratur », et quamvis « rosarium » vi vocis designet quindecim decades illius, quae adhuc breviores essent quam Divinum Officium, putamus pro gravitate rationis posse intelligi rosarii tertiam partem ex usu loquendi, « precesque » durationis eiusdem sufficere, vel partim ex illo, partim ex istis componi substitutionem Divini Officii, et hanc substitutionis determinationem esse concedentis statuere.

43. Permittendi suis missionariis ut *vestes laicales* induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere non potuerint. (Communis omnium Formularum).

Ad n. 43. — Can. 136 praescribit ut « omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum », qui non est ubique talaris, deferant. In oppositione igitur ad illum dicitur « *vestes laicales* induere possint ». Cit.[1] can.[a] § 3° reprobantur « clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum dimiserint »; ad quam praescriptionem se refert lex poenalis can.[a] 2379 quoad clericos quoque maiores. Datur ergo hic Praelatis facultas « permittendi suis missionariis », qui ut plurimum sacerdotes sunt, adversum can. 136 agere, determinata sic legitima causa: « si aliter *a*) vel transire ad loca eorum (nempe: missionariorum) curae commissa, (fortassis per alienum territorium), b) vel in eis (declaratis) commode permanere (quandocumque velint) non potuerint ». Atque hac permissione licite canonis observantiam praetermittunt.

44. Permittendi suis missionariis ut *artes medicinae et chirurgiae* exercere valeant, dummodo in illis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro huiusmodi exercitio; et in curandis mulieribus ea vitent, quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt, dedecent. (Peculiaris utriusque Formulae tertiae).

Ad n. 44. — Canon 139, § 2 statuit: « Clerici sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant ». Illud per

medios Praelatos elargitur, qui obtinuerunt facultatem illud « permittendi suis (tantum, quatenus territorio addicti sunt), missionariis », sed haec permissio est sequentibus circumscripta limitibus extra quos excurrens missionarius in canonem peccaret ob apostolici indulti defectum. Id innuit particula « dummodo », utpote efficiens « conditiones essentiales pro eorumdem (indultorum) validitate » (can. 39). Hae sunt: *a*) in illis (*artibus medicinae et chirurgiae* alterutrius exercendae) periti sint, *b*) operentur absque incisione, (propter quam fierent « irregulares ex delicto,... si exinde mors sequatur » can. 985, 6°) praeterquam ad sanguinem emittendum, *c*) et nihil exigant pro huiusmodi exercitio (quamvis sponte oblatum ex gratitudine licite recipiant). Sub his enim conditionibus « a clericali statu alienae non sunt » illae artes ob circumstantias missionum, sed ut " non indecora „ sint » (can. 139, § 1) adiuncta est conditio, ut supra essentialis: « et in curandis mulieribus ea vitent, quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt, (ob sexus diversitatem) dedecet ».

45. *Assignandi pensiones* quasi-parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus quasi-paroecias vel missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quomodolibet provenientium ex quasi-paroeciis vel missionibus, deductis expensis. (Communis omnium Formularum).

Ad n. 45. — Quod ius commune in can. 1429, § 2 concessit locorum Ordinariis quoad beneficia paroecialia extenditur ad partes territorii quae « appellantur quasi paroeciae » (can. 216, § 3), imo etiam « si peculiaris rector eisdem non fuerit assignatus »), per facultatem « *assignandi* (cum effectu obligatorio) *pensiones* quasi-parochis vel missionariis (cum limitatione) *a*) ex infirmitate (non alio ex motivo) resignantibus (proinde non remotis nec privatis), *b*) quasi-paroecias vel missiones in quas per decem annos (sive continuos sive interruptos) incubuerunt » (ministerio). Conditiones porro pensionum concedendarum sunt: banc « *a*) solvendam annuatim a successore *b*) non excedentem tertiam partem fructuum (nempe: donationum vel redituum ex syngraphis, vel ex iuribus stolae, etc. idest:) quomodolibet provenientium ex quasi-paroeciis vel missionibus (per resignantes deservitis) *c*) deductis expensis (quae pro cultu, etc. non pro substentatione missionarii fiant).

* 46. Dispensandi cum catholicis pauperibus, qui opera sua valde indigent, ut *serviliter laborare* valeant *diebus Dominicis*, exceptis Paschate et Pentecoste, post tamen s. Missae auditionem si possit audiri, si vero non possit, recitatis precibus suppletivis. (Peculiaris utriusque Formulae tertiae).

Ad n. 46. — Quamvis iure communi (can. 1245, § 1) facultas detur parochis quoque « in casibus singularibus iustaque de causa » proinde singulariter eveniente, « singulos fideles singulasve familias a lege communi de observantia festorum dispensare » ; attamen liberior facultas conceditur hic « dispensandi a) cum catholicis (propter religionis catholicae professionem) pauperibus, (singulis ac omnibus etiam habitualiter, sed subsistente hac taxative causa) b) qui opera sua valde indigent (pro familiae victu, vestitu, etc. et sine illa causa « dispensatio illicita et invalida est » can. 84, § 1). (Obiectum dispensationis est, tantummodo) ; a) « ut *serviliter laborare* valeant (licite, non obstante can. 1245, § 1) *diebus* Dominicis (non aliis festis « sub praecepto » ad normam can. 1247, imo) exceptis Paschate et Pentecoste (inter dies dominicos), b) post tamen s. Missae auditionem (non antea) si possit audiri, si vero non possit (omnino, vel non prius), recitatis (ante laborem) precibus suppletivis », quae propterea in casu essent a dispensante determinandae.

Ad litteram C). — Sequentes facultates sic sunt communes Formularum, ut illae sub nis. 47 et 50 inveniantur in Formula prima et aliis maioribus favore Vicariorum Apostolicorum, e contra ceterae sub nis. 48 et 49 communes sunt omnium Formularum, sed Praefectis Apostolicis per Formulas minores conceditur *indultum altaris privilegiati*, quo gaudent iure communi Vicarii Apostolici tamquam Episcopi titulares vi can. 349, § 1, n. 1°.

C) — Pro ipso Ordinario.

47. *Asservandi* in sacello domus stabilis suae residentiae *Ssmum Eucharistiae Sacramentum*, ea lege, ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur.

Ad n. 47. — Dicitur in can. 1265, § 2 « loci Ordinarius hanc licentiam (a qua incipit num. 47) concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iuxta causa et per modum actus ». Nunc vero « Oratoria... Episcoporum sive residentialium sive titu-

larium, licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semi-publica gaudent ». Sed in eorum privilegiorum aut iurium numero non comprehenditur sequens concessum per Formulas primam et alias duas maiores Vicariis Apostolicis : « Asservandi (non « apud se » can. 1265, § 3, sed) a) in sacello domus stabilis suae residentiae (scilicet ad hanc deputatae) *Ssmum Eucharistiae Sacramentum*, ea lege, (nempe : salvo can. 1271, quoad hoc) a) ut lampas indesinenter (seu « diu noctuque continenter ») lucescat, b) clavis diligenter custodiatur (« onerata graviter conscientia » can. 1269, § 4), c) aliaque iuxta liturgicas leges (v. gr. de tabernaculi conditionibus ad normam can. 1269, de pyxide in can. 1270, de renovandis hostiis consecratis, quae recentes sint, can. 1272, etc.) plene (seu quoad omnia ad cultum divinum attinentia) serventur ».

48. *Lucrandi Indulgentias*, quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit, impletis tamen conditionibus.

Ad n. 48. — In can. 66, § 1 praescriptum est : « Facultates habituales quae conceduntur... ad praefinitum tempus... accensentur privilegiis praeter ius ». Quia vero (can. 67) « privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere », fuit omnino necessarium addere facultatem : « *lucrandi indulgentias*, quas (generaliter) aliis vi facultatum sibi concessarum (in pagella ista vel alia) impertiendas censuerit, (seu quandocumque eas concesserit), impletis tamen conditionibus » prouti hae ab aliis sunt etiam implendae.

49. *Utendi* ipse *personaliter*, in iisdem tamen adiunctis *facultatibus* seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit.

Ad n. 49. — Facultas datur Ordinario « *utendi* ipse *personaliter*, in iisdem tamen adiunctis (explicatis quoad numeros singulos) facultatibus seu permissionibus, (sive dispensationem canonum contineant, sive praeter ius sint, tamquam sibi quoque soli concessis), quas, (non aliter ac) intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit ». Quod iudicium prudens eidem hac in re permissum gerit vicem concessionis pro seipso, etiamsi revera sit conditio.

50. Utendi *throno* cum *baldachino* et *cappa magna* in Pontificalibus: nec non permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus ut sui *nominis* tamquam Antistitis sive in precibus ferialibus sive in *Canone Missae* mentio fiat: quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint.

Ad n. 50. — Episcoporum residentialium est proprium (can. 349, § 2, n. 3°) « ius elevandi in omnibus ecclesiis suae diocesis thronum cum baldachino ». Id extenditur privilegio ad Vicarios Apostolicos qui sunt Episcopi titulares, additurque « *cappa magna* in Pontificalibus » exercendis, quod « est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram » (can. 387, § 2), sed usus ille sit iuxta liturgicas leges. — Sacra Congr. Rituum [1] ad « sequens dubium: An Vicariis et Praefectis Apostolicis de novo iure competat, in proprio territorio, ut nominentur in Canone Missae?... respondendum censuit: *Negative* iuxta rubricas et decreta; quia de iure adhuc vigente, in Canone Missae, post verba *Antistite nostro* exprimendum est tantum nomen Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi qui sint Ordinarii loci, et in propria dioecesi ». Idcirco expressa est facultas « permittendi (adversus rubricas et decreta, quae « vim suam retinent » can. 2, non iubendi) presbyteris (etiam exemptis) in ecclesiis suae iurisdictionis (idest: territorii) celebrantibus (etiam non addictis missioni), ut sui *nominis* tamquam Antistitis sive in precibus (iuxta rubricas pro Episcopo) sive in Canone Missae (iuxta explicationem citatae declarationis) mentio fiat: (atque videtur dubium nunc solutum innui per clausulam) quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint ».

Animadversiones.

(Hae sunt communes in verborum sententia omnium Facultatum).

1. Praedictae facultates ea lege conceduntur, ut non omnes indiscriminatim *subdelegari* possint, sed illae tantum quae asterisco * notantur, seu quae habentur sub numeris: 15, 17, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 34, 36, 37, 38, 39, 40, 46.

Ad n. 1. — Canon 199, § 2 sic statuit: « potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi fuerit subdelegatio prohibita ». Haec norma

[1] 8 Martii 1919. CO. XI. 145.

applicatur extensa ad omnes Formularum facultates, etsi administrationis tantum actus respiciant in spiritualibus vel temporalibus, ita quod « asterisco notantur » facultates sub canonis praescripto, aliaeque remanent sub canonis exceptione.

II. Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat *intra fines suae iurisdictionis*; easque gratis et sine ulla mercede exerceat, et facta mentione apostolicae delegationis.

Ad n. II. — Ad rectam intelligentiam verborum « *intra fines suae iurisdictionis* » equidem Ordinarii, etiam quando facultatibus quae subdelegari possunt per alios utitur, necesse est quaedam ex Codice decerpere, cum illa clausula sit necessaria, ut his facultatibus « uti valeat ». — Can. 202, § 3 edicit: « Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit (sicut in Formulis), potestas intelligitur concessa pro utroque foro... ». Unde ex hac parte non sunt fines. — Alii desumuntur ratione territorii bene circumscripti.

Ad eos dignoscendos deservit can. 201, § 3: « Nisi aliud... constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non-iudicialem (sicut in Formularum facultatibus) quis exercere potest a) etiam in proprium commodum, (ut constat ex praec. Animadversione), b) aut extra territorium existens, c) aut in subditum e territorio absentem », imo ex § 1 « potest in solos subditos directe exerceri ». Enimvero (can. 94, § 1): « Sive per domicilium sive per quasi-domicilium (paroeciale aut dioecesanum) suum quisque... Ordinarium sortitur. § 2. Proprius vagi... Ordinarius est... Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur ». — Demum finis iurisdictionis in subiecto sumi debet ex officii amissione, cui illa adnexa est vi Formulae uniuscuiusque.

Sequitur in animadversione II duplex praeceptum: a) « easque (facultates) gratis et sine ulla mercede exerceat (etiam per alios, ad quos prohibitio extendenda est), b) et facta mentione apostolicae delegationis » qualitercumque expressa, quin opus sit datam Formulae adiungere. Nec ista pertinent ad exercitii validitatem.

III. Quod si forte *ex oblivione vel inadvertentia* ultra tempus supra praefinitum, seu ultra . . . . . hisce *facultatibus* Ordinarium *uti contingat*, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. Insuper *datis* ab Ordinario *precibus pro renovatione* seu prorogatione earumdem facultatum, ipsae in suo robore *perseverare* censeantur, usque dum responsum S. C. ad eumdem Ordinarium pervenerit.

Ad n. III. — In iure habetur: (can. 209) « In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno ». Hoc praescriptum valet quoque pro facultatibus verae iurisdictionis ex Formulis. « Sed potestate (iurisdictionis) pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (can. 207, § 2). Hoc in III extenditur dupliciter, nempe: ad actum « *ex oblivione* » quae ab inadvertentia differt, quatenus haec habet locum in singulari casu forsitan ei accidente, qui bene noscebat tenorem ac tempus suarum facultatum, dum illa cognitionis alterutrius privationem designat ob naturalem defectum. Item illud de iurisdictione praescriptum applicatur « hisce facultatibus, si Ordinarium uti contingat » ipsis etiam per alios, quia « absolutiones, dispensationes (utraeque iurisdictionem praesupponentes), concessiones omnes exinde (idest: ob alterutrum Ordinarii defectum) impertitae uti ratae atque validae (quia tales sunt, eo quod supplet hac voluntate Sacra Congr.) habeantur ».

Sequitur cautio altera, videlicet: « insuper *datis* (tum subscriptione saltem epistolae) ab Ordinario *precibus pro renovatione* (ac missis quantum in eodem sit) seu prorogatione earumdem facultatum, ipsae (omnino eiusdem tenoris) in suo robore perseverare censeantur (quia eas revera prorogat interim S. Congregatio), usquedum responsum (qualecumque) S. Congr.ⁿ ad eumdem Ordinarium (de facto) pervenerit ». — Notandum bene hic « nomine Ordinarii (etiam eiusdem) intelligi... item ii qui praedictis (Vicario et Praefecto Apostolico) deficientibus interim ex iuris praescripto (nempe: can. 309) succedunt in regimine ». Quod viget quoque vi can. 310, § 2 aequipollenter, « illorum iurisdictione impedita ad normam can. 429, § 1 ». Comprehenditur quoque Vicarius Delegatus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die mensis anno .

Facultates quae utrique Formulae maiori superadduntur.

Vigore potestatis sibi a SSmo D. N. Benedicto Div. Prov. Papa XV tributae, haec S. Congregatio Christiano Nomini Propagando R. P. D. Ordinario (1) .....
sequentes facultates concedit ad ....., a die tamen computandum, quo aliae facultates (Formula ..... maior) datae sunt, et ad normas in eodem folio facultatum expressas sub capite *Animadversiones*, nempe:

1. *Erigendi* illas etiam *Confraternitates* a S. Sede adprobatas quarum instituendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est (can. 686, § 2), una excepta Confraternitate SSmi Rosarii, iisque adscribendi Christifideles; ac *benedicendi Coronas et Scapularia earumdem Confraternitatum propria,* cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt.

Ad 1. Exceptio innititur verbis Leonis XIII in const. « Ubi primum » 2 Oct. 1898: « Uni igitur Magistro generali (Ord. Praed.) ius esto instituendi Sodalitates sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subeat Vicarius eius generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis ». — In benedictione usuvenit ad validitatem formula pro singulis Coronis et Scapularibus determinata, atque ab illis Ordinariis et Missionariis subdelegatis necessario adhibenda.

2. *Subdelegandi* suis Missionariis facultatem *adscribendi Confraternitatibus*, de quibus supra *n. 1*, Christifideles; ac *benedicendi Coronas et Scapularia earumdem Confraternitatum propria*, cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt.

3. *Subdelegandi* pariter suis Missionariis sequentem duplicem *facultatem* quae eidem Ordinario, qua Episcopo, in canone 349, § 1, n. 1, conceditur, nempe:

a) benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, *omnia Scapularia* a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis;

(1) Ut Vicarius Delegatus queat erigere Confraternitates, videtur indigere mandato speciali ne amplior sit eius facultas ex indulto, quam potestas Vicarii generalis ex iure. (Can. 686, § 4).

b) *erigendi*, ritibus pariter ab Ecclesia praescriptis, stationes *Viae Crucis,* cum omnibus Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et *applicandi easdem Indulgentias crucibus et Crucifixis* pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito Decreto S. Poenitentiariae, die 14 Decembris anno 1917.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die mensis anno .

INDEX

CANONUM ET COMMENTARII

LIBER TERTIUS

De Rebus.

	CAN.	PAG.
Benevolo lectori		v
Canones 726-730.		1
Inscriptio Libri et primi canones		»
Rerum notio ac divisio	726	2
Descriptio duplicis simoniae	727	3
Verba emptio-venditio in iure de simonia	728	6
Simoniae distinctiones ex parte actus		7
Effectus commissae simoniae	729	»
Casus apparentis non verae simoniae	730	10
Libri divisio		11

PARS PRIMA.

De Sacramentis.

Canones 731-736.		13
Inscriptio partis et ordo canonum		»
De modo administrationis ac susceptionis, et consequens vetitum	731	14
De sacramentis non iterandis	732	16
Observandi ritus ac caeremoniae	733	17
De sacris oleis adhibendis	734	18
De custodia sacrorum oleorum.	735	19
De gratuita sacramentorum administratione	736	20
Divisio partis primae ac ordo titulorum.		»

TITULUS I.

De Baptismo.

	CAN.	PAG.
Canon 737		21
Inscriptio tituli I		»
Baptismi definitio et accidentalis divisio	737	22
Divisio tituli in capita		25
CAPUT I. — **De ministro baptismi.**		
Canones 738-744.		26
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Minister baptismi sollemnis in paroeciis.	738	»
Administratio baptismi sollemnis in alieno territorio	739	27
Minister baptismi sollemnis ubi paroeciae non sunt	740	28
Ministratio baptismi sollemnis per diaconum	741	»
Minister baptismi privati.	742	29
Parochi debitum	743	32
Minister baptismi adultorum	744	»
CAPUT II. — **De subiecto baptismi.**		
Canones 745-754.		32
Schema. Caput II. De subiecto baptismi		33
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Subiectum capax baptismi	745	34
Significatio iuridica parvulorum seu infantium et adultorum	» § 2	35
Quando et quomodo nondum plene nati sunt baptizandi	746	36
De baptizandis fetibus abortivis	747	38
De baptizandis monstris et ostentis	748	»
De baptizandis expositis	749	39
Quando infantes infidelium sint baptizandi	750	40
Eadem quaestio de infantibus acatholicorum	751	41
Dispositiones adulti baptizandi.	752	42
De servandis in baptismo adultorum	753	44
De laborantibus mentis defectu habitualiter quoad rationis usum	754	46
CAPUT III. — **De ritibus et caeremoniis baptismi.**		
Canones 755-761.		47
Inscriptio capitis		»
Ordo canonum		48
De baptismi sollemnitate	755	»

	CAN.	PAG.
Ritus pro unoquoque baptismo	756	49
De aqua sollemnis baptismi	757	»
De modo abluendi baptizandum	758	52
De baptismo privato licito	759	»
An baptisma sub conditione sit sollemniter conferendum	760	55
De nomine christiano imponendo	761	»

Caput IV. — **De patrinis.**

Canones 762-769.		55
Inscriptio Cap. IV		56
Ordo canonum		»
Necessitas iuridica patrinum adhibendi	762	57
De patrino baptismi sub conditione.	763	58
De numero patrinorum	764	»
Qualitates ut quis valide sit patrinus	765	»
De qualitatibus patrini quoad actum licitum.	766	60
Dubia circa patrinorum qualitates	767	62
De cognatione spirituali ex baptismo	768	»
De obligatione instruendi baptizatum	769	63

Caput V. — **De tempore et loco baptismi conferendi.**

Canones 770-776.		64
Inscriptio capitis ac ordo canonum		»
Sollicitudo in parvulorum baptismo.	770	64
Exemptio baptismi privati a legibus huius capitis	771	65
Dies in quibus conferatur Baptismus sollemnis	772	»
Locus proprius baptismi sollemnis	773	66
Ius praecedens de loco		»
Ecclesiae gaudentes iure fontis baptismalis	774	67
De baptismo sollemni licite conferendo alia in ecclesia.	775	68
Licita baptismi sollemnis administratio in domibus privatis.	776	69

Caput VI. — **De collati baptismi adnotatione et probatione.**

Canones 777-779.		70
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Adnotationis norma de collato baptismo.	777	71
De obligatione certiorandi parochum circa collatum baptismum	778	72
De baptismi probatione	779	73

TITULUS II.

De confirmatione.

	CAN.	PAG.
Canones 780-781.		73
Inscriptio tituli.		74
Huius sacramenti notio	780	»
De materia remota et proxima.	781	75
Distributio tituli in capita		77

CAPUT I. — De ministro confirmationis.

Canones 782-785.		77
Inscriptio capitis et ordo canonum		78
Minister validae confirmationis	782	»
De administratione licita confirmationis per ministrum ordinarium	783	81
De confirmandis licite subditis alienis per presbyterum	784	82
Ministrorum confirmationis obligatio hanc conferendi	785	»

CAPUT II. — De subiecto confirmationis.

Canones 786-789.		84
Inscriptio capitis et canonum ordinatio		»
Subiectum validae ac fructuosae confirmationis	786	»
De obligatione recipiendi confirmationem	787	86
De aetate confirmandorum	788	87
De adsistentia ritui etiam accidentali	789	88

CAPUT III. — De tempore et loco confirmationis conferendae.

Canones 790-792.		88
Inscriptio capitis et canones sub eo		»
De tempore	790	89
De loco	791	»
De iure Episcopi	792	»

CAPUT IV. — De patrinis.

Canones 793-797.		90
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Necessitas patrini confirmandi.	793	»
De numero patrinorum et confirmandorum	794	91
Necessariae qualitates patrini	795	»
Patrinus licite adhibendus	796	93
De confirmationis effectibus iuris in patrino	797	94

CAPUT V. — **De collatae confirmationis adnotatione et probatione.**

	CAN.	PAG.
Canones 798-800.		95
Inscriptio capitis eiusque canones		»
Signanda propter confirmationem	798	95
De notitia confirmationis danda	799	»
De sufficienti probatione	800	96

TITULUS III.

De sanctissima Eucharistia.

Canon 801		96
Inscriptio tituli ac illius notionis canon.	801	»
Distributio tituli in capita, sacrorumque de eucharistia canonum.		98

CAPUT I. — **De sacrosancto Missae sacrificio.**

ART. I. — *De sacerdote Missae sacrificium celebrante.*

Canones 802-813.		99
Schema. Art. I. De sacerdote Missae sacrificium celebrante		100
Inscriptio capitis I ac distributio in articulos		»
Ius praecedens respectu vigentis disciplinae		101
Inscriptio articuli		103
Celebratio missae		»
Ordo canonum		104
Potestas offerendi	802	»
Prohibitio concelebrationis	803	106
De celebratione Missae in ecclesia ad quam sacerdos non pertinet	804	107
Peculiaris lex de sacerdotibus trans Oceanum migrantibus		109
De obligatione celebrandi in anno	805	»
De celebratione iterata in eodem die	806	111
Dispositio animae ad celebrandum	807	114
Dispositio ex parte corporis	808	116
De applicatione Missae et pro quibus personis	809	117
De immediata praeparatione ad missam et de gratiarum actione.	810	120
De corporis veste ac ornamentis	811	121
De presbytero assistente	812	122
De ministro inserviente Missae	813	»

ART. II. *De Missae ritibus et caeremoniis.*

	CAN.	PAG.
Canones 814-819.		123
Duplex materia sacrificii missae, remotaque sacramenti eucharistiae	814	124
Qualitas panis et vini pro Missae sacrificio	815	125
De pane azymo vel fermentato adhibendo in consecratione	816	127
De ipsa consecratione	817	128
De forma consecrationis		129
De rubricarum missalis observantia.	818	130
Facultates Vicariorum et Praefectorum Aplcorum		132
De lingua liturgica in altaris sacrificio	819	133

ART. III. *De tempore et loco Missae celebrandae.*

Canones 820-823.		134
Inscriptio articuli et ordo canonum.		»
De diebus in quibus missam colebrare licet	820	»
Facultates Vicariorum et Praefectorum Aplcorum		136
De hora diei pro licita Missae celebratione	821	137
De loco super quem vel in quo missa celebranda est		141
Ius praecedens		142
Ius ex Codice	822	143
Speciales prohibitiones causa loci celebrationis	823	146

ART. IV. *De missarum eleemosynis seu stipendiis.*

Canones 824-844.		148
Schema: Art. IV. De missarum eleemosynis seu stipendiis		149
Inscriptio articuli		151
Ordo canonum		»
De licito stipendio missarum	824	»
De illicita stipendii receptione.	825	156
Diversitas stipendiorum	826	157
Vetita negotiationis species de missarum stipendiis	827	158
Quot missae applicandae pro stipendiorum numero	828	159
Obligationis ad applicandam missam perpetuitas	829	160
Obligationis quoad missas applicandas interpretatio	830	»
Taxa synodalis vel dioecesana	831	»
Quid liceat sacerdoti respectu taxae dioecesanae	832	162
De conditionibus appositis ab offerente stipendium	833	»
De tempore adimplendae obligationis ex manuali stipendio	834	163
Limes onerum Missarum licite recipiendorum	835	164
Monitio facienda in quibusdam ecclesiis quoad recipienda stipendia missarum.	836	»

	CAN.	PAG.
De distributione onerum Missarum	837	165
Quibus sacerdotibus distribuenda missarum onera	838	166
De translatione oneris missarum	839	168
Quantitas stipendii missarum traditarum	840	»
De obligatione remittendi Ordinariis missarum onera	841	170
De vigilantia circa missarum onera ut adimpleantur	842	171
De libris onerum missarum	843	172
De adnotatione Missarum ab Ordinariis, Superioribus et sacerdotibus gerenda	844	173
Complementum huius Art. IV.		174

CAPUT II. — De sanctissimo Eucharistiae sacramento.

ART. I. *De ministro sacrae communionis.*

Canones 845-853.		174
Inscriptiones capitis et articuli		175
Ordo articulorum et canonum artⁱ. I		»
Minister ordinarius et extraordinarius	845	176
De ministranda communione in respectu ad consecrationem.	846	177
De sacra communione ad infirmos deferenda	847	178
Ad quos pertineat publice infirmis deferre sacram communionem	848	179
Qui possit privatim deferre infirmis sacram communionem	849	180
De viatico ministrando	850	181
De ritu servando inter diversos	851	»
De communione sub una tantum specie	852	182

ART. II. *De subiecto sacrae communionis.*

Canones 853-866.		183
Schema. Art. II. De subiecto sacrae communionis.		184
Inscriptio articuli eiusque coordinatio canonum		185
Admittendus ad sacram communionem	853	»
De pueris communicandis vel non	854	186
De indignis arcendis a sacra mensa.	855	188
De dispositione animae	856	189
De sacra communione semel in die recipienda	857	190
De naturali ieiunio ante s. communionem	858	191
De obligatione sacram communionem recipiendi	859	193
In quos recidit quoque obligatio paschalis communionis impuberum	860	197
De sacrilega communione	861	»
De communione a clero recipienda fer. V in Coena Domini.	862	198
De communione frequenti et quotidiana	863	199

	CAN.	PAG.
De sacra communione suscipienda mortis causa . . .	864	200
De sancto Viatico ab infirmis suscipiendo	865	201
De communione recipienda pro diversitate ritus . . .	866	»

ART. III. *De tempore et loco quo sacra communio distribui potest.*

Canones 867-869.		202
Inscriptio articuli et ordo canonum.		»
De die ac hora ministrandi sacram communionem ac S. Viaticum	867	203
De sacrae communionis distributione per celebrantem quoad locum , ...	868	205
Alia Decreta de distributione s. communionis . . .		»
De loco distributionis ss.mae Eucharistiae	869	206

TITULUS IV.

De Poenitentia.

Canon 870		207
Inscriptio tituli et eius notio canonica	870	»

CAPUT I. — **De ministro sacramenti poenitentiae.**

Canones 871-892.		211
Schema. Caput I. De ministro sacramenti poenitentiae .		213
Coordinatio canonum sub Cap. I		214
Ordinis potestas in ministro	871	215
Iurisdictionis potestas in ministro	872	216
Quinam sint ministri cum ordinaria iurisdictione. . .	873	217
A quo iurisdictio sacramentalis delegatur pro quibuslibet poenitentibus	874	219
Delegatio iurisdictionis sacramentalis pro religione exempta	875	220
Peculiaris iurisdictio pro religiosarum confessionibus . .	876	222
De idoneitatis examine	877	224
Circumscriptio iurisdictionis aut licentiae audiendarum confessionum	878	225
De modo concedendi iurisdictionem fori sacramentalis . .	879	226
Revocatio et suspensio iurisdictionis ac licentiae pro sacramentali foro	880	227
Norma subiectionis erga singulos sacramenti poenitentiae ministros.	881	229
Commissio iurisdictionis a iure pro poenitente in articulo mortis	882	233

	CAN.	PAG.
Commissio iurisdictionis a iure sub itineris maritimi conditione.	883	236
Iurisdictionis limitatio relativa ex iure	884	238
Absolutionis formula.	885	241
Quandonam est absolutio concedenda	886	243
Satisfactiones iniungendae	887	244
Officium ministri in audiendis confessionibus . . .	888	246
De sigillo sacramentali	889	247
Obligationes Ordinariorum ac Superiorum religiosorum hac de causa		250
Usus scientiae ex confessione habitae	890	251
Prohibitio Superiorum quorumdam circa propriorum subditorum confessiones.	891	252
Obligatio audiendi confessiones	892	253

CAPUT II. — De reservatione peccatorum.

Canones 893-900.		254
Schema. Caput II. De reservatione peccatorum . . .		255
Inscriptio capitis		»
Ordo canonum		256
Quinam habeant potestatem reservandi casus, huius reservationis notio ac divisio	893	»
Aliae reservationis casuum divisiones		258
Peccatum S. Sedi reservatum	894	259
Limitatio exercitii potestatis peccata reservandi . . .	895	260
Potestas reservandi peccata in religione clericali exempta .	896	261
Qualitates ac numerus reservandorum peccatorum et reservationis permansio	897	263
Peccata non reservanda	898	264
De notificandis reservationibus et de facultate absolvendi casus ab homine reservatos	899	265
Monitum pro Urbe valde notandum		267
Cessatio in casibus quoad reservationem ab Ordinariis statutam	900	»

CAPUT III. — De subiecto sacramenti poenitentiae.

Canones 901-907.		269
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Subiectum ex iure divino ad poenitentiae sacramenti susceptionem obligatum	901	»
Subiectum sacramento poenitentiae idoneum ratione peccatorum, sed non obligatum.	902	271
Confessionis modus quoad interpretis usum	903	273

	CAN.	PAG.
Denunciatio peragenda rei sollicitationis in confessione	904	274
Ius fidelis quoad confessarii electionem	905	278
Praeceptum ecclesiasticum annuae confessionis	906	279
Modus adimplendi quodlibet praeceptum de confessione	907	281

CAPUT IV. — **De loco ad confessiones excipiendas.**

Canones 908-910.		281
Inscriptio capitis ac ordo canonum sub ipso		282
Locus intra quem poenitentiae sacramentum est perficiendum	908	»
Sedis confessionalis dispositio	909	»
Exceptiones quoad utrumque locum.	910	283

CAPUT V. — **De Indulgentiis.**

ART. I. *De indulgentiarum concessione.*

Canones 911-924.		284
Inscriptio capitis ac distinctio in articulos		286
Inscriptio articuli		»
Canonum ordinatio		287
Descriptio naturae indulgentiarum et harum distinctio	911	»
Quinam possunt indulgentias concedere potestate ordinaria.	912	290
Facultates Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum		293
Aliae limitationes potestatis indulgentias elargiendi	913	395
Benedictio papalis per locorum Ordinarios danda	914	298
Benedictio papalis a regularibus impertienda	915	300
Potestas designandi altare privilegiatum.	916	302
Notio huius privilegii quo altare denominatur, diversitas illius et conditiones in eius usu servandae		303
De Gregoriano tricenario, eiusque iuridicis conditionibus		306
Altaria ex iure, sed ob extrinsecum motivum privilegiata	917	307
De indicatione altaris privilegiati, et quoad missae in eo celebratae eleemosynam	918	308
Divulgatio indulgentiarum concessarum recenter vel antiquitus	919	309
Conditio sub poena nullitatis in nonnullis concessionibus indulgentiarum	920	311
Concessionis indulgentiarum interpretatio authentica quoad festa et dies	921	313
De translatione indulgentiarum cum festis vel precibus quae donatae sunt illis	922	314
De tempore utili ad lucrandas indulgentias	923	316
De cessatione concessarum indulgentiarum	924	»

	CAN.	PAG.
Facultates Vicariorum ac Praefectorum Apostolicorum adnectendi indulgentias		319
An indulgentiarum concessiones ac decreta etiam generalia de ipsis ante Codicem adhuc vigeant		320
Numismata scapularibus substituenda		321
ART. II. *De indulgentiis acquirendis.*		
Canones 925-936.		322
Inscriptio articuli		324
Canonum coordinatio.		»
Conditiones subiecti ad lucrandas quaslibet indulgentias	925	325
Mensura pro subiecto indulgentiam plenariam lucrante	926	327
Subditus Episcopi indulgentias concedentis	927	328
Indulgentiae semel aut saepius in die lucrandae	928	»
Fideles in communi viventes quoad Ecclesiae visitationem	929	329
De indulgentiarum applicatione	930	330
De confessione ac communione ad indulgentias nonnullas requisitis	931	331
De supererogatoria qualitate operis indulgentiis ditati	932	333
De lucrandis pluribus indulgentiis localibus vel realibus coexistentibus	933	334
De oratione pro indulgentiis iniuncta	934	»
De piorum operum commutatione ab homine.	935	337
De surdo-mutis quoad modum orationes fundendi	936	»
TITULUS V. **De extrema unctione.**		
Canon 937		338
Inscriptio tituli		»
Notio sacramenti extremae unctionis	937	»
Distributio tituli in capita ac eorum ordo		339
CAPUT I. — **De ministro extremae unctionis.**		
Canones 938-939.		340
Inscriptio capitis et canones sub eo contenti.		»
Minister validae ac licitae extremae unctionis	938	»
Obligationis hoc sacramentum ministrandi fundamentum	939	341
CAPUT II. — **De subiecto extremae unctionis.**		
Canones 940-944.		342
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Subiectum extremae unctionis validae ac de huius iteratione	940	»

	CAN.	PAG.
Administratio sub conditione ob dubium de validitate. .	941	345
Administratio sub conditione ob dubium de ipsius liceitate .	942	»
De ministranda extrema unctione sensibus vel usu rationis destitutis	943	346
De obligatione respectu susceptionis et administrationis huius sacramenti	944	»

CAPUT III. — **De ritibus et caeremonis extremae unctionis.**

Canones 945-947.		348
Inscriptio capitis eiusque canones		»
De olei benedictione.	945	»
De olei infirmorum asservandi modo	946	349
De unctionibus peragendis quid iure observari debeat . .	947	»

TITULUS VI.

De ordine.

Canones 948-950.		352
Inscriptio tituli et canonum distributio sub illo . . .		»
Ordinis notio ex institutione ac fine	948	353
Ordinum distinctio	949	354
Aliorum verborum canonica significatio	950	356

CAPUT I. — **De ministro sacrae ordinationis.**

Canones 951-967.		357
Inscriptio capitis et canonum coordinatio		359
Minister validae ordinationis	951	360
Prohibitio universalis circa usum illius potestatis. . .	952	361
Consecrationis episcopalis reservatio	953	»
Episcopi pro hac consecratione adhibendi	954	»
Minister pro licita ordinatione	955	362
Episcopus proprius ordinandorum saecularium . . .	956	363
Minister extraordinarius per se, ac proprius ordinandorum saecularium.	957	366
Quinam dare queant litteras dimissorias.	958	367
Quid praedicti possunt etiam circa ordinationem . . .	959	370
Requisita ut licite denter dimissoriae	960	»
Ad quem mitti possunt litterae dimissoriales. . . .	961	371
Conditio ad licite ordinandum alienum subditum . . .	962	372
De vigore litterarum dimissoriarum.	963	373
A quibus dandae sunt litterae dimissoriales ordinandis religiosis	964	»

	CAN.	PAG.
Ius praecedens de litteris dimissoriis ordinandorum regularium		377
Ad quem ordinaturum mitti debent religiosi exempti ordinandi	965	378
Exceptiones praecedentis canonis	966	379
Cavendum a Superioribus religiosis in hac materia	967	380

CAPUT II. — **De subiecto sacrae ordinationis.**

Canones 968-972.		382
Inscriptio capitis		»
Distinctio capitis in articulos ac ordo canonum ante ipsos		»
Subiecti conditiones ad sacram ordinationem valide ac licite recipiendam	968	383
Prohibitio conferendi ordines propter ministrorum sufficientiam	969	385
Interdictio ab homine ascensus ad ordines	970	386
Libertas servanda in status clericalis electione	971	387
De commoratione in Seminariis eorum qui ad sacros ordines aspirant	972	»

ART. I. *De requisitis in subiecto sacrae ordinationis.*

Canones 973-982.		389
Inscriptio articuli et ordo canonum.		391
Quibusnam solummodo ordines conferendi sunt	973	391
Summaria requisitorum enumeratio.	974	393
Aetas canonica pro diversis ordinibus suscipiendis	975	395
Debita pro singulis ordinibus studia	976	396
Successiva graduum ordinis susceptio	977	399
Ordinationum interstitia	978	»
Titulus canonicus pro clericis saecularibus	979	402
Existentia tituli stabilis iure praescripta	980	405
Doctrina iuris praecedentis de aliis titulis		408
Tituli s. ordinationis ex iure supplementari	981	409
Tituli canonici religiosorum peculiares	982	410

ART. II. *De irregularitatibus aliisque impedimentis.*

Canones 983-991.		412
Inscriptio articuli et canonum coordinatio		413
Irregularitatis notio ac divisio.	983	414
Definitio		415
Irregularitates ex defectu.	984	»
Ex defectu corporis		» 2° 417

	CAN.	PAG.
Ex defectu mentis	984 3°	419
Ex defectu sacramenti	» 4°	420
Sunt irregulares ex defectu famae	» 5°	422
Ex defectu lenitatis	» 6°, 7°	423
Irregularitates ex delicto	985	»
Contra fidem et unitatem Ecclesiae	» 1°	»
In baptismatis susceptione	» 2°	424
Contra votum castitatis publicum	» 3°	425
Ius praecedens de homicidio ac mutilatione		426
Irregularitas ex delicto homicidii, abortus aut mutilationis	» 4°, 5°	431
Ex delicto homicidii casualis	» 6°	432
Ex delicto per sacri ordinis exercitium	» 7°	433
Ius praecedens de postrema ex delicto irregularitate		434
Conditiones delictorum ad contrahendam irregularitatem	986	436
De aliis sacrae ordinationis impedimentis	987	437
Ob parentem acatholicum	» 1°	»
De coniugatis non ordinandis	» 2°	439
Quoad ordinandorum libertatem		»
De obligatis ad ratiocinia	» 3°	440
De servis non ordinandis	» 4°	»
Propter militare servitium	» 5°	441
De neophytis	» 6°	442
De infamibus	» 7°	443
De ignorantia circa incurrendas irregularitates aliaque impedimenta	988	»
De multiplicatione illarum eorumque	989	444
Ius praecedens quoad ordinariam et ex privilegio facultatem ab irregularitatibus dispensandi		445
Facultates ab irregularitatibus tantum dispensandi	990	447
Competentia diversarum RR. Congregationum circa dispensationes ab irregularitatibus aliisque impedimentis		449
De petitionibus ac concessionibus dispensationum ab irregularitate	991	451

CAPUT III. — **De his, quae sacrae ordinationi praeire debent.**

Canones 992-1001		454
Schema. Caput III. De iis, quae sacrae ordinationi praeire debent		455
Inscriptio capitis et ordo canonum		»
Propositi ordinationem recipiendi manifestatio	992	456
Testimoniales litterae afferendae	993	»
Temporis determinatio pro requirendis vel minus testimonialibus litteris	994	458

	CAN.	PAG.
Testimoniales adiungendae dimissoriis litteris Superiorum religiosorum	995	460
Ius praecedens de scrutiniis circa ordinandos.		461
De examine promovendorum	996	462
Apud quamnam curiam est illud examen faciendum	997	463
Denunciationes promovenderum ad sacros ordines.	998	465
Obligatio impedimenta revelandi	999	467
Investigatio de vita et moribus candidatorum	1000	»
Spiritualia exercitia ordinationibus recipiendis praemittenda.	1001	468

CAPUT IV. — **De ritibus et caeremoniis sacrae ordinationis.**

Canones 1002-1005		470
Inscriptio capitis ordoque canonum.		»
De rituum accurata observantia	1002	471
De supplendis defectibus		»
Praecipua in sacra ordinatione pars praeter illius substantiam	1003	472
De ritus mutatione in suscipiendis ordinibus.	1004	»
De sacra ordinatione suscipienda in sacrae ordinationis ritu	1005	473

CAPUT V. — **De tempore et loco sacrae ordinationis.**

Canones 1006-1009		474
Inscriptio capitis eiusque ordinati canones		»
Tempora licitae sacrae ordinationis.	1006	475
Tempus ordinationis licite iterandae vel partialiter supplendae	1007	478
De loco ratione territorii.	1008	479
Locus legitimus sacrarum ordinationum.	1009	480

CAPUT VI. — **De adnotatione et testimonio peractae ordinationis.**

Canones 1010-1011		482
Inscriptio capitis huiusque canones.		»
Ordinationum adnotatio determinata, et singularum testimonium	1010	»
Notificatio ordinationis subdiaconi	1011	483

TITULUS VII.

De matrimonio.

Canones 1012-1018		484
Inscriptio tituli.		485
Ordo inter canones praeliminares		486
Sacramenti matrimonii propria nota	1012	»

	CAN.	PAG.
Sacramenti matrimonii materia, forma et ministri.		487
Ministri huius sacramenti sunt ipsi contrahentes		489
Quid in eo sit, sacramentum tantum, res et sacramentum, ac denique res tantum significata, et quotuplex sit haec		»
Matrimonii fines atque proprietates.	1013	490
Favor iuris.	1014	492
Matrimoniorum distinctiones ac diversae iuris appellationes.	1015	493
Quo iure regitur matrimonium	1016	494
De matrimonii futuri promissione ac de sponsalibus	1017	495
Parochi obligatio de populo circa hoc sacramentum erudiendo	1018	498
Distributio tituli in capita		499

CAPUT I. — De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus.

Canones 1019-1034		500
Schema. Caput I. De iis quae matrimonii celebrationi, etc.		501
Inscriptio capitis ac eius canonum coordinatio		502
Authentica declaratio prae oculis habenda quoad huius capitis praescripta		503
Generale principium	1019	»
De impedimentorum investigatione ac sponsorum examine	1020	504
De praevia susceptione baptismi ac confirmationis	1021	507
Matrimonii contrahendi praescripta denunciatio	1022	508
Designatio parochi et ipsius hac de causa obligationes.	1023	»
Publicationum circumstantiae obligatoriae	1024	510
Publicationum substitutio	1025	511
Prohibitio publicationum pro quibusdam matrimoniis	1026	512
Obligatio fidelium revelandi impedimenta	1027	»
Publicationum dispensatio	1028	513
De notificatione exitus publicationum	1029	514
Tempus celebrandi matrimonium causa praecedentium canonum	1030	515
Obligationes parochi iuxta impedimenti detectionem	1031	516
Speciale praescriptum de vagorum matrimoniis	1032	518
Parochi obligatio docendi exhortandique sponsos	1033	519
Parochi obligatio circa filiorum familias matrimonium	1034	520

CAPUT II. — De impedimentis in genere.

Canones 1035-1057		521
Schema. Caput I. De impedimentis in genere		522
Inscriptio capitis et ordo canonum		523
Quinam possunt contrahere matrimonium	1035	524
Divisio impedimentorum ratione effectus	1036	525

	CAN.	PAG.
Alia impedimentorum divisio ratione cognitionis de ipsorum existentia	1037	527
Ius privativum supraemae auctoritatis ecclesiasticae circa haec impedimenta	1038	528
Vetitum Ecclesiae	1039	529
Potestas impedimenta auferendi saltem per dispensationem	1040	530
Contraria consuetudo reprobatur	1041	531
Impedimenta gradus minoris et maioris	1042	»
Facultas iure concessa locorum Ordinariis dispensandi ab impedimentis matrimonialibus	1043	533
Eadem facultas iure ipso aliis concessa	1044	536
Eadem facultas dispensandi pro aliis casibus extra mortis periculum	1045	537
Ordinarii loci certioratio de concessa dispensatione huiusque adnotatio	1046	539
Competentia diversarum Congregationum ac Sacrae Poenitentiariae quoad matrimoniales dispensationes.		540
Quaenam sint hodie facultates dispensandi ab his impedimentis concessae a S. Congr. de P. F.		542
Adnotatio dispensationis in foro interno concessae	1047	543
Sequentium canonum norma communis	1048	545
Normae ad interpretationem indulti generalis dispensandi	1049	»
Facultatis usus	1050	546
Amplitudo implicita indulti generalis	1051	547
Dispensationum validitas non obstante rescripti vitio	1052	549
Amplitudo implicita quorumdam S. Sedis rescriptorum.	1053	»
Rescriptorum S. Sedis validitas non obstante illorum vitio	1054	550
De exequutore rescriptorum ad concedendam dispensationem impedimentorum matrimonii	1055	551
De dispensationibus matrimonialibus gratis concedendis	1056	552
Exprimenda in dispensationibus potestas delegata.	1057	553

CAPUT III. — **De impedimentis impedientibus.**

Canones 1058-1066		554
Inscriptio capitis et ordo canonum		555
Impedimentum voti simplicis	1058	»
Impedimentum cognationis legalis ex adoptione	1059	557
Impedimentum mixtae religionis	1060	558
Conditiones dispensationis huius impedimenti	1061	559
Catholici obligatio respectu alterius coniugis in matrimonio mixto	1062	561
Vetitum servandum in matrimonii mixti celebratione	1063	»

	CAN.	PAG.
Officium Ordinariorum locorum et parochorum quoad matrimonia mixta	1064	563
Officium parochi circa matrimonia, quae mixtis nuptiis similia sunt	1065	564
Parochi obligatio in aliis quorumdam matrimoniis	1066	565

CAPUT IV. — **De impedimentis dirimentibus.**

Canones 1067-1080		566
Schema. Caput IV. De impedimentis dirimentibus		567
Inscriptio capitis ac impedimentorum dirimentium logica coordinatio		568
Ordo canonum		569
Impedimentum aetatis	1067	»
Impedimentum impotentiae	1068	571
Impedimentum ligaminis	1069	573
Impedimentum disparitatis cultus	1070	575
Applicanda quoque huic impedimento	1071	578
Impedimentum ordinis sacri	1072	579
Impedimentum voti dirimens	1073	581
Impedimentum raptus	1074	582
Impedimentum criminis	1075	584
Quintuplex cognatio et uniuscuiusque fundamentum facti ac iuris		587
Impedimentum consanguinitatis	1076	588
Impedimentum affinitatis	1077	592
Impedimentum publicae honestatis	1078	593
Impedimentum spiritualis cognationis	1079	595
Impedimentum dirimens cognationis legalis	1080	596

CAPUT V. — **De consensu matrimoniali.**

Canones 1081-1093		596
Schema: Caput V. De consensu matrimoniali.		597
Inscriptio capitis et consequens eiusdem canonum coordinatio		598
Necessitas et natura consensus matrimonialis.	1081	»
Cognitio ad matrimonialem consensum necessaria.	1082	602
Error circa personam eiusve qualitates	1083	603
Error iuris circa proprietates matrimonii eiusve sacramentalem dignitatem.	1084	606
Error de singularis quod contrahitur matrimonii validitate.	1085	607
Consensus matrimonialis vitium in voluntate	1086	608
In consensu matrimoniali ob vim vel metum defectus	1087	609
Legitima consensus matrimonialis manifestatio	1088	612
Matrimonium per procuratorem	1089	613
Matrimonium per interpretem	1090	615

	CAN.	PAG.
Obligatio parochi quoad haec matrimonia	1091	615
De conditionibus in matrimonii celebratione appositis	1092 1°	616
Conditio matrimonio contraria	» 2°	619
Praesumptio iuris de consensus matrimonialis perduratione	1093	624

CAPUT VI. — **De forma celebrationis matrimonii.**

Canones 1094-1098		»
Schema. Caput VI. De forma celebrationis matrimonii		625
Inscriptio capitis		»
Canonum ordinata distributio		627
Forma in genere servanda	1094	628
Regulae ut matrimoniis valide assistant animarum pastores.	1095	630
De licentiae concedendae limitationibus	1096	633
Licita parochi ac loci Ordinarii assistentia matrimoniis	1097	635
Exceptiones quoad observandam integre celebrationis matrimonii formam	1098	638
Canon 1099		639
Interpretatio canonis 1099	1099	642
Personae ad formam in matrimonii celebratione servandam obligatae		645
Canones 1100-1103		649
Observantia rituum in celebratione matrimonii	1100	»
Sollemnis sponsorum benedictio	1101	650
Ritus ac sollemnis benedictio in matrimoniis inter partes catholicam et acatholicam	1102	652
Adnotationes matrimonii	1103	654

CAPUT VII. — **De matrimonio conscientiae.**

Canones 1104-1107		657
Inscriptio capitis		»
Canonum ordo		»
Rationes huius legislationis		658
Matrimonii conscientiae notio, istiusque permissio	1104	»
Quaenam personae secreto adstringuntur	1105	659
Praedictae obligationis extensio	1106	660
Adnotationes tum matrimonii conscientiae, tum baptismi prolis inde natae	1107	»

CAPUT VIII. — **De tempore et loco celebrationis matrimonii.**

Canones 1108, 1109		662
Inscriptio capitis et canones		»
De tempore tum celebrationis matrimonii tum eius benedictionis sollemnis.	1108	»
De loco intra quem celebretur matrimonium	1109	664

Caput IX. — De matrimonii effectibus.

	CAN.	PAG.
Canones 1110-1117		665
Inscriptio capitis ac ordo canonum		666
Contractus matrimonialis effectus genericus	1110	»
Coniugum status iuridicus	1111	667
Uxoris iuridicus status	1112	668
Coniugum qua parentum obligatio	1113	669
Qui filii sint legitimi	1114	»
Legitimitatis praesumptio	1115	670
Legitimatio ex iure	1116	»
Effectus legitimationis ex iure	1117	671

Caput X. — De separatione coniugum.

Art. I. — *De dissolutione vinculi.*

Canones 1118-1127		672
Inscriptio capitis eiusque in articulos divisio		»
Inscriptio articuli ordoque canonum sub eo		673
Schema. Caput X. De separatione coniugum		»
Matrimonium omnino indissolubile	1118	674
Matrimonium ab extrinseco solubile	1119	675
Privilegium Paulinum	1120	»
Interpellationes faciendae	1121	676
Facultates quoad interpellationes quibusdam Vicariis ac Praefectis Apostolicis (concessae)		678
Modus interpellationes faciendi	1122	679
Quandonam ius ad novas nuptias pars baptizata obtineat	1123	680
Quamdiu applicari queat privilegium Paulinum	1124	681
Declarationes Romanorum Pontificum de infidelium matrimoniis dissolvendis	1125	»
Factum quo legitimi matrimonii vinculum dissolvitur	1126	685
Favor iuris	1127	»

Art. II. — *De separatione tori, mensae et habitationis.*

Canones 1128-1132		686
Inscriptio articuli et coordinatio canonum		»
Obligatio communis vitae inter coniuges	1128	687
Adulterium velut causa separationis	1128	»
Perduratio separationis	1140	689
Aliae causae separationem cohonestantes	1131	690
De filiorum educatione post separationem	1132	692

Caput XI. — De matrimonii convalidatione.

Art. I. — *De convalidatione simplici.*

	CAN.	PAG.
Canones 1133-1137		693
Schema. Caput XI. De matrimonii convalidatione		694
Inscriptio capitis ac eius in articulos divisio.		»
Inscriptio articuli et distributio canonum sub illo		»
Duplex requisitum cuiusdam convalidationis	1133	695
Qualis requiratur renovatio consensus	1134	»
Diversus modus renovationis consensus	1135	696
Convalidatio matrimonii irriti ob defectum consensus	1136	697
Convalidatio matrimonii irriti ob defectum formae	1137	698

Art. II. — *De sanatione matrimonii in radice.*

Canones 1138-1141		»
Inscriptio articuli ac eius canones.		»
Quid sit matrimonii in radice sanatio ac huius vis	1138	699
Sanatio in radice matrimonii ob impedimentum vel defectum formae irriti	1139	701
Impossibilitas sanationis in radice quoad matrimonium	1140	»
Concessio sanationis in radice.	1141	702

Caput XII. — De secundis nuptiis.

Canones 1142-1143		703
Inscriptio capitis eiusque canones		»
Secundae nuptiae in seipsis	1142	»
Circa sollemnem nuptiarum benedictionem	1143	704

TITULUS VIII.

De Sacramentalibus.

Canones 1144-1153		705
Schema. Titulus VIII. De Sacramentalibus		»
Inscriptio tituli ordoque canonum		706
Sacramentalium notio	1144	»
Potestas iuris in sacramentalia	1145	707
De sacramentalium ministro in genere	1146	708
De potestate ministrorum ad sacramentalia conferenda, horumque reservatio	1147	»
Ritus ac formulae sacramentalium	1148	710
Benedictionum subiectum	1149	711
Res consecratae aut benedictae	1150	712

	CAN.	PAG.
Minister legitimus exorcismorum	1151	712
Subiectum exorcismorum	1152	713
Ministri exorcismorum (quorumdam)	1153	714

APPENDIX

Brevissima historia Formularum S. Congr.s de Prop. Fide .	716
Initium Formulae tertiae (maioris)	718
A) Circa Sacramenta et Sacros Ritus	719
B) Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias, etc. etc.	626
C) Pro ipso Ordinario	732
Animadversiones	734
Facultates, quae utrique Formulae maiori superadduntur .	737

FINIS

ADDENDA

Ad can. 806, § 2, et 808 in pagg. 114 et 116 in calce. Praedictae facultatis usum moderatur eadem S. Congregatio iuxta litteras locorum Ordinariis datas super hac re (22 Martii, 1923, CO. XV, 151). Pars dispositiva post rationes ibidem praemissas sequens est: « Quoties igitur sacerdotes, iuxta can. 806, 2, Missam eodem die iterare aut etiam tardiore hora ad Sacrum Altare accedere necesse habeant; siquidem sine grəvi damno ieiunii eucharistici legem, vel infirmae valetudinis causa, vel propter nimium sacri ministerii laborem, aliasve rationabiles causas, ad rigorem servare nequeant; Supremae huic Congregationi locorum Ordinarii, omnibus rerum adiunctis diligenter expositis, recurrere poterunt. Quae pro diversitate casuum (sive cum singulis Ipsamet dispensando, sive, quando vera ac probata necessitas id omnino suadeat, habituales quoque facultates ipsis Ordinariis tribuendo) opportune providebit. Quae quidem facultates pro casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, iam ex nunc Amplitudini Tuae conceduntur, per Te ipsum, graviter onerata conscientia, exercendas; hisce tamen sub conditionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus, exclusis inebriantibus, sumere permittatur; efficaciter scandalum removeatur; ac quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat.

Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem ».

Ad can. 984, 5°, in pag. 423 sub fine num. 342. Hic opportune memorantur duo S. Congregationis Concilii declarationes quae practicam nunc habent utilitatem. Itaque propositum fuit dubium: « An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, quo his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu ». Et in comi-

tiis die 9 Augusti 1890 Sacra Congr. Concilii rescripsit: *Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris*, quae in Codice praescripta est sub can. 2351, § 2. Propterea ad quaesitum: « An haec resolutio Sacrae Congr. Concilii adhuc valeat, Emi eiusdem Patres respondendum censuere: *Affirmative* [1].

Ad can. 1044, 1045, § 3, in pagg. 537, 539. Ad hunc locum pertinet declaratio authentica Pont. Commissionis ad Cod. cann. authent. interpretandos [2]: « Utrum in casibus, de quibus in canonibus 1044 et 1045, § 3, censendum sit Ordinarium adiri non posse, cum nec per literas, nec per telegraphum nec per telephonum ad eum recurri potest; an etiam cum solum per literas impossibile est, licet per telegraphum vel telephonum id fieri possit. Resp. Negative ad 1^am^ partem affirmative ad 2^am^, seu ad effectum, de quo in cann. 1044 et 1045, § 3, censendum esse Ordinarium adiri non posse, si nonnisi per telegraphum vel telephonum ad eum recurri possit ».

[1] 10 Februarii 1923. CO. XV, 155, 156. — [2] Dubia... V. 12 Nov. 1923. CO. XIV, 662.

1434